SERMONES ET EXHORNATIONES MONASTICAE: RELIGIOSIS PERSONIS NECESSARIAE, &...

Lorenzo Portel


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
35 I
20
ROMA

#116 35

SERMONES ET EXHORTATIONES MONASTICÆ:




Religiosis personis necessariæ, & sæcularibus proficuæ.

Accesserunt vnus tractatus de scrupulis, & alius de impensis factis in Templo Salomonis.

Et tres Indices: Scripturæ, Sermonum, & Rerum.

Authore Fratre Laurentio de Portel, Ordinis Minorum Prouinciæ Algarbiorum in Portugallia. Olim Ministro Prouinciali, & Lectore Theologo in eadem Prouincia.

Contenta in opere sequens pagina monstrabit.







Cum facultate Sanctæ Inquisitionis, Ordinarij, & Regis.

VLYSSIPONE, Ex Officina Petri Crasbeeck.
Anno Dñi 1617.

CONTENTA IN OPERE.

§ 2 *contra*

L I-

DICATVR OPVS
SANCTISSIMÆ VIRGINI MATRI MARIÆ.



IBI soli, Sanctissima Deipara, dico exile hoc, & tantillum opusculum, eo quod tibi fere de iustitia debitum censeo. Tu enim primum es vitæ Religiosæ exemplar, maxime in Virginitatis voto prius vouendo. Tu cunctarum Religionum Patrona fidissima, Nostræ præcipue Franciscanæ, quæ in domo tua portiunculæ sumpsit initium, & tanquam res omnino tua, suum sigillum tua sacra Imagine muniuit, ac decorauit. Per te denique mihi omnia à Deo donata profiteor, hoc præcipue tantillum opus tuo auxilio impetratum. Quid non ergo tibi debitum sit opus de filijs Religiosis disputans, & ab indigno seruo in tua Religione compositum? Acceptum tibi quæso sit, non ratione sui, sed ratione meritorum Christi Domini filij tui, cum quo viue, & regna per infinita sæculorum sæcula, Amen.

PRÆ.


SENECA lib. de vita beata prope finem, ſic ſcribit. Hoc nempe ab homine exigitur, vt proſit hominibus: ſi poteſt, multis. Si minus, paucis. Si minus, proximis. Si minus ſibi. Nam cum ſe vtilem cæteris efficit commune agit negotium. Sic ille. Hoc ego documento per motus, ſentiens me multis prodeſſe non poſſe, curaui præcipue prodeſſe proximis, fratribus meis Religioſis. Sequor etiam in hoc Chriſtum Dominum qui dum in hac vita mortali fuit, per ſe, & per Apoſtolos ſolis Iudæis voluit prædicare tanquam fratribus ſecundũ carnem: adeo vt ille Matth. 15. dixerit ad ſolas oues domus Iſrael, ſe fuiſſe deſtinatum. Imo & Apoſtoli Act. 8. poſt inſtructos Iudæos primo ad Samaritanos inſtruendos exierunt, qui à Iudæis exierant, & Iudæis erant propinquiores. Laboraui, vt potui, perſonas Religioſas vtriuſque ſexus, inſtruere, monere, & exaltare: ſicut ad illarum ſtatum conducere iudicaui ex multorum annorum praxi, & experientia. Nec tamen in hoc opere deſunt multa, quæ pro ſæcularium pariter inſeruiant diſciplina. Opus Latinum feci primo vt communiori lingua, vel pluribus

proſim,

prosim, vel à pluribus irridear. Secundo, ne Religiosorum tantilli defectus, & monitiones, notæ sint, & expositæ sæcularibus. Tertio, in gratiam concionatorum, ne forte taxentur & arguantur à sæcularibus, etiam fæminis, litterarij furti, si quando ex hoc opere aliquid citent: sicut experientia horum temporum docuit sæculares facere, vtentes, & legentes concionatorum libros Hispana lingua conscriptos. Protestor autem sine causa Religiosos mihi fore infensos, eo quod ad aliquos illorum defectus admonendos descenderim: Dicam enim adhoc, me nihil fere in hoc opere dicere quod non proferam, vel probem ex zelatoribus, & fere sanctis fundatoribus Monachorum Chrysostomo, Ieronimo, Augustino, Cassiano, Bernardo, & alijs similibus. Si ergo hi tot, ac tanti patres necessarium duxerunt, prædictas obiurgationes in hoc opere contentas, facere suis Religiosis olim nobis perfectioribus, easque scriptis mandare: non est quod nostri hodie inferiores Religiosi querantur, vel me, illorum tantum dicta referentem condemnent. Benigne ergo opus sibi necessarium recipiant: & in illo contenta ad praxim reducant quò possint in sæculo futuro suæ professionis consequi præmium, & coronam repromissam, Amen.

SERMO





SERMO PRO CELEBRANDO CAPITVLI PROVINCIALI.



Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Matth. cap. 20.



Olent aliquando matres, aut nutrices infãtes plus debito lac appetentes, & continuantes, vt eos ablactent, & ad cibos solidiores inducant, solẽt inquam extremitatem vberũ, seu mamillam acerbo aliquo liquore perũgere; felle scilicet, aceto, absynthio, vel similibus, vt infans acerbitate illa deterritus, lac fastidiat, & solidiores cibos desideret. Maior seù summus appetitus qui regnat in nobis est appetitus gloriæ, prælationis, seu dominij. Constat hoc breuiter ex eo quòd cæteri nostri appetitus communiter loquendo vnum tantum bonum intendunt adipisci; auaritia videlicet aurum; vindicta satisfactionem: gula saturitatem: & sic de cæteris. At appetitus dominandi in dominando prætendit omnia simul bona vitæ, inordinate tamen. Nã qui imperiũ possidet, siue prælationem indebite prætensam, & habet honores; habet diuitias, & vitam, seu commoda ad vitam prolongandum, in quibus tribus, omnia vitæ corporalis bona continentur. Cum igitur appetitus dominandi in nobis sit vehementior, Christus Dominus tanquam Mater nostra huiusmodi appetitum

Ambitio efficacior appetitus cæteris omnibus

Hæc proposita amaritudine terretur.

voluit in nobis frænare, ac retũdere eodem modo quo proxime dixi more matris, ac nutricis apponendo nobis pueris acerba remedia, potionesue amaras prælationibus mistas; quibus nos a dominandi desiderio compesceret: id quod bis fecit in suo sacro collegio, primo enim Matth. 18. *Cum viderent Apostoli ex eadem pecunia pro Petro, ac Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij (ait Ieronymus ad illum locum) arbitrati sunt Petrum omnibus esse prælatum.* Et proinde statim inter se contulerunt, seu Christo Domino dixerunt: *Quis putas maior est in regno cælorum?* En contentio, seu appetitus circa primatum, & prælationem. Hunc igitur dominandi appetitum, iuxta Ieronymũ ibidem voluit Deus humilitatis contentione sanare: statim enim *aduocauit paruulum, & in medio illorum statuit*, quasi comminans, & exhortans, vt potius cuperent fieri paruuli, & abiecti, sicut erat ille paruulus; quam honores ac dignitates affectare. Ecce quomodo matris, vel nutricis more amara, & acerba proponẽs, discipulos ab effectu honorum affectandorum retardat. Secundo, idque clarius hoc fecit Christus Dominus Matth. 20. loco in themate citato, quãdo

Matt. 18.

mater filiorum Zebedæi alteri filio dexteram, alteri petijt sinistram: Tunc enim dixit: *Reges gentium dominantur eorum: non sic autem inter vos.* Quasi diceret solum inter Gentiles in vsu est vt Reges, seu prælati illorum sint domini, & erga subditos dominium exerceant. At inter Christianos, seu in Ecclesia, quam instituo, non sic erit inter vos: Nam illi, qui in Ecclesia mea maiores, siue prælati fuerint, hos non dominos esse volo, sed potius seruos futuros esse decerno. In quibus verbis primum moneo consideratores illorum, si forte ibi Christus Dominus, pænam, seu sententiam damnationis tulerit contra ambitiosos: quasi dixerit; legem pænalem condo contra ambientes officia, vt huiusmodi homines in pænam suæ affectionis malæ serui sint, seruitute damnentur, more illorum qui iuxta leges ob delicta serui fiunt. Sed isto sensu omisso: magis litteralem sensum prosequentes, intelligimus in verbis citatis voluisse Christum Dominum primo deterrere nos a prælationibus procurandis, proposita scilicet acerbitate, & amaritudine prælationi coniuncta; non enim reuera prælatio est; sed seruitus, & captiuitas est. Optime ad hoc

Mat. 20.

Prælatus non dominus sed seruus.

hoc intentum dicit Chrysostomus homil. 35 oper imper. *Quis enim sapiens vltro se festinet subijcere seruituti labori, dolori, & periculo tali?* quasi diceret, captiuum, vel seruũ fieri a natura, legibus, vel à bello violenter: durum, & infælicissimũ est: sed multo peius, intolerabilius seu inexcusabile est vltro ac voluntarie festinare, & currere ad seruitutẽ honores, & officia procurando. Vt enim eleganter ait verus Chrysost. homil. 1. super epist. ad Titum loquens de electo ad prælaturam: *Non ad principatum promouetur, sed ad seruiendum innumeris dominis qui contraria cupiunt semper, & dicunt* Hæc ille. Et sane verissime: quàm enim contrarij sunt hodie subditorum appetitus? quam cõtraria appetũt, non solum inter se ad inuicem, sed etiam ipsi intra se passim diuersis temporibus, quod sigillatim prosequi foret infinitum? vnde si Christus Dominus Matthæi 6. dixit neminem posse duobus dominis seruire, quando scilicet sunt domini contrarij, & oppositi: quomodo poterit miser prælatus hodie tam innumeris subditis, sibi & alijs contrarijs seruire, sine eo quod disrumpatur, laceretur & fere animæ, & corporis salutem periculo exponat? De hac prælaturæ seruitute optimum testimonium tulit expertus Nazianzenus, qui oratione habita coram centum quinquaginta Episcopis, coram quibus volebat suo Episcopatui renuntiare, & precabatur vt talem renũtiationem non repellerent: dixit. *Missionis libellum mihi date, quemadmodum Imperatores militibus solent.* Missionis libellum Lusitane est, *carta de alforria, que se dà aos escrauos*, quod idẽ erat, manumittere, quod solebant facere Imperatores captiuis in prælio: Hanc igitur manumissionem à seruitute postulabat Naziãzenus â seruitute prælaturæ. Denique Antigonus Rex successuro sibi filio dixit: *An ignoras regnum nostrum splendidam esse seruitutem?*

Matt 6.

In hac ergo æstimatione prælatio est apud Christum Dominum, apud Chrysostomũ, Naziãzenũ, imo & apud Gẽtiles, vt prælatio seruitus sit, pæna sit, & tormentũ sit. Iã vero homines quo loco illam reputant? quietem scilicet, gaudium, ac fælicitatem illam esse existimãt: imo, quod peius est. pænam, & infælicitatem credunt carere prælatura. Sufficiat pro hoc Bernardi testimonium epist. 126. vbi loquens de quodam Episcopo, qui per multas extorsiones procurauit fieri se legatum Papæ, cum esset aliàs valde senex; inter alia optime sic ait. *Vide*

Ambitiosis pœna est carere pæna prælaturæ.

quid faciat amor gloriæ: legatio sarcina grauis, humeris præsertim senilibus: & tamen homini senissimo grauior videtur pæna viuere sine hac pæna. Quot inquietos possemus recensere ob officia, & honores non adeptos? Absalonē, Tertullianum, & multos alios tales fuisse constat, qui officiorum, vel beneficiorum repulsam non ferentes in mille errores, & absurda declinarunt. Est nempe, vt dicebam, dominandi appetitus omnibus vehementior, & nos acrius vrgens, ita vt, teste Cicerone 3. de officijs Iulius Cæsar dicere soleret ex Euripide: *Si ius iurandum violandum est, regnandi causa violandū est: in cæteris pietatē colas. Sic Ethnicus ille.* Quod adeo verū est vt propter hūc appetitum & filius patrem, & frater fratres, & amicus amicos interimere non dubitauerint quó possent prætensum honorem acquirere: Imo & non solum hoc videas circa honores sibi proprios obtinendos, sed etiam eō peruenit ambitio, vt cum certo vitæ periculo officia, & dignitates alijs optemus & procuremus; quemadmodū de matre Neronis communiter circunfertur, dixisse circa filij imperium procurandum: *Interim at dum imperet.* Qui tamē dominandi proteruus appetitus licet in omnibus Christianis hominibus deplorandus sit, & execrādus multo magis in personis Religiosis abominādus videtur, iuxta cap. Quorundam de electione in 6. vbi Papa Bonifacius 8. in particulari taxans ambitionem Religiosorum: *Dicit illos in procurandis beneficijs, & honoribus, esse suæ professionis immemores, quæ contemptis honoribus, abiectis diuitijs, spretis delitijs &c. retro respiciūt, & cæt. ibi eleganter.* Diuus Chrysost. homil: 58. ad popul. valde commendat Religiosos sui tēporis quod essent contemptores honorum, ac dignitatum, adeo, vt, *Quanta apud nos (clericos scilicet sæculares, ait Chrysost.) est pugna primas partes assequendi, tantum apud illos certamen ne assequātur.* Id est tantum Religiosi huius temporis pugnant in honoribus contemnendis, quantum nos Ecclesiastici facimus pro illis acquirendis. Causam vero illius rei, seu contemptus assignans, ait; *Quis enim quæso terram fodiens, & irrigans, plantans, sportellas, aut saccum texens, vnquam altum sapiet? Quis in paupertate viuens, & pugnans cum fame tali morbo laboret? Sic ille.* Quæ quidē suo modo omnibus Religiosis in paupertate ex voto degētibus, & mundum abnegantibus suum locum sortiuntur, vt de illis credi non deberet, quod taliter viuentes altum sapiant, & ad

Ambitio ius iurandum non obseruat.

In Religiosis magis abominanda est ambitio.

& ad talia incestanter anhælantes aspirent. Vltimo tandē circa terrorem, seu horrorem à Christo Domino incussum prælaturæ sub nomine seruitutis, seruiat illud, quod summa prælatio Ecclesiæ, Papatus videlicet, saltem humana experientia breuioris vitæ sit,& citius vitam finiant Summi Pontifices, cæteris paribus, quam Reges, quā Imperatores, & quam cæteri Episcopi,& prælati aliarum Ecclesiarum. Quod confirmatur scripto Alexandri 2. Papæ ad Petrum Damianum, á quo Papa huius rei causam quæsiuit: quæ scilicet causa esset vt Summorum Pontificū vita breuior esset, quam vita Cæsarum, Regum, & Episcoporum: maxime cum sæpe sæpius creati fuerint Summi Pontifices adolescentes, & saltem in florida, & vegeta ætate: qui tamen vitam non ad senium perduxerunt. Cui respondit prædictus Petrus Damianus inter alias causas, hanc etiam posse assignari: *Vt scilicet minus appetant homines, quam fere certi sunt, haud diú duraturam dignitatem* Sed proh pudor nihil horum nos à tali appetitu remouet, nil periculosum deterret, nihil auertit.

Papæ cur minus viuant.

*Apud Pet. Damian. lib.*1. *epis. in* 17. *&* *plura Lorin.* 2. *Petr.* 1. 14.

Sed accedamus iam ad explicandas conditiones boni prælati inclusas in hoc nomine, *Seruus*, in his enim verbis, *erit vester seruus*, intelligo reperiri officium boni prælati. Et quidem vt à minoribus incipiamus, seu per partes id ostendamus; seruus est primus in labore, & in illo magis continuus, & labori primus intendit, domino interim quiescente. Talis debet esse prælatus in laboribus primus, & in laborando debet alios anteire per bonum exemplum, si vult Domino animas lucrifacere. Hoc ego illustro peculiari exemplo: Considerationc namque dignū est, quod nunquam in sacra Scriptura Ecclesia comparatur apum examini, cum apes intra aluearium mirifice domunculas extruant, miro regimine ducantur, & tam suauem fructū mellis producant. Constat aliâs Ecclesiam comparatam esse sagenæ piscatoris, vineæ patris familias, agriculturæ agricolæ, ouibus cum pastore, imo & aciei, siue exercitui (in quo aliâs multa crimina reperiuntur:) & tamen apum examini, vt dixi, nusquam reperitur assimilata. Huius rei causam inuenio prudenter a quodam viro doctissimo assignatam; quia scilicet apis magistra gubernans aluearium, dicitur nunquam foras egredi, sed intus manens alias foras mittit ad flores conqui-

Prælatus primus debet esse in laboribus

Ecclesia cur non comparetur apum examini.

Matt. 13. *Mat.* 20. *Matt.* 13. *Ioan.* 10. *Cantic* 6.

Lorinus super Psal. 100. *ibi In medio domus meæ vers.* 2.

rendos per frigus, calores, & imbres: qui modus regendi non est conueniens prælato Ecclesiæ, quem decet in laboribus, & bonis operibus ante alios præire. Est enim prælatus ad instar illius columnæ nubis quæ populum Israeliticum in deserto viam monstrabat, de qua sic dicitur Numer. 9. *Secundum motum, vel quietem nubis filij Israel aut mouebant castra, aut ea sistebant.* Per quam columnam licet Rupertus (habetur Exod. 28. & 29.) Christum Dominum prælatorum maximum intelligat: possumus etiam nos prælatos particulares intelligere, qui suo modo sunt columnæ suarum Ecclesiarum: qui proinde aduertant se esse columnas illustrantes Ecclesiam: & ad suam operationem operaturum esse populum, illisque præeuntibus, ac motis, mouendos esse subditos: illisque è contra à bonis operibus quiescentibus, subditos etiam cessare debere. Diabolica quidem, & hæretica fuit illa petitio filiorum Israel in deserto Exod. 32. quando propter absentiam Moysis dixerunt Aaroni: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant*: quæ licet nullam habuerit excusationem, in eo tamen videbatur aliquem colorem boni habere, quod petebant Deos, qui ipsos præcederent, & ante irent. Intelligentes scilicet omnino necessarium esse ad bonum regimen, vt dux, seu prælatus populum præcedat, & coram omnibus prior deducat. Sic enim in exercitu fieri solet, vt nisi dux præeat, miles non congrediatur: & in auibus, seu pecudibus dux illarum debeat in omnibus antecedere: aliter nec aues, nec pecudes alas, aut pedes mouent. Optime id ipsum explicauit Poeta Claudianus illis suis carminibus, *Componitur orbis, Regis ad exemplum. Neque sic inflectere sensus humanos edicta valent, quā vita regentis.* Vide quæso facilem modum in regendo. Edicta enim Regum, leges, & statuta prælatorum quantumcunque comminatoria sint, & pænas graues contineant, non sic mouent humanam voluntatem subditorum quam mouet bona vita regentis; quando scilicet Rex, & prælatus bono exemplo præeuntes, subditos ad virtutē non solum inuitant, sed etiam suauiter pertrahunt, & trahunt, & alliciunt. Adde quod quantamcunque diligentiam Prælatus adhibeat, vel per Ministros idoneos, vel alia via, non hæc talem vim habent, qualis illius præsentia, & exemplum. Cuius clarum exemplum est illud Elisæi 4. Reg. 4. qui cum misisset puerum

Num. 9.

Prælatus columna viam ostēdens.

Exod. 32.

puerum suum ad suscitandum infantulum mortuum appositione baculi sui: famulus illo absente neque cum baculo Elisæi potuit suscitare, donec tandem ille præsens id fecit. Tantum potest præsentia operantis prælati.

Perseuerando adhuc in eodẽ puncto declaro, seruum plus operari quam Dominum Si enim aliquando fortè Dominus ad opus seruile cum seruo descendat, ipse tamen seruus plus laborat, & totum fere laboris põdus assumit Domino quasi leuiter operante. Hoc ipsum bono prælato incumbit: hic enim cũ sit seruus plus debet laborare, & plura debet facere, quàm sint illa quæ subditis imperet facienda. Exemplũ habemus in Christo Domino qui tribus discipulis in horto dixit: *Dormite iam & requiescite*: ipse vero iterum ad orandum recessit. Itaque plus orauit quam discipuli, eosque dormire iussit, plus ieiunauit quam illi, & plus laborauit quam illi. Hoc etiam videre licet in sanctissimis viris maxime Religionum fundatoribus: omnes enim erga subditos, & proximos benigni erant, non rigidi: eisque faciliora iniungebant præcepta, quam sibi ipsis: Imo erga se erant rigidiores, suumque proprium corpus rigidissima asperitate coercebant: proximorum vero, ac subditorum necessitatibus benignius quam proprijs succurrebant. Et sic tanquam veri patres, ac matres filiorum quieti consulebant: & tanquam veri serui Dei suorum subditorum labores subleuabant.

Prælatus plura debet facere, & pauca imperare, sibi parens, alijs liberalis.

Matt. 26.

Erit vester seruus. Aliam serui conditionem in prælato desiderandã considero videlicet, quod seruus viliùs vestitur quam Dominus: minus epulatur, & minus dormit quam Dominus, & in lecto viliori. Hæc omnia per se clara sunt, & patentia: & in prælato pastore & seruo, ex consequenti requiruntur, vt scilicet in veste, cibo, & lecto inferior sit, & pauperior subditis, vel saltem in his illos non excedat. Vide quæso supellectilem pastoris ouium. vide cibum illius, panem scilicet, aquam, cæpas, & alia. Vide vestitum, ex pellibus nempe, & sacco confectum. Lectus denique est terra nuda, aperto cælo, pluuijs sæpe, & niuibus infestantibus. Egregius pastor Iacob socero Labano sic dixit: *Die noctuque æstu vrebar, & gelu fugiebatque somnus ab oculis meis*. Tali modo se debet habere pastor animarum, ne forte incidat in comminationem illam diuinam Ezech. 24. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos*. Vbi inter alia conqueritur Dominus, quod mali pastores lac ouium, lanam,

Prælatus minus ac vilius dormiat, epuletur, & vestiatur.

Genes. 31.

Ezec. 24.

lanam, & pinguiores agnos in vsus proprios conuertebant. Per quæ omnia Ieronymus ibi, dicit intelligi prohibitionem delicatarum vestium; selectorum ciborum, & similium, quæ mali prælati ad traducendam pinguius vitam corporalem, vsurpant ex officio prælationis. Appositissimum huius rei exemplũ, existimo id quod narratur de patre nostro Francisco 1. parte chronic. vbi dicitur quod cum ille Romæ inuiseret Cardinalem. sanctæ crucis, discessurus inde ad alias partes: prædictus Cardinalis attenta hyemalis temporis, & magnorum imbrium inclementia, & continuatione, Patrisque nostri naturali debilitate corporea: omnino patrem nostrum abire prohibuit, secumque retinuit: eidemque destinauit extra suam aulam semotã ædem, & quasi turrim antiquã, vbi Pater noster illis diebus, extra Cardinalis mensam, ac lectũ, tanquam pauper, & mendicus, ac solitarius oraret. Acquieuit pater Seraphicus: & ibidem manens quadam nocte fuit a dæmonibus iussu Dei (vt creditur) dire verberatus. Transacta nocte sanctissimus Pater vocato socio suo fratre Angelo historiam, & factum annunciat ei denique declarat, se intelligere non alia de causa sibi illud à Domino fieri fuisse mandatum, nisi quia ipse prælatus cum esset, in domo Cardinalis per tot dies commorando, occasionem daret fratribus suis absentibus, & in penuria agentibus, cogitãdi se ipsum in domo prædicta delicatius epulari, & mollius dormire. Vide quomodo tale supplicium sibi imputat Pater sanctissimus ob solam occasionem, sine fundamento, suspicandi subditis datã, cum reuera omnino oppositum in illo concurreret. Quali ergo supplicio dignus erit qui vere, & cum fundamento malum exemplum cæteris offert. In vestitu, in lecto, & cibo? ò fælicia illa tempora, in quibus primi illi, & aurei prælati humilibus adeo, ac tenuibus vestitu, lecto, & cibo vtebantur. De Christi Domini Apostolis dicit Euangelium illos ad pellendam famẽ aliquando spicas collegisse. De ijsdem multorum est opinio post Christi Domini Ascensionẽ à carne, & vino vt plurimum abstinuisse. Et in particulari Diuũ Petrum lupinis aliquando fami satisfecisse, refert Nazianzenus oratione de amore paupertatis. Et de alijs Apostolis aliqua tradit Baronius tom. 1 anno 57. cap. 151. Cum enim hi sanctissimi Prælati solum animas sibi traditas saluare curarent, de propria vita corporali tuenda non erant soliciti.

Pater Frãciscus verberatus à Diabolo, & quare.

Matt. 12.

Nazian.

solliciti Conferamus hæc cum prælatis nostræ ætatis: & hoc solum attigisse sufficiat. Hoc vnũ dico: possumus clara consequẽtia inferre, illum prælatum qui nimis solicitus est corporis sui: paruam aut nullam curam habere animarum Christi sibi cõmissarum. Argumentum valet ab opposito, ex dicto D Bernar. qui serm 30. super Cantica ad illa verba: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui:* sic explicat: *Posuerunt me custodẽ prælatum: ergo vineam meam, id est vitam meam corporalem non curaui.* Si ergo bonus prælatus non curat de vita propria corporali: ergo qui nimis curat de vita corporali, non est bonus prælatus, neque illi cura est de vinea Domini, animabusve sibi concreditis. Scimus Christum Dominum quandiu Samaritanæ illius colloquio, & cõuersioni fuit intentus Ioan. 4. oblatos ab Apostolis cibos, quibus indigebat, non accepisse: quin potius illis tunc dixit: *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.* De animabus scilicet intelligens, quæ suo modo, principalis prælati cibus esse debent: ita vt harum peccata prælatus commedat, & consummat, iuxta illud Petro à Domino dictum ostenso linteo Act. 11. *Occide & manduca* Ac denique dicat prælatus mundo, in occasionibus temporalibus, illud, quod Genes 14 Rex Sodomorum dixit Abramo: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.*

Prælatus curans nimis de proprio corpore non curat de animis.

Ioan. 4.

Act. 11.

Gen 14.

Erit vester seruus. Iam denique dicamus in summa qualem perfectionem habere debeat is qui eligendus est in prælatum. Hoc ego deduco ex ipso nomine serui. Constat enim seruum dici à seruiẽdo, & proinde prælatus vt seruus debet seruire. Sed dicis: in quo, aut quomodo seruit is, qui omnibus superior est? non enim videtur hæc duo simul posse combinari, esse seruum, & esse Dominum. Rem sic ostendo. Non multis ab hinc annis quidam hæreticus Romæ libellum famosum contra Ecclesiam suppresso nomine publicauit plenum multis erroribus. Inter quos hic erat vnus. Cũ per vos Christianos (aiebat ille, non credens) Papa sit superior omnibus Regibus, & Imperatore: qui potest hoc verificari cum eo, quod idem Papa in suis litteris Apostolicis se nominat, seruum seruorum Dei? Quomodo seruus, qui est Dominus? In quo seruit? In quibus famulatur, qui omnibus dominatur? Huic errori & insaniæ respondit tunc doctissimus Cardinalis Bellarminus alio libello qui est inter opera illius, dicens, Dominum Papam verissime esse seruum, & vere,

Papa & Prælatus quomodo, & in quibus seruiant.

vere seruire Christianis: Monendo scilicet, dirigendo, imperando, castigando. Magnum fere, pulchrum, ac fructuosum seruitium Quæ responsio prius data fuit ab Augustino epistola ad Bonifacium comitem: in qua, explicans illud Psalm. 2. de Regibus dictum, *Seruite Domino in timore:* quomodo scilicet Reges dominantes, Domino Deo seruiant: inquit, *illos seruire Deo, & populo: Seueritate prohibendo atque plectendo: & leges iustas sanciendo.* Clarius idem Augustinus ad intentum, 19. de ciuit. cap. 14. ait. *Qui imperant, seruiunt eis quibus videntur imperare: id est, quia laborant regendo, imperãdo non propter suam vtilitatem (hoc enim Tyrannorum est) sed propter publicum bonum, & subditorum vtilitatem* Hæc Augustinus. Iam ergo patet in quã multis, ac bonis seruiat prælatus: iam innotescit eius vtilissimum, & omnino necessarium seruitium. Si ergo ex fine (iuxta Philosophum) mediorum necessitas, & proportio colligenda est: cognito fine prælati, ad quẽ scilicet eligitur, qui est monere, corrigere, animas regere: videbis qualitates eligendi, & necessitatem perfectionis debitæ illi inesse, vt sit homo qui seruiat, i. conueniens sit ad talem finem, (Lusitane dicimus, *da cousa que não tem o necessario para tal fim, não serue)* debet ergo prælatus seruiturus in supra dictis habere media congruentia ad talem finem, videlicet ad regendum populũ Dei. Hic vero finis (regimen scilicet animarum) est ars difficilior, excellentior, & vtilior cæteris artibus etiam Theologia speculatiua. Adsit nobis primo magnus ille Gregorius magnus pastor, qui & in pastorali suo, & in Moralibus, prius admirans quãta temeritate officium pastoris ab imperitis suscipiatur, & procuretur: causam suæ admirationis assignans, ait. *Cum sit ars artiũ regimen animarum: vt culpis discrete nouerit parcere, & pie resecare.* Hæc ille. Magna certe difficultas, grandis vtilitas. Dico prælationem esse difficillimam, imo Theologia difficiliorem: Theologia enim speculatiua, imo & moralis, suas habet regulas, Doctores, ac terminos quibus iam fere addicta est, & cognita: vitijs autem parcere discrete, & eadẽ prudenter resecare, (vt ait Greg.) difficillimum omnino est, & cũ solo diuino auxilio attingendũ si fructuose faciendum sit. Et exinde difficilior euadit ars gubernandi animas, quam Theologia. Dixi etiam artem gubernandi, etiam vtiliorem Theologia speculatiua: hæc enim licet verissima sit, quasi solum speculatiue, & quasi digito viã monstrat:

Regesquo modo seruiũt Deo, & populo.

Difficultas in arte regendi.

ſtrat: Ars vero gubernandi per prælatum, viam monſtrat efficaciter compellendo illos intrare. Iam ergo ex tanto, & tam perfecto fine, ad quem prælatus eligitur, poſſumus colligere quãta illius debeat eſſe perfectio quã-tæ futuræ ſint partes. In ſumma dico quod debet eſſe omnibus perfectior omnibus melior Hoc ipſum videtur ipſo lumine naturali comprobari. Videmus enim in capite noſtro humano naturã matrem omnes quinque ſenſus externos collocaſſe, vt facile inuenies. In eodem capite collocauit ſenſus inter nos, memoriã ſcilicet ſenſitiuam, phantaſiam, ſenſum communem, de quibus Philoſophi ſuo loco: & ratione horum internorum ſenſuum ibi anima vult, & intelligit, quod nõ facit in alijs corporis partibus. Denique idem caput conſtat varijs partibus, organicis miro artificio compactis, quæ partes organicæ non ita perfectæ reperiuntur in reliquo corpore. Denique in quauis parte corporis extra caput vnus tantum ſenſus tactus reperitur? videsne quomodo natura caput noſtrum magis ornauerit ſenſibus externis, organis ſẽſibus internis &c. & quomodo ipſum caput cæteris corporis partibus prætulerit? In hoc ergo voluit indicare natura, quod quanto caput corporale in perfectione cæteras partes excedit: tanto prælatus, qui eſt caput morale debet ſubditos in perfectionibus antecedere Id ipſum eleganter deſcripſit Seneca innitens lumini naturali. Hic enim epiſtola 90. vt probet eligendum in Regem, fore meliorem omnibus, doctiſsime aduertit, ac monet, etiam animantia bruta hoc conſeruare in ſuis Rectoribus: habent enim animãtia ſuos duces, & maxime boues, & elephantes, in quibus ibi ponit exemplum Verba igitur Senecæ ſunt hæc. *Non pracedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine, ac toris cateros mares vicit. Elephantorum gregem excelſiſsimus ducit. Inter homines pro ſummo eſt optimus* Hæc ille. Vide quomodo ad ſimilitudinem brutorum meliorem ducem eligentium, dicat Seneca, homines pro ſummo, id eſt, prælato, optimum ac meliorem debere eligere. Neque vero poſſum omittere elegantiſsimum dictum ibidem ſtatim poſitum a Seneca, & iuſtiſsimam querellam, qua ibi quæritur (vt videtur innuere) Reges & Imperatores ſuo tunc tempore fieri quaſi vi, & præualente ſeditione, vel hæreditario iure, non vero ex electione, attenta maiori perfectione eligendorum, vt olim faciebant Gentiles primis temporibus, qui Regem eligebant illum

Luc. 14. Eligendus eſt melior omnibus.

Caput humanum in quibus excedat alias partes córporis.

Etiã bruta meliorem ducẽ ſequũtur

illum qui esset melior. Hoc ergo deplorans ait Seneca. *Ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse nisi melior.* Sic ille. Vide Ethnici sententiam mirabilem nostris temporibus valde necessariam, vt scilicet qui prælatus futurus sit, & potentior cæteris, debeat esse melior omnibus. O vtinam non fiat à contrario, vt scilicet qui potentior est viribus, sanguinis claritate, persuasionibus, intercessionibus, diuitijs, & similibus, iste in his potentior, & in virtutibus non melior, eligatur vt sit potens, potentior, & potentissimus. Hæc est perfectio quæ requiritur, & requirēda est in prælato, seu seruo seruituro animabus Christi, maior nempe virtus, maior perfectio præ cæteris omnibus, maior sciētia, maior prudentia. Huic regulæ aptare debemus nostra suffragia in electionibus, non respicientes ad alterius nutum, gratiam vel odium. Quod optime prædicauit B. Chrysost. lib. 4. de Sacerdotio, vbi reprehendit electores remissos, & negligentes in eligē do Episcopo, comparatione petita ab emptione serui, quod est nostrum thema. *Absurdum enim est (ait sanctus) eos qui mancipium aliquod empturi sunt id medicis ostendere, emptionis spōsores postulare, vicinos interrogare, tempus aliquod poscere intra quod probare illud possint.* Vide quas diligentias, & inquisitiones faciamus erga seruū emendum, iuxta Chrysost inquirimus inquam si sit sanus corpore ad labores ferendos, si ebrius, si latro, si inhonestus &c. *At vero circa Episcopum eligendum, (ait sanctus Doctor) sicut placitum sit ad aliorum gratiam vel inuidiā testimonium suum (id est suffragiū) accommodare* Vide quæso regulas quibus ducimur in electione prælati, eos a quibus pendemus, rogamus quid faciendum sit: & ad illius dicentis vel gratiam, vel inuidiam regulamur, suffragantes scilicet illi cui bene affectus est noster amicus: vel etiam negantes suffragium illi cui amicus noster est infensus. Oh electionem non rationis, sed passionis: non intellectus rationalis, sed tortuosi appetitus! & ita fit quod cum eligi deberent digniores, magis vtiles, non humano affectu, &c. iuxta Tridentinū sess. 24. cap. 1. de reform. Eliguntur sæpius illi, qui ad prælationē nihil amplius habent meriti, quam velle. Hoc eleganter, & acute tractat Nazianzenus oratione in laudem Basilij: in qua postquam in eius laudem dixit, illum non contulisse ordines sacros nisi selectis, probis, & sanctis viris: & huius examinis defectum iam sentiri temporibus ipsius

Electores mali quibus ducātur rationibus.

ipsius Nazianzeni, in quibus nō idonei ordinabantur. de his non idoneis ad sacros ordines assumptis, ait Sanctus in hunc modum. *Vna die sanctos fingimus eosque sapientes, & eruditos esse iubemus.* Optime sane ad nostra tempora, in quibus electos multos inuenies, qui cum & virtutem, & scientiam ipsi habere deberent, & nihil horum habeant, vel habuerint, nos electores fingimus illos vna die tales esse, & dicimus quod tales sint, imo iubemus quod sint tales. Affert ad hoc Nazianzenus eleganter fabulam Cadmi, quem ferunt interfecisse Draconem, eidemque dentes eruisse, eosdemque seminasse, qui dentes seminati statim singuli singulos protulere gigātes. Sic nos vna die insufficientes homines seminamus & gigantes in virtute, & scientia eligendo producimus. Denique concludit ibi sanctus Doctor: *Ad sacerdotium nihil aliud contulerunt, prater quam velle.* Hoc ipsum hodie in multis videas prætensoribus, qui scilicet ad prælaturam nullum aliud meritum videntur habere, quam velle, eos scilicet illam prætendere. Aliud etiam meritum video hodie ab aliquibus ponderari, videlicet esse meum, esse amicum, esse ex mea factione, (vulgo *do meu bādo.*) Hoc enim solum multi allegant ad honores promerendos. Testis huius rei est Tertullianus lib. de præscriptionibus, sic inquiens: *Nunquam facilius proficitur quam in castris Rebellium.* Id est nullo tempore citius homines ad honores prouehuntur quam in castris, vbi propter dissidia creabantur Imperatores insperati, & non idonei: Hi vero cum primum eligebantur, suos amicos, suæ factionis, suique dissidij fautores, promouebant ad officia honorifica, non alijs attentis meritis, quā quod sibi essent amici, & partes suas sequerētur. Tunc subdit Tertullianus de hoc modo promotionis: *Vbi ipsum esse illic promereri est.* Vide merita allegata, esse illic tantum, id est esse illius factionis, illius partibus fauere, hoc meritum magnum est. Talibus certe electoribus fortassis poterit accōmodari illud Christi Domini Matth. 23. cum dixit Pharisæis: *Væ vobis, circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proselytum & cum fuerit factus facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* Satagebant enim Iudæi conuertere aliquem Gentilem ad suam legem: qui aliquando vel ex eo quod esset insufficiens, vel inuoluntarius, postea deficiens, peior fiebat Sic multis euenit qui anxie procurāt facere prælatū sibi pro futurū tantū, & non communitati. Matt. 23.

Sed

Sed oppone contra prædicta, claritatis gratia, dictum Bernardi lib. 1. de considerat. ad Eugenium; vbi Summum pastorem sic monet: *Consulo tibi ne fias seruus hominum.* Hoc enim Bernardi cõsilium videtur obstare nostro themati, & consilio Christi Domini dicentis prælatum debere esse seruum hominum subditorum. Respondeo, Bernardum Christo Domino non contradicere, sed obsequi. Explicat enim aliam conditionem boni prælati, vt scilicet nõ fiat seruus, id est, non se captiuet ad nutũ illorum à quibus electus est: nõ habeat respectus humanos, quibus obediat, sed libertate sancta officium exequatur. Non sit sicut Deus ille Apis Aegyptiorum de quo dicitur in historia scholast cap. 4. Exod. quod quando Aegyptij illum inquirebant, inuento illo iuxta Nilum vel lacũ (erat enim vitulus certis notis & maculis insignitus) cum multis, ac varijs musicis instrumentis illum excipiebant. *Ipse vero vitulus seu apis, (ait Author historiæ) leuabatur in aera, & super eos tanquã psallens ferebatur.* Id nempe virtute diaboli debuit fieri. Sed nota quod ipse Deus psallebat, & saltabat ad sonum sibi datum ab electoribus. Non tales sint prælati, ad aliorum, scilicet sonum, nutum, vel arbitrium in rebus illicitis respectu humano obedientes. Sit prælatus qui non patiatur ligari sibi vtranque manũ dextram scilicet, & sinistram: quòd videtur facere intendisse mater illa filiorum Zebedæi, apponendo alterum filium à latere dextro, alium vero à sinistro, vt vtranque manum prælati dextram, & sinistram colligaret Discat ex responso ibi à Christo Domino prælatus, petita illicita negare iterum atque iterum: vt ibidem (aliàs liberalissimus Dominus) dixit: *Non est meum dare vobis* Sit prælatus qualem etiam Pharisæi inimici confitebantur esse Christum Dominum Matt. 22. dicentes: *Non est tibi cura de aliquo* & non respicis personam hominum. Nõ curas de aliquo, homine scilicet; nec de respectu humano honorifico, pecunioso, consanguineo, & similibus: sed solam veritatem, ac rationem respicis. Sit prælatus qui suis electoribus illicita postulata non concedat etiam cum vitæ periculo. Exemplum illustre sit in beato Martyre Thoma Cantuariense Episcopo: qui cum antea esset Cancellarius Regni cũ magna Regis, & populi acceptatione (teste Surio in sua historia) *procurauit Rex Henricus hominem sibi deuinctum, fieri Archiepiscopum, (ait Surius) sibi persuadens ad omnia sibi in Episcopatu obsecuturum*

Prælatus sit liber, & quomodo non captiuandus.

Deus falsus Apis quomodo eligebatur.

Matt. 20.

Matt. 22.

S. Thom. Cantuariensis Episcopi zelus & integritas

turum Thomam. Fefellit tamen illum sua falsa, & terrena fiducia: Inuictus enim martyr, prælatus libertimus electori suo, vel procuratori suæ electionis restitit vsque ad effusionem sanguinis. Sit denique prælatus vt Iudex ille de quo refert Pyerius in Hierogliph verb. Bulla, portasse ad collum suspēsam imaginem bullam (id est *como relicario*) in qua depicta erat, veritas, & circa veritatem libri legis. Hoc solum prælatus gestet ad collum, & pectus, veritatem, & legem. Non portet ad collum respectus humanos, sanguinis, carnis, & mundi Gestet ad collum (tanquam alter sum sacerdos Aaron) in rationali iudicij omnia nomina filiorum Israel sculpta in lapidibus prætiosis, & sciat se omnium subditorum suorum esse æqualem patrem, eorumque animas, & vtilitatem æqualiter tanquam pretiosos, & exquisitos lapides æstimaturum Aequaliter dixi; tenetur enim ex proxime dictis non accipere personam hominis. Sufficiat per hoc dictum Virgilij 10. Æneidos, quo loco inducit Iunonem fauentem Rutulis, & venerem fauētem Troyanis coram Ioue quibus auditis Iuppiter respondit *Tros Rutulusue fuat nullo discrimine habebo. Rex Iuppiter omnibus idem.* Vide dictum Gentilis


Prælatus quid ad collum gestare debeat.

Dei, seu conceptum Virgilij: quidquid sit de dissidijs, scissuris, & factionibus contrarijs, sum Rex, id est sum prælatus, siue sit fullanus, siue oppositus fullanus, nullā faciam differentiā, & personarum acceptationem: Rex Iuppiter omnibus idem. Quam æqualitatem si prælatus seruauerit, cum reliquis præcedentibus, erit nobis pax, & post tunc dabit Dominus per suam misericordiam gratiam, & gloriam, Amen.

Adhuc pro maiori explicatione propositi thematis, *erit vester seruus*, potest videri glossa in cap. 1. de sum. Trinit. & fide Catholica, ad illa priora verba, *Episcopus seruus seruorum Dei*, vbi præterquam quod citat legem in qua Imperator se nominat seruum: dicit Papam summum Prælatū etiam dici seruum, quia iuxta leges ibi citatas, sicut per seruum acquiritur Domino (id est, lucratur Dominus) ita per Papam Ecclesia acquirit, id est lucratur. Talis ergo debet esse prælatus vt per illum subditi lucrentur, non amittant. In malo vero prælato Ecclesia multum perdit, & iacturam incurrit: si enim malus fuerit, eueniet illi id quod Apocalyp. 12. dicitur de dracone (id est principe Dæmone, vel Antichristo) cauda sua, id est malo exemplo, & suasione, traxisse tertiam

tiam partem ſtellarum, & ſubditorum in infernum, & alia multa facile erit inuenire de damnis cauſatis à malo prælato.

Videri etiam poteſt gloſſa in cap. 1. ſexti decretalium, ſiue in proœmio capitis, ad eadem verba Papæ, *Seruus ſeruorum Dei*, vbi dicitur Papam, & proinde prælatum, eſſe quidem ſeruum: ſed tamen eſſe ſeruum illorum qui Deo ſeruiunt, & ſancti ſunt. Illis vero qui Deo non ſeruiunt, non ſeruire, neque illorum eſſe ſeruum ſed iudicem, vt illos ſcilicet iudicet, puniat, & per correctionis pœnam ad viam veritatis reducat. Dic de varijs modis quibus debet prælatus procedere cum ſubditis, modo caſtigando, modo ſuadẽdo, modo præmiando, &c. & ibi dicitur D. Gregorium Papam fuiſſe primũ, qui hoc titulo vſus eſt, *Seruus ſeruorum Dei.*



SERMO II.

IN CELEBRATIONE CAPITVLI.

THEMA.

Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit inſipienti honorem. Prou. cap. 26.

HAec verba ſic explicantur. Qui in electionibus confert honorẽ ac prælaturas indigno, ita ſe habet ac ille qui mittebat lapidem in aceruum Mercurij.

Et quidem, quod inſipiens hic ſignificet indignum patet ab oppoſito. Nam ſapiẽtia in ſacris litteris

litteris & prophanis duo significat: primo ſcientiam per ſtudiũ acquiſitum: ſecundo ſignificat donum Spiritus ſancti quod dicitur ſapientia: & hoc donum pertinet ad donum gratiæ ſanctificantis, hæc enim ſapientia cum gratia infunditur, & cum gratia per peccatum mortale aufertur: iuxta illud Sapiētiæ 7. vbi cum de theſauro ſapientiæ ſit ſermo, dicitur: *Quo qui vſi ſunt participes facti ſunt amicitiæ Dei.* Qui enim diuinam amicitiam participant, gratiam ſanctificātem habent. Cum ergo ſapientia ſignificet ſcientiam in intellectu, & gratiam ſeu virtutes in voluntate: Ab oppoſito, inſipientia eius priuatio, ſignificabit carentiam ſcientiæ, & carentiam gratiæ, charitatis, ac virtutis: ac proinde inſipiēs erit is qui caret ſcientia, & charitate & virtutibus: idemque inſipiens indignus ad honores cenſebitur, quorum honorum ac dignitatum is tantum dignus habetur qui habet ſcientiam, prudentiam, cum virtute, morumque probitate coniunctas. Quod vero tangitur in poſitis verbis thematis de aceruo Mercurij, tres habet præcipuas expoſitiones. Prima & communior, alludit ad conſuetudinem illam antiquorum, qui Deum Mercurium ponebant in occurſu, Alciat. Emblem. 8. ſeu concurſu multarum viarum, vt digito monſtraret, ac quaſi diſcerneret cuique viatori viã qua ſibi foret eundum In cuius oſtēſionis gratiam quilibet viator ad pedem ſtatuæ Mercurij mittebat lapidem, quaſi gratus ob beneficium, & ſic ad pedes ſtatuæ creſcebat aceruus lapidum: eo pacto quo Chriſtiani itinerantes ad pedem crucis in via poſitæ lapides inijciunt. Et iuxta hanc primam expoſitionem ſenſus thematis eſt: qui confert honorem indigno exercet actum peccati, & quaſi idololatra eſt, ſicut ille qui falſo Deo Mercurio, honorem Dei tribuit iniectu lapidis, cuius honoris Mercurius indignus eſt.

Sap. 7.

Sapientia quid ſignificet.

Quis ſit dignus ad honores.

Secunda expoſitio eſt iuxta litteram Hebraicã, & ſeptuaginta Interp. qui nomen, margema, â vulgata dictũ aceruus lapidum, dicunt ſignificare fundam; vt ſit ſenſus: qui dat honorem indigno ita ſe habet, vt ille qui ligat lapidē in funda. Sicut enim qui lapidem ligat, in funda facit lapidem in terra prius iacentem quaſi vi in altum ſurgere, & aliquando accidit vt lapis fundæ & caſu feriat eundē fundibulariũ, & alios in quos iacitur: eodem modo qui dat honorem indigno, eum quaſi è terra iacentem ſuſtollit violenter quidem & vi brachij, reclamante conſcientia

propria & aliorum: sæpe que contingit, vt taliter indignus violenter electus lædat, & affligat ipsos electores & alios qui se nõ elegerunt.

Tertia expositio est vt nomẽ Hebraicum, margema, significet purpuram, & eodem recidit: sitque sensus: Qui dat honorem indigno, ita se habet ac si petram vel statuam marmoream vestiat purpura quæ solos Reges & Imperatores vestiebat: facitque proinde actum indignissimum, honorẽ seu purpuram, ac prælaturã, indigno conferẽs qui non homo, sed quasi petra est.

Ex his omnibus expositionibus recte cõsideratis possumus addere illum qui lapidem mittebat in aceruum Mercurij, vel in fundam, vel in purpuram, hos omnes sequentes actus exercuisse malos, ac vitiosos. Primo, lapidis iniectu honorabat Mercuriũ ob viæ ostensionẽ, cum reuera Mercurius viam totam non ostẽderet manebat enim immotus, nõ præibat comes viæ, difficultates viæ sequẽtis ostensurus; sed manẽs, immotus digito solũ ad paruã distantiam ostendebat. Secundo iniectu lapidis dupli ci modo honorabat lapidem: marmoream scilicet statuam, & præterea lapidem in aceruũ iniectum, quẽ é puluere leuabat, & loco sublimi collocabat. Tertio, eodem lapidis iniectu edebat strepitũ, ac sonitũ cæteros aceruí lapides concutiendo: & præterea causabat multorũ lapidũ aceruí casum ac descensum, qui noui lapidis iniecti concussione ex aceruo cadebant. Quarto tandem, (quod proprium nostrum intentum est) dabat honorem indigno: honorem namque diuinum conferebat Mercurio falso Deo. Hos omnes quatuor actus suo modo exercere ostendemus eũ qui pro indigno fert suffragiũ, eique honorẽ per electionẽ confert, maxime in capitulis generalibus & prouincialibus, in quibus honores ac dignitates per electionẽ conferuntur, plus minusue iuxta diuersarũ Religionũ consuetudinẽ: eligũtur enim saltẽ Generales vel Prouinciales: & aliquando etiã Diffinitores, prælatique locales, Priores, Guardiani, aliæque similes dignitates alijs deferuntur.

Primus actus. Secundus. Tertius. Quartus.

Primo igitur honorem dans indigno per electionẽ, quasi Mercurium falsum Deum, falsumque prælatũ eligit: qui electus indignus nõ potest mõstrare viam legis diuinæ, præeundo coram subditis, docens & simul faciẽs quæ docet. In hoc quidem veteres veritatem attingebãt quodam modo, ductorem viæ faciẽtes Mercuriũ qui ab illis credebatur Deus eloquẽtiæ, ac Deorũ Nuncius.

Electio indigni.

Matth. 5.

Matt. 23.

Prælatus debet præire.

Nazian. Tetract. sent. 4.

Nuncius. Sed illa marmorea statua vt diximus, viã ostendebat nõ præcũdo, sed manẽs immota, soloque digito monstrãdo. Eodẽ modo prælati officiũ est viã Dei verbo, & opere monstrare, iuxta illud Matth. 5. *Vos estis lux mũdi, & videãt opera vestra bona.* Ille tamen qui indignus electus est, qui proinde neque habet scientiam & prudentiã, neque charitatem, morũ probitatẽ, ac virtutes: vel viã Dei nõ ostendit quia scientia caret: vel scientia plenus, & virtutibus carẽs solo verbo, & solo digito viã cæli prodit: nõ præit operibus & exẽplis, quæ valde primoue, in prælato requirũtur, vltra scientiam Similes omnino sunt isti Pharisæis qui Matth. 23. nullo animarũ zelo ducti, sed vanitatis, ac proprij cõmodi cupidi, *alligabãt onera grauia, & importabilia eaque imponebãt in humeros hominũ digito autẽ suo ea neque quidẽ mouere volebãt.* Solo digito ostẽdebant vt Mercurius in via, non mouebãt neque tantillũ exequebãtur operãdo. Gregor. Nazian. Tetract. senten. 4 *dicit eum prælatũ qui docet, & nõ facit, vna quidem manu trahere, alia vero impellere* Trahit quidẽ subditos vna manu, verbo scilicet vocãdo, sciẽtia exhortãdo: alia vero manu, otio videlicet omissione operis boni, vel cõmissione operis mali, ad ruinã impellit: imo & quasi cogit. Mala namque Prælatorum exempla non solum mouẽt, sed quasi cogunt ad simile perpetrãdum, iuxta illud Pauli ad Galat. 2. D. Petro dictum: *Gentiliter viuis cogis gentes iudaizare*: Nõ persuades o Petre iudaizare Gentiles, sed cogis. Idem Nazianzen. orat. in S. Basylium de eod Basylio dicit: *Nihil vnquã præcepisse suis quod non faceret prior.* Id ipsum traditur de Iulio Cæsare: nũquã suis militibus dixisse, *Ite, sed venite*, id est me præeuntem sequimini in omni labore à me vobis præcepto Quod adeo suorũ militũ animos conciliauit, vt nõ solũ per illos difficiles, ac multas sibi pareret victorias: sed etiã ipsum è simplici milite Imperatorem Romanũ ipsi eligerent. D. Chrysost. hom. 17. in cap. 3 Ioan. dicit Gentiles quidem ad sui conuersionem *non adeo moueri, seu trahi miraculis factis à prædicante: quã vita immaculata ipsius prædicantis, quam præcipue charitas ornat.* Idque probatur quod multi sæpe Gẽtiles miracula facta à prædicãtibus fidẽ, per artem magicam, diabolique virtutẽ fieri calumniabantur: at vero inculpatã & sanctam prædicatoris vitam nõ poterant incusare. Vere quidẽ incusare, imo & ridere possumus prælatum Religionis qui tanquam Mercurius sedens immotus non opere, sed digito tantũ.

Galat. 2.

Nazian. Exẽpla mala prælati cogũt

Chrysost.

Plus vita bona prædicantis, quã ipsius miracula manent.

docet viam chori, viam ieiunij, viam silentij, viam orationis, viam denique regulæ, ac statu torum suorum ipse vero immotus manet, nihil, vel parum de prædictis exequens quin potius cõmuniter omnia in oppositum faciens. Diogenes Laertius lib.6. dicere solebat, *quod illi qui recta dicebant ore tantum, & non faciebant: similes erant citharæ: quæ quidem optime sonat, sed non audit*. Vnde cum aliquando videret quendam stolidum aptantem psalterium dixit: *Et non te pudet sonos aptare ligno cum ad vitam mores non componas?*

Diog. 6.

Prædicans & non operans, similis citharedo.

Secundo adorans Mercuriũ, vel lapidẽ in eius aceruum, aut fundam mittens, honorabat lapidem illum é puluere leuans, & in sublime locãs: Idque etiã violẽter in funda, vel alto aceruo reponẽs: & aliquãdo id faciebat lapidi à quo ipsomet in via læsus fuerat, vel à quo alij læsi fuerant, & quem ipse, vel alij pedibus antea conculcauerant Hæc omnia facit indignum per electionem ad honorem euehens, lapidem honorat ac sustollit, hominem enim indoctum, imprudentem, malæ vitæ ac famæ, qui more petræ nec discurrit neque boni aliquid operatur, hũc eligit, & ad honorẽ euehit: (Idẽ intellige si se pariter indignũ procurat eligi) idque fere semper procuratur per vim, ac violentiam, reclamante scilicet conscientia propria: resistente etiã timoratorũ clamore ac zelo, alijsque difficultatibus superatis: imo & quod maius est sæpius indignum quis eligit à quo ipsemet eligẽs læsus fuerat, multique alij afflicti. Vnde tandẽ iusto Dei iudicio euenit, vt prædictus indignus electus ipsũ eligentẽ postea lædat, ac cõterat, tanquã lapis fundæ fundibulariũ feriens. Hæc omnia ostendamus, per quas difficultates Architophel 2.Reg.16 & 17. voluit eligere Absalonẽ indignissimũ in Regẽ Israel? suasit primo mediũ difficillimũ, vt Absalon dormiret cũ cõcubinis patris sui coram vniuerso Israel Consuluit vt filius patrẽ suum, & regno, & vita spoliaret. Obtulit se ad congreganda duodecim millia virorũ ad persequendũ Dauid: cõtra has omnes difficultates faciẽ obfirmauit vt Absalonẽ indignum, petram, & plusquã petram in Regem eligeret. Idem firme videre licet 3. Regum 1. in Ioab & Abiathar Sacerdote, qui pariter volebant creare Regem Adoniam filiũ Dauid facientẽ currus, & equites, idque in cõsulto Rege Dauid viuẽte: quod erat difficillimũ: sciẽtes præterea, vel scire debentes regnum diuino oraculo promissũ esse Salomoni pacifico, nõ Adoniæ turbulento &

Mala quæ facit elector indigni.

2.Reg.16. & 17.

3.Reg.1.

to & ambicioso: scientes etiam robur exercitus Dauid non esse cũ Adonia. Quin & certissimũ est, omniũ prædictorũ conscientias reclamare debuisse, eo quod indignũ eligerẽt, & digniorẽ omitterent. Denique (quod supra diximus) iusto Dei iudicio sæpius accidit, vt ille indigne electus postea suos electores affligat, cõterat, & pessundet. Clarũ præsentis rei exemplũ habetur Isai. 30. Vbi Dominus conquestus de populo Israel quod speraret in fortitudine Regis Aegypti, & in eius auxilio fiduciã poneret: eidẽ populo suppliciũ, & minas intẽtans, ac prædicens, quod spes illa ipsis cederet in ignominiam, & confusionẽ: iubet Isaiæ vt prædictam cõminationem scribat, & exaret non in lamina ferrea, plũbea vel cedrina, sed in buxo, vel super buxũ: eo quod buxus florem pulchrum, & oculis spectabilẽ profert: ad quem apes pulchritudine illectæ occurrunt: illumque in aluearia deferentes, magnum detrimentum cæteris apibus afferunt, ob occultam & nociuam prædicti floris qualitatem. Itaque apes ex buxo cuius ad florem lætæ conuolant, & in quo confidebant, iacturam magnam postea percipiunt. Hoc ipsum videas in multis male eligentibus indignos, in quorũ electiones læti & hylares consenserunt carnali affectu seducti, indeque commoda multa, & consolationes sibi promittentes: iusto Dei iudicio postea ab ijsdem indigne electis multas molestias recipiunt. De quodam magno principe seu prælato (cuius nomẽ honoris gratia sileo) historiæ publicæ prodũt, quod cum filium suũ, forte indignũ, ad titulos, & honores sæculares eueheret: idẽ filius postea eidẽ patri inobediẽs & in multis indigne se gerẽs. tãtam molestiã, ac tristitiam eidem patri attulit; vt pater ea de causa præ tristitia se consumi paulatim videns: illud Psalm. 50. sæpius secum repetebat: *Et peccatum meum contra me est semper.* Peccatum .s. comissum in mala filij promotione ad illos honores ac dignitates: & huius causa generalis est, quoniam Psalm. 52. Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt quoniam Deus spreuit eos, suffragium suum in electione dederũt vt placerẽt electo indigno, vel amico consulenti, inde sperantes retributionem. Confusi ergo sunt a sua spe, & Deus tristitijs, & laboribus eorum ossa cõminuit, quoniam non Deo sed hominibus placere studuerunt.

Isai. 30.

Buxus quid significet.

Apibus buxus nocet.

Psal. 50.

Psal. 52.

Placentes hominibus puniũtur.

Et certe mihi cogitanti causas ob quas electores sæpe eligant indignum, vt petram, & in sublimi collocent: duæ præcipue

Causæ mouentes ad indignum eligendum.

cipue occurrunt: prima est, fundata in ambitione, vt videlicet, siquidem ipsi male eligentes per se ipsos imperare nequeunt, saltē per ipsos male electos, & sibi obligatos; eo quod ipsos in eo honore constituerint, imperent, ac dominētur; fidentes quod male electi ob electionē obligati, & aliàs inhabiles ad regendum, ad suos electores submissi recurrāt, eorumque volūtati in omnibus obsequātur. Huius exemplū habemus in illis ipsis Iudæis & Scribis, qui Ioann. 1. omisso Christo Domino sanctiori, sapiētiori, nobiliori ex Tribu scilicet Iuda, & miracula tāta patrante vt postea viderunt. Ad Baptistā legationē mittunt, malitiose iuxta Chrysost. hom. 15. in Ioan. & iuxta Euthymium ad eundem locum: ex qua Iudæorū maliciosa legatione, & oblatione suspicari possumus ipsos Ioannē incapacē præeligere voluisse, vt per suam illā oblationem, creationem, & electionē Ioannē propitiū, & pene deuinctum haberent, ne ipsos postea verbis redargueret: sed illorū in omnibus voluntati pareret. Quasi enim manicis ac cōpedibus quis aliū ligat, cum illi dicit ego feci te, ego suffragio meo, vel suffragijs elegi te. Hoc optime expresit Christus Dominus quando Ioann. 15. discipulis dixit: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis &c.* quasi diceret: Mitto vos in mundum, varijs laboribus, ac periculis expositos, quia a vobis non dependeo, neque vobis debitor sum, eo quod non me vos elegistis: imo è contra, libenti, ac prompta voluntate in his mihi obedire debetis, quoniam ego sum qui elegi vos. Bernar. lib. 4. de considerat. ad Eugenium de hoc ait sic: *Et tunc potissimum volunt dominari cum professi fuerint seruitutem.* Romæ illi Cardinales qui ab aliquo Summo Pōtifice promouentur ad Cardinalatū dicūtur simpliciter creaturæ illius Papæ qui eos Cardinales fecit. In quo cōmunis loquendi modus innuit quantum Cardinalis electus debeat Papæ eligenti: eius enim se agnoscit creaturam, & ab illo Papa se eligente quasi pendere, sicut creatura pendet à Deo creatore: quanuis dependentia à creatore, multo diuersa sit.

Ioan. 1.

Ioan. 15.

Electus ab alio manet deuinctus illi.

Creaturæ dicuntur electi ab aliquo respectu pendentiæ ab illo.

Secunda causa ob quam sæpe eligit quis indignum & inhabilem, est quia à tali electo munus aliquod sperat accipere qualecunque illud sit. Et quod magis mirandum est in viris alioqui valde Religiosis hoc aliquādo reperies. Hoc quodammodo in sancto illo sene Isaac Genes. 27. licebit inspicere, qui Iacob filio dignissimo primogenituræ

Gen. 27.

Eligentes ob munera quæ sperant.

nituræ titulum conferre recusabat: & Esau indignissimum volebat eligere, illectus quodammodo cibo illo, vel pulmento quod à filio Esau ante primogenituræ collationem postulauit. Id cōsiderauit allegorice Rupertus ad eundem Genes. locū. Ruperti verba inter alia sunt hæc: *Isaac requirens cibatum ex venatione &c personam gessisse videtur eorum qui propter commoda vel obsequia fauorabiliter aliquos ordinare, & promouere contendunt.* Imo addit clarius Rupertus, Isaac senem, & oculis caligantem, significare prælatos aliquos qui vel curis exterioribus immodicis caligantes, vel terreni pulueris affectu illecti, indignos aliquando promouent. At Rebecca videlicet mater Ecclesia, acutius in hoc quam prælati senescentes inspiciens, clamat, procurat legibus Canonicis, particularibus statutis ac mandatis, ne Esau indignus eligatur: sed Iacob dignissimus ad honores promoueatur. Mitto alia multa commoda temporalia quibus homines duc ti, & obcæcati mouentur ad eligendum indignum: hæc enim prope infinita, varia, & quotidie peruia sunt. Vnum tantum referam etiam quotidianum sed forte non satis consideratum quale peccatum sit. Et hoc committitur quando quis alium eligit pacto inito vt ab ipso electo ad aliud officium eligens ipse eligatur: seu quod eodem recidit: fit conuentio ad inuicem vt vnus pro altero diuersis in officijs suffragium ferat. Quod sæpe explicite vel implicite multos facete experientia constat. Fortasse non aduertentes claram in eo committi Simoniam, teste Nauarro in Sùmma latina cap. 23. num. 100. §. 11. quod duplex est simonia: & Rodriguez tom. 3. qq. Regul. quæst. 63. artic. 4. & Vega in Summa morali 2. p. verb. Simonia casu 12. col. 914. Cuius ratio clara est, quia in eo permutant & quasi vendunt ad inuicem rem spiritualē, vel quasi spiritualem, quale est suffragiū electiuum.

Simonia est suffragium dare pro suffragio.

Tertius actus eius qui lapidē in aceruum Mercurij misit, fuit primo strepitum, ac fragorem edere simulque ruinam tam iniecti lapidis quam cæterorū præexistentium causare. Hoc eodē modo eligens indignum primo causat sonitū, clamorē ac scādalum in populo, & præcipue in viris timoratis dū vidēt indignos assumi & digniores præteriri. Cū illi duo discipuli Iacobus, & Ioan. Matt 20 dextræ atque sinistræ manus locū, à Christo Dño petierūt: addit Euāgelista, quod

Scandalū causat electio indigni.

Matt. 20.

decem indignati sunt de duobus fratribus: Quia videlicet, vel illam dignitatem postulabant, vt minus digni, omisso Petro digniore: vel quoniam saltem modo ac ordine indebito prætendebant: ideo indignati sunt decem, quod idem est ac si fuerint scandalizati. Quando in corpore humano os aliquod extra suum locū, seu iuncturam est, grandis & peracutus dolor, & querimonia totum corpus conturbat. Ecclesia corpus est misticum: quoties ergo in membris eius accidit, vt pes verbi gratia, vel brachium sit extra suam iuncturam, vt si loco capitis ponatur pes: & indignus homo qui inter pedes Ecclesiæ locandus est, in capite, & prælaturæ Ecclesiæ ponatur, non potest non grandis dolor, querela, seu scandalū mentes fidelium vulnerare. Secundo quod ipse electus indignus, acceptās dignitatē maxime si illam antea procuret, eo ipso ruat, & cadat in peccata: habetur ex illo Ezech. 3. *Sanguinem autem eius de manu tua requiram*, id est, tu pastor populi peccata non emendans, populi mei, mortem, pœnas dabis: sanguinem enim alicuius requirere in sacra Scriptura, est mortē alicuius vlcisci: Innuit ergo ibi Dominus ob mali prælati in curiam Christi oues spiritualiter mori: hācautē

Indignus electus est os in corpore extra iuncturā.

Ezech. 3.

Quid sit Deum sanguinem requirere de manu alicuius.

ouium spiritualem mortē, eundem prælatum luiturum. Hoc ipsum Luc. 6. Christus Dominus significauit dicens: *Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foueam cadent?*

Quod denique malo gubernante prælato, tam ipse, quam subditi cadant, magnamque iacturam subditi incurrant, disertissimis, & copiosissimis verbis D. Gregor. docuit præ omnibus alijs, hom. 17. in cap. 10. Luc. dicens: *Nullum autē puto fratres charissimi ab alijs maius præiudiciū, quā à Sacerdotibus tolerat Deus: quando eos quos ad aliorum correctionem posuit dare de se exempla prauitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui cōpescere peccata debuimus*: & multa alia luculente in eandem sententiam. Ad eundem sensum potest explicari illud Psalm. 103. *Posuisti tenebras & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ*: quasi dicat, in cathedra prælati locandus erat is qui esset lux, & lucerna: Tu vero indignum eligens posuisti tenebras, hominemque vitæ tenebrosæ, & obscuræ: facta est ergo nox, gubernante pertransibūt bestiæ syluæ: id est omnes malefactores transibunt absque supplicio, & malus prælatus cum his omnibus patienter pertransibit, dissimulans & nō emēdans Audiui quod lucerna recenter extincta,

Damna causata à malo electo

Psal. 103.

Lucernæ extinctæ fumus causat abortiū equos, & nocet naribus sic malus prælatus.

suo

suo fumo, ac tetro odore prægnantibu equis valde nocet, eisque aliquãdo abortũ causet: & saltẽ experiẽtia cõstat, eũdẽ odorẽ valde humanis naribus infestum esse, eodem modo prælatus malus, qui nõ est lucerna lucens per bona exẽpla, sed est lucerna extincta & mortua proh, quoties suæ malæ vitæ odore abortũ spiritualẽ causat in multis animis subditorũ, vel dissuadens bona, vel suo vitioso otio cessationem boni operis causãs, vel denique malo vitæ odore multis fastidiũ spirituale, & scandalum graue ingenerans? Malum prælatũ in Ecclesia Dei propter mala quorum est causa & origo, vocare possumus *Abominationem desolationis stantem in loco sancto*, Matthæi 24. Si enim iuxta Diuum Ieronymum ad illum locũ, abominatio significat idolum: & Zachar. 11. *Malus pastor dicitur idolum*: bene possumus malum pastorem vocare idolum in Ecclesia, siue abominationem stantem in Ecclesia loco sancto, abominationem inquam desolationis, quia videlicet vniuersa suo malo exemplo, ac regimine desolatur. Facit nempe in Ecclesia desolationem illam de qua Dominus conqueritur Ezech. 34. *Quod crassum erat occidebatis quod infirmum fuit non consolidastis: & quod ægrotum non sanastis: quod perierat non quæsistis sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia: Dispersæ sunt oues meæ & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri*: & multa alia ibidẽ. Quæ quidem omnes mali prælati actiones, & omissiones merito abominatio desolationis dicendæ videntur.

Matt. 24.
Malus prælatus est abominatio desolationis, & idolum.
Zach. 11.
Ezec. 34.

Restat vltimo quartus actus adorantis Mercurium, honorẽ scilicet diuinũ indigno tribuẽtis, applicandus ad præcipuum nostrum intentum, videlicet quod indignum eligens, honoret indignum, & honores insipienti & indigno per electionẽ conferat, quod semper peccatũ mortale est, & nunquã licitũ. Quã enim absonũ est, vt Ecclesiæ officia, & beneficia, quæ vocantur dignitates, indignis hominibus conferantur? Dignitates nempe ideo vocãtur quia dignis hominibus dandæ: contra rationis ergo præscriptum facit qui donat indignis. Hoc est suo modo margaritam donare porcis, & coincidit cum alia quarta expositione illius verbi Hæbraici, Margema, initio positi, quod aliqui vertunt, lapidẽ pretiosum: quasi mitteret lapidem pretiosum in aceruum Mercurij, & in nostra materia, ille qui prælaturam, prætiosam Ecclesiæ margaritã donat indigno, suo modo dat margaritam porcis. Iudicum 9. *Quod ierunt*

Officia & beneficia Ecclesiæ, cur dicantur dignitates.
Eligens indignum dat margaritam porcis.
Iudic. 9.

Ierunt ligna vt vngerent super se Regem. Et quamuis essent ligna inanimata, & intellectu carentia primo loco digniorem cæteris arborem elegerunt, oliuam scilicet, præ omnibus forte magis proficuam ac necessariam: quæ videlicet olei productione, per quod lux lucernæ viuit, quasi significabatur verus ac dignus Ecclesiæ prælatus, lux a Christo D. nuncupatus. Et tamen videmus rationales homines sæpius in prælatum eligere non oliuã, sed sycomoros, aliasque arbores seu homines infructuosos, non Dei Ecclesiæ, sed illorum commodis & affectibus pro futuros. Refert Baronius tom. 1. Annalium anno 55. cap 82. in primitiua Ecclesia officium Cursoris, fuisse officium Ecclesiasticum; illi scilicet deputatum, qui quasi tabellarius Ecclesiæ tempore necessitatis deferebat epistolas in varias prouincias ad vocandos Episcopos, conciliumque cogendum, ad Ecclesiæ necessitates subleuandas Ad creandum hunc cursorem tanta diligentia & inquisitio præcedebat, vt ibidem Baronius citet testimonium B. Ignatij martyris ad B. Policarpũ, sic de cursoris electione scribentis. *Decet Beatissime Policarpe, concilium cogere sacrosanctum, & eligere si quem vehementer dilectum habeas, & impigrum vt possit diuinus appellari cursor*. Si ergo ad creandum cursorem, & fere tabellariũ Ecclesiæ, sacrosancto opus erat concilio, & hominem quærere vehementer dilectum & ob virtutes talibus Episcopis charum: Quodnam concilium, & consilium, & quæ disquisitio necessaria erit ad creandum dignum Episcopum, dignum Generalem, dignum Prouincialem? Chrisost. 4. de sacerd. præmittens nõ posse excusari electores dicendo se ignorasse talem esse indignũ, ait. *Nam quomodo id absurdum non sit, eos qui mancipium aliquod empturi sunt; id tum Medicis ostendere, tum emptionis sponsores postulare tũ vicinos interrogare*. Huius oppositum, creare scilicet indignum, erit conformari illi tabellæ a quodam malicioso irrisorie depictæ; In qua erat arbor in duos ramos diuisa: in quorum altero erat asinus cum pileo doctorali amictus: & in altero ramo, erat lupus virgam iustitiæ manu tenens. Nõ sic profecto non sic in illa arbore Nabuchodonosoris Danielis 4. in qua ignobilia animalia bestiæ que habitabant ad pedem subter eam. Volucres autẽ cæli digniores & subtiliores in ramis eiusdem morabantur loco nempe sublimiori. Qui nimo & gentiles adhuc fide veri Dei carentes, lumine tamen solo naturali ducti agnoscebant, in cathedra regiminis

Cursoris officium Ecclesia quale esset.

plus inquiritur ad seruum emendum, quam ad Episcopũ eligendũ. Electus indignus est asinus cũ pileo insignitus & lupus cum virga iustitiæ.

Daniel 4.

regiminis locandum esse, non tantum dignum; neque tantum digniorem sed etiam dignissimum, & optimum. Hic fuit Alexander ille magnus, qui referente Quinto Curtio lib 6 cum morti vicinus, & Babilone iam moribundus rogaretur ab amicis quem Imperij sui designaret hæredem respondit: Optimum. Idem sexto post die præclusa voce exemptum digito annulum (imperiali scilicet sigillo signatū) tradidit Perdicæ. Estimabatur forte ille Perdica optimus, & ideo ipsi tradidit annulum Imperialem; tali signo illum creans Imperatorem quod optimum reputaret. Quæ omnia obfirmētur tandem Canonica probatione Concilij Trident. sess. 24. ca. 1 de refor vbi monet omnes habentes ius in electionibus nihil vtilius posse facere Ecclesiæ Dei quam bonos pastores eligendo: & electores participes fieri alienorum peccatorū nisi elegerint digniores: idque non precibus, humanis nec affectibus, aut ambientiū suggestione, sed habito respectu ad maiora merita eligendorum. Quæ quidem vere videntur verba Spiritus sancti, & nulla ad præsentem materiam dici possunt, vel desiderari opportuniora. In quibus præcipue duo considera; primum peccare mortaliter non eligentem digniorem, quod in proxime dictis iam monuimus. Secundum, nō solum eligendum dignum, sed digniorem. Quæ adhuc magis firmantur exēplo terrifico, illius Cardinalis alias sanctissimi Paschasij de quo narrat Greg. Papa li. 4. Dialog. cap. 40. multa magnalia. Hic tamen humanū quid passus, cum in quadam electione Sum. Pontif. fauisset cuidam Cardinali Laurentio, contra Symachum postea Papam; Apparuit cuidam Episcopo Capuano in Balneis post mortem suam: eidem Episcopo dicens, se in caloribus illius balnei diuina Iussione purgatorium pati; quia in parte Laurentij contra Simachū senserat: & pro Laurentio, minus videlicet digno, suffragium dederat.

Eligendus non tantū melior, sed optimus.

Sed quoniam toties in præcedentibus digniorem, seu dignissimum eligēdum inculcauimus; quæres; quisnam dignus vel dignissimus censendus est? Respondeo, ex iure Canonico, ac Theologia, eum dici dignum, qui sciētia, & moribus, & vitæ exemplo magis possit prodesse. Cuius rei magis explicandæ gratia, sequētes conditiones ad bonum prælatum considero: prima vt in intellectu habeat scientiam per litterarum studium acquisitam. Cui potest annecti prudentia naturalis, & quasi innata naturaliter

Conditiones requisitæ ad eligendum dignum.

Prudentia naturalis æquiualet & præualet scietiæ acquisitæ.

ter boni regiminis industria, quæ sæpe scientiæ per studium acquisitæ æquiualet, & aliquando præualet. Secunda conditio est, vt in voluntate habeat virtutes morales iustitiam scilicet humilitatem cæteraque morales: imo & infusas a Deo caritatem nempe Dei ac proximi, per quas bene dirigatur ad Deum, & ad proximum propter illum, & hæ duæ conditiones vocari poterunt essentiales prælato. Tertia conditio addi potest vt accidentalis, videlicet experientia. Quarta Ætas plurium annorum. Quinta sanguinis nobilitas: quibus aliæ possunt adiungi minus necessariæ, magisque accidentales. Et quidem is qui omnes prædictas circunstantias habuerit perfecte maxime duas priores essentiales scientiæ, prudentiæ, & virtutis Dignus, & dignissimus iudicabitur.

An sit præ eligendus virtuosus sine litteris; & ante ponendus doctissimo sine virtutibus

Percontaris adhuc: ex duobus, vnus habet perfectissimam scientiam acquisitam, ac prudẽtiam naturalem, caret tamen virtutibus. Alius habet virtutem perfectam morumque probitatem, caret tamen scientia: neque occurrit alius qui pro tunc eligi cõmode posit: percontaris inquam, quis nam eorum alteri præferendus sit, & eligendus? Responderem absque dubio eligendum potius probum, ac virtute præditum indoctum, alterũ vero relinquendum. Quando Christus Dominus ouium suarum curam petro cõmissit; non illum examinauit de scientia, sed de charitate: ab illo requirens *Ioan 21, Si se Christum plus cæteris amaret:* Innuens fere, facilius esse Deo, nostro modo loquendi, nostrum intellectum mouere donando scientiam; quam mouere voluntatem donando gratiam, adde quod sæpe charitas per voluntatem id assequitur, & fere intelligit, quod intellectus per sciẽtiam non percipiebat. Significauit itaque Christus D. in trina illa intertogatione, postulatione ve charitatis, plus conducere in prælato Dei charitatem & proximi, quam solam scientiam. Video quasi ex Euangelio hoc posse deduci, aliquando scilicet charitatem, & amorem plus assequi quam intellectus intelligat Christus D. seu verbum D. dicitur sapientia: & per tres annos in tam multis discipulos docuit sufficiẽtissime & nihil ominus de Spiritu sancto venturo sic promisit Ioan. 14. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quacumque dixero vobis.* vbi in textu græco pro, dixero, habetur dixi de præterito. Quæro ergo: Non ne Christe Iesu discipulos per tres annos satis docuisti: quomodo ergo, seu ad quid Spiritus sanctus debet

Ioan. 21.

Ad Papatum non est examinatus Petrus de scientia, sed de charitate.

Charitas aliquãdo plus intelligit quã scientia.

Ioan. 4. Spiritus sãctus per voluntatẽ procedẽs fecit melius intelligi quæ à Christo D. dicta fuerunt.

bet iterum illos docere quæ tu iam docuisti: Respondeo, Christus D. sapientia est per intellectum procedens: vt verbum est à patris intellectu Spiritus sanctus est charitas & amor procedens per voluntatem: & ideo quia amor, & charitas, iam dicta à Christo Domino fecit melius & clarius intelligi. Quod tandem dixi de prætermittendo viro doctissimo sine virtutibus: probo ex illo eleganti antiqui Zenonis dicto, qui teste Orosco lib. 3. Emblem. 9. dicere solebat *litteratos absque virtute similes esse monetæ falsæ quæ habet quidem litteras, regis ve nomen inscriptum: sed non habet pondus, vel debitum ac verum metalli materiam*. Vera namque moneta debet habere, & litteras, & pondus, seu materiam. At falsi litterati habent quidem litteras, sed carent illa grauitate seu illo pondere, qui secundum Augustinum dici potest amor Dei: amor meus, pondus meum: habent ergo hi falsi litterati litteras, sed non habent in quam pondus amoris Dei, nec pondus amoris proximi vt mediante illo amoris pondere in omnibus officij actionibus ferantur, ac moueantur in Deum, & proximum.

litterati sine virtute sunt moneta falsa.

De sanguinis tandem nobilitate duxerim aduertendum non esse adeo magnifaciendam per se solam, sicut à multis video magni fieri in ordine ad officia Ecclesiastica. Ego illam ex se, *comparo saccaro, i. o açucar*, quod in rerũ medicabiliũ compositione, scimus esse temperatũ, & quasi in medio positum, neque frigidum neque calidum: ac proinde si iungitur rei frigidæ facit frigidum: sicut cum iungitur rosæ frigidæ facit saccarum rosaceum frigidum. Cum vero iungitur rei calidæ, vt crustulis mali citrei, facit calidum. Ita de nobilitate intelligo. Si cum virtute iungatur, nimium prodest ad optimũ regimen: ipsa namque virtutem acuit, & quasi incitat ad præclarissima opera exequenda. Si vero e contra nobilitas sanguinis cũ vitijs in prælato societur, Deus bone, ad quæ mala incitat, quas strages per superbiam, & audaciam edit? Talem considero luciferum nobilem inter omnes Angelos; qua propter nuda nobilitas absque virtute impertinens ad prælaturam iudicanda est, glossa capitis quoniam 24. q. 1. ver. inuidia refert, quod cum duo certarent de electione, & alter allegaret ignobilitatem alterius: ignobilis respondit *Piscatori Petro fabri filio, successorem quærimus, non Augusto*. De hoc optime D. Chrysost. hom. 33, in genes. dicit: *illis qui in electionibus nobilitatem eligendi, præcipue respiciunt, contingere id quod accidit Loth qui discessurus*

Nobilitas respectu prælaturæ & sicut saccarum.

discessurus ab Abraham, elegit terrã Sodomorum ductus loci amenitate & fertilitate: terra tantum naturã, & non habitantium malitiam aduertens. Et postea se in tot periculis vidit constitutum. Sic qui, in electionibus solam nobilitatis amenitatem, & gloriæ splendorem attendunt, non autem in habitantem malitiam, se ac subditos postea multis exponunt periculis.

Prælati mali dantur ob demerita populi.

Non omittam adhuc aduertere, quod quando hi insipientes, & indigni prælati eliguntur, aliquando impletur illud, quod habetur 8. q. 1. cap. Audacter, ex D. Ieronymo dicente, aliquando Deum permittere vt mali prælati eligantur ob demerita, & peccata ipsius populi, sic exigentibus populi peccatis. Adducit ad hoc D. Ieronymus illud Oseæ 8. *Fecerunt sibi Regem non per me, Principem, & non per consilium meum*. Probat Ieronymus idem exemplo Saulis; quem constat ipsum Deum elegisse, & fieri iussisse Regem; sed tamen fuisse electum non secundum voluntatem Dei, sed secundum meritum populi peccantis. Et concludit sic Ieronimus. *Tale ergo intelligamus etiam in Ecclesijs fieri, quod pro meritis populi, aut in verbo, & opere potens, à Deo tribuitur rector Ecclesiæ; aut si malignum faciat populus in conspectu Domini, talis Ecclesiæ* Oseæ. 8.

iudex datur, sub quo famem, & sitim populus patiatur, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiẽdi verbum Domini Sic ibi. Facit ad idem, illud Isai. 3. *Et dabo pueros Principes eorum, & effæminati dominabuntur eis*. Vbi Dominus expresse loco supplicij cõminatur populo Israelitico, se illi malos, & effæminatos Principes destinaturum. Et adhuc clarius habetur apud Iob cap. 34. dicentẽ de Deo. *Qui regnare facit hominẽ hypocritam propter peccata populi*. Quem locum Iob explicans optime, sicut solet, Pineda tom. 2. super Iob. Hæc omnia sequentia tradit: primo ergo citat Plutarchum ad hoc intentum dicentem, *malos Principes à Deo dari aliquando, tanquam fel, & coagula animalium immundorũ ad curandos morsus peccatorum*. Verba Plutarchi sunt hæc lib. de Sera numinis vendita cap. 4. *Nimirum Deus quibusdam malis tanquam carnificibus vsus est ad sumendas de alijs malis pœnas, quod verum esse de plerisque tiranis arbitror. Quemadmodum enim fel, hyanæ, & phocæ, aliorumque fœdorum animalium coagula, aliquid habent ad sanandos morbos vtile; sic nonnullis morsu, & pœna indigentibus, Deus inijciens tiranni alicuius sæuitiam implacabilem, aut magistratus molestam asperitatẽ, non ante id quod excruciabat, sustulit, quam vitiosos morbo liberasset, ac purgasset*

Isai. 3.

Iob. 34.

Prælatus malus est fel. & carnifex Dei.

purgasset. Sic ille. Pulchrum ad hoc etiam seruit dictum Theognidis Megarensis, qui cum videret ciuitatem vitijs corruptam, & superbia, fastu, ac luxu quasi tumentem & prægnãtem, hæc verba dixit *Vterum fert ciuitas hac, timeo autem ne pariat virum correctorem mala insolentia vestra*. Sic ille. Si vero obijcias. Nonne D. Paulus ad Rom. 13. dicit. Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sũt Si ergo à Deo constituuntur Reges, & prælati, quomodo Deus eos aliquando pessimos, & peccatores, & peccaturos cõstituit? Ad hoc primũ dico quod Deus illos non constituit, eo fine vt peccent: sed presciens illos ex sua prauitate peccaturos, eorum mala voluntate permissiue vtitur, vt mali populi peccata castiget. Est hæc responsio conformis ad id quod eidem obiectioni respondit Anastasius ille Nicænus q. 15. in script. Sic dicens. *Cum Deus dicat in lege dabo vobis Principes secundum corda vestra, est euidẽs, quod ex principibus & regibus alij quidem à Deo præficiuntur tanquam digni eo honore: alij autem rursus cũ sint indigni, Dei permissione, aut voluntate præficiuntur populo digno eorum indignitate*. Sic ille profecto docte, & eleganter. Adducit idem Anastasius eadem quæstione duo exempla quæ, quia accõmodatissima sunt, non pigeat audire. Primum est cuiusdam religiosi, qui cum tempore phocæ Imperatoris crudelissimi, videret illius immanitatem, & in innocentes sæuitiam: quasi conquerens, & coram Deo expostulans: sic orabat. *Cur Domine eum fecisti Imperatorem?* Cui é cœlo responsum datum est in hunc modum. *Quoniam non inueni peiorem*. Exemplum adhuc secundũ mirabilius apparet, quod fuit huiusmodi: erat quædam ciuitas Thebaidæ moribus ac vitijs corruptissima: vacante illius cathedra per mortem Episcopi, Angelus Dei monitu suo effecit, vt in Episcopum illius vrbis eligeretur quidam monachus hypocrita, & flagitiosissimus: qui cũ honore Episcopali elatus ad multa vitia patranda declinasset, & insolesceret: Angelus apparens, eidem dixit. *Cur superbis, & magnifice tibi places, o infelix? Non es creatus Episcopus quod dignus sacerdotio sis: sed quod ciuitas tali digna erat Episcopo*. Sic ille. Hoc exemplum mirabilius est, eo quod ipse Angelus Dei iussu monuerit, vt talem peccatorem Episcopũ crearent. Sed in hoc recurrendum ad id quod diximus ex Plutarcho, velle Deum in hoc vti his similibus tanquam carnificibus, & felle ad curandos morbos populi peccãtis: neque illos ponere

Isai. 3.

Rom. 13.

Iob. 34.

[...] prælatus [...] malus est [...] & car- [...] ex Dei


Ierem. 3.

ponere prælatos vt peccent, sicut proxime exposuimus.

Vltimo aduerto & commendo, ne per electionem malorũ, & omissionem bonorum contingat illud quod plorat Salomon. Ecclesiastes cap. 10. dicens. *Est malum quod vidi sub sole: positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Vidi seruos in equis, & Principes ambulantes super terram quasi seruos.* Sic ibi quod appositissimum est præsenti argumento: & monentur electores ne permittant stultos, idest peccatores, & indignos poni in sublimi loco honorum, ac dignitatum: diuites vero, meritis & virtutibus plenos, ac dignos, deorsum sedere, & tanquam indignos præteriri. Videant electores quæ deuotissimus Bern. scripsit tract. illo de Conuersione ad clericos ca 27. vbi inter alia, pro præsenti materia, & pro supradictis, sic illos alloquitur. *Væ vobis, qui clauem tollitis non scientiæ solũ, sed authoritatis & multipliciter impeditis, quos introducere debuistis, idest, rapitis vel arripitis? Tollitis enim, & non accipitis claues. De quibus Dominus queritur per Prophetã, ipsi regnauerunt & non ex me, Principes extiterunt, & ego non vocaui eos. Vnde tantus prælationis ardor, vnde ambitionis impudentia tanta, vnde vesania tanta præsumptionis humanæ? Audeat ne aliquis vestrum terreni cuiuslibet reguli non præcipiẽte aut etiam prohibente eo, occupare ministeria, præcipere beneficia, negotia dispensare?* Sic ille. Vide si quid melius dici potuit ad intentũ hodiernum: primo enim, pro intẽto proximo ecclesiastes, de nõ omittendis dignis, ac virtuosis, carpit Bern. clericos, electores scilicet, qui impediũt illos quos debebãt introducere, & admittere; dignos videlicet. Secũdo inuehitur contra illos, qui indigni cũ sint, se intromittentes, clauem iurisdictionis non tam accipiunt & tollunt vocati, quam per se ipsi arripiunt. Tertio contra hos vtitur illa præclara comparatione, de temeritate scilicet illius, qui alicuius paruuli Regis beneficia, & ministeria præriperet eo nesciente, imo prohibente: vbi innuit multo magis fore temerarios illos qui beneficia, & officia ecclesiastica, in domo omnipotentis Dei, quæ est Ecclesia, indigni arripuerint, prohibente Deo eadem dari indignis hominibus. Restat igitur vt iuxta supra dicta, & Concilium Tridentinum solo Dei intuitu, non precibus, non humano affectu digniorem eligamus, ac digniores præferamus qui tales fuerint, scientia, prudentia virtutibus, & omnibus ad regendum necessarijs. Vt sic electi verbo, & exemplo ouibus proficientes,

Eccl. 10.


proficientes, cum eisdem ad pascua perueniant æternæ gloriæ: præstante Christo Domino qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen.



SERMO III.

IN CELEBRATIONE CAPITVLI.

Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo. Act. 20. Act. 20.



Relicturus Paulus Miletum, conuicinos Episcopos quasi ad conciliū, seu capitulum cōuocauit: illis comendaturus vigilantiam, & animarum custodiam in verbis propositis contētam. Quæ verba directe ad religionis prælatos in capitulis congregatos apposite videntur pertinere vt illis ibidem comendetur conuentuum, prouinciæ ordinis zelus, ac reformatio.

Cantic. 4. Canticorū 7. inter alias sponsæ partes, cōmendatur Nasus illius, quod sit *Sicut turris libani quæ respicit contra Damascum.* Quæ verba vt facilius intelligantur, notandum iuxta communem doctorum ad eum locum expositionem. Salomonem turrim ædificasse pulcherrimam, altissimam, & munitissimam in mōte Libano: qui mons erat in confinibus Syriæ & Iudeæ, situs tamen in vltima parte regni Israelitici contra Syriam. cuius Metropolis erat Damascus: per quā partem ex Syria latrunculi in

Iudæam descendebant, multique alij hostes Iudæam infestantes. Hanc ergo turrim Salomon ædificauit, speculatores in illa cōstituens, qui latronum, & hostiū aduentus, possent vel propulsare, vel regno Israelitico nunciare. Per hanc turrim Doctores citato loco maxime noster Titelmānus intelligūt prælatos qui sunt nasus Ecclesiæ: sicut enim nasus toti corpori deseruit ad indicandos & cauendos malos odores, ne forte ex odore tetro, (vt aliquando accidit) vel mors generetur, vel saltem molestia inferatur: eodem modo prælatus Ecclesiæ, nasus illius est, vt à longe indicet, & propulset tetros odores vitiorū, hæresum, cæterorumque defectuum, qui corpus Ecclesiæ, nimis inficere, vel perturbare valebunt. Actus enim odorandi trāslatitie accommodatur actui intelligendi: cum de aliquo Doctore dicimus, tale, vel tale olfecisse dubium. Turris proinde Libani dici merito debet prælatus, qui velut in specula Ecclesiæ, eius inimicos olfaciat, prodat, exterminet, & interimat vigilando: ne iuxta Paulum 2. Cor. 2. Christi oues circūueniantur a Satana. Ezech. 3. Ezechieli dicitur; *Speculatorem dedi te domui Israel.* Erant olim Prophetæ quasi prælati illius populi. Reges vngebant: de rebus ad Ecclesiam pertinentibus consultabantur, similesque actus prælatorum exercebant. Prophetam ergo Ezechielē Ecclesiæ prælatū, vocat ibi Spiritus sanctus speculatorem populi Iudaici, porro speculator diem fere, ac noctem totā ducit insomnem, vigilando attentius si forte appareāt hostes de quorū aduentu ciuitatē suā possit certiorē reddere: & mediāte sua perpetua vigilia primo consulit suæ propriæ saluti, si enim hostes illū dormientē inuenerint, proculdubio occident, vigilando etiam saluat, & liberat populum ac ciuitatem suā, quæ ipsius vigiliæ concredita est. Talem voluit Paulus proposito themate esse quemuis Episcopū Ecclesiæ speculatorem, qui scilicet primo sibi attendat, suæque spirituali saluti; & attendat pariter ouibus Christi sibi concreditis. Idipsum conuenit vnicuique prælato in capitulo congregato, vt sibi ac Religioni cū particulari attendat vigilātia. Quod non modo in Ecclesiæ prælatis requiritur, verū etiā in Regibus sæcularibus adeo desideratur: vt de Magno Alexandro Arrianus lib. 8. dicat suos milites sic aliquando allocutum. *Plus vigilare, quam vos, me certo scio, vt ipsi quietos somnos capere possitis.* Quanto magis sperandum est de Christi Domini Prælato, cui oues Christi

Prælatus est similis naso.

2. Cor. 2.

Ezech. 3. Prælatus est speculator.

A speculatore pēdet salus propria & aliena.

Alexandri Magni vigilia.

Christi sanguine acquisitæ, sunt concredit? Iuxta illud Cantic. 1. *Posuerunt me custodem in vi-*
Cantic. 1. *neis*, (id est Ecclesia) *vineam meã non custodiui* Quod saltem nullum habet dubium, de obligatione quam prælatus habet amittendi salutem corporalem, si aliàs saluari nequeat ouium salus spiritualis. Verba tamen proposita thematis cum particulari attentione sic consideremus.

Attendite vobis. Primo loco monet Paulus prælatos vt attendant sibi; non quidem vt de se tantum curent propriũ cõmodum procurantes, vt notat D. Greg. super 1. Reg. lib. 1. c 9. sed vt primo studeant seipsos reformare, si facile velint subditorum vitia emendare. Docet D. Petrus 1. Can. cap. 5. prælatos Ecclesiæ,
1. Pet. 5. meminisse debere, *quod sũt forma gregis ex animo:* id est, sunt forma, & regula subditorum ad quam subditi debent componi, ac dirigi. Innuens in hoc simile quoddam, videlicet, pueri cũ in scholis primos caratheres scribere addiscunt: habent regulam ligneã ad quam in papyro lineas ducũt; quo posśint in scribendo lineas rectas dirigere. Porro si illa regula distorta sit, omnes lineæ per illam ductæ erunt indirectæ: oportet igitur vt regula illa directa omnino sit, si lineæ per

Prælatus est regula & forma ad quam subditi diriguntur & componuntur.

illam factæ rectæ debent euadere. Cum ergo prælatus forma sit, & regula pusillorum, ac subditorum oportet illos primo dirigi, seu dirigere viam Domini, & rectas facere semitas eius, quo facile posśint subditorum viæ, ac mores ad ipsorum rectitudinem dirigi, atque cõponi. Quod etiam Poeta Claudianus optime quasi concionando dixit de 4.
4 Honorij Aug. cõsulatu, dicẽs.

Componitur orbis
Regis ad exemplum. Nec sic inflectere sensus
Humanos, edicta valent, quam vita regentis.

Vita Regis & prælati plus mouet quam leges latæ seu edicta.

Miro inquam modo regentis vita flectit, & monet subditos, pluś quam leges, & edicta. Merito ergo Paulus prius monet prælatos vt sibi primo attendant vitã reformando, vt posśint deinde facilius, & fructuosius postea subditos reformare: Non vero vt attendant suis proprijs commodis temporalibus. Quod adeo frequenter factitari in contrarium, dolet D. Bernar. aureo illo serm. 77. super Cant dicens: *Paucos admodum inueniri, qui quærunt quæ sunt Iesu Christi, sed omnes iam quæ sua sunt quærere*. Duo vero præcipue notat vel clamat Bernardus, initio illius sermonis maxime ad præsens tempus, & intentum pertinentia. Primũ est aduertere, quod si hodie præla-

Prælati quærẽtes quæ sua sunt tantum, & nõ salutẽ animarum.

tos videas rerum temporalium abundantiam possidentes, vestium scilicet splendidarum congeriem, vasorum aureorum, argenteorum & similium, ait Sanctus. *Vnde vero hæc illis nisi de bonis sponsæ?* Et idcirco videas prælatos diuites, & sponsas Ecclesias pauperes: cuius causa est quod Prælati non attendant animarũ saluti, sed ouium lanis, carnibus, ac diuitijs. Secundo descendens ad particulare, sic interrogat: *Quem dabis mihi de numero præpositorum, qui non plus inuigilet subditorum vacuãdis marsupijs, quam vitijs extirpandis? Hoc non est pascere gregem, sed mactare, & deuorare.* Debebant prælati Regem illum Sodomorum Genes. 14. imitari: qui reuertenti Abrahamo de prælio, cum spolijs multis, & captiuis hominibus, cunctaque reddenti dicto Regi cuius fuerant, dixit Rex: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*: Itaque nihil ex illis spolijs Rex Gentilis postulabat nisi animas, subditorũ nempe qui fuerãt é captiuitate liberati. Nihil aliud verus Christi prælatus sitire debet quam Christi animas, eas acquirere, eas liberare: non vero ex illarũ, vel Ecclesiæ, vel conuentuũ spolijs, ac diuitijs ditescere. Discant ex nepote Abrahami Iacob, qui Genesis 31. die noctuque

Gen. 14.

Animas non aurũ sitire debet prælatus.

Gen. 31.

peruigilans, *vrebatur æstu, & gelu: Arietes Labam non comedebat, si casu ouis peribat commesta à lupo, reddebat*: oues & capræ Labam steriles non erant sed fæcundæ: & denique pro tanto seruitio ab iniusto Labam iusto pretio fuit fraudatus. O mirum, & viuum pastoris exemplum. Cuius terreni pastoris sequi vestigia debere pastores spirituales Ecclesiæ doctissime monet Gregorius lib. 2. indict. 10. epistola 33. dicens: *Vigilemus ergo ne quid pereat: etsi captum forte quid fuerit vocibus, diuinorum eloquiorum ad gregem Dominicum reducamus.* Act. 20. Paulus item Apostolus Actorum 20. non dicit accepisse se aliquid temporale à subditis per triennium apud Miletum: *Sed ne quidem concupiuisse vel desiderasse. Argentum, inquit, & aurum, aut vestem, nullius concupiui.* 2. Cor. 6. Idem secunda ad Corinthios 6. suam tantum animarum sitim, & desiderium salutis, ac vigilantiam explicans, dixit: *Os nostrum patet ad vos o Corinthij, cor nostrum dilatatum est, & cæt.* Vbi Chrysostomus homil. 13. causam assignans illius cordis dilatationis, ait: *Quod calefacit, dilatare facit: ita & charitatis opus est dilatare, virtus enim calida est, & feruẽs ipsa etiã Pauli os expãdit, & cor dilatauit.*

Nos

Nos in nostro Lusitano sermone redderemus, os nostrum patet ad vos, id est, *anda com a boca aberta apos fullano*, id est, vehementissime illum amat, illum à latere sequitur, quasi suspirans & adminans nunquam deserit. Talis erat Paulus habens os apertum ad oues Christi, illarum tantum salutem, non res temporales desiderans. Nescio, si eadem verba hodie ad multos prælatos posimus applicare in sensu omnino contrario. Qui quidem etiam habent os apertum ad subditos: apertum tamen, & hians, vt lana, lacte, & rebus temporalibus subditorum os impleant, & saturent: Non vero vt animarum ipsorum salutem sitiant. De his iam conquestus Bernardus dicebat: *Nostri prælati facti sunt Pilati; nostri pastores facti sunt tonsores.* Maleus venefic. 1. part. quæst. 6. fol. 93. hoc citat ex Bernardo. Consonat Diuus Gregorius homil. 17. super cap. 10. Lucæ dicens: *Nulla animarum lucra quærimus: ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intentamente captamus.*

1.Tim. 4. *Attendite vobis.* 1. ad Timoth 4. monet Paulus Timoth. *Attende tibi*, quod in propria significatione, est idem, ac, caue tibi. Caue inquam, mala, & supplicium tibi paratum si non vigilaueris: caue periculum in quo versaris, eundem sensum pariter patientur præsentia verba, *Attendite vobis*, id est, cauete vobis, cauete periculum officij vestri: cauete supplicium à Deo comminatum pastoribus malis, & non vigilantibus. Chrysostomus super modo citata verba ad Timothæum, post quam dicit Paulum nomine Timothæi illam comminatoriam monitionem omnibus facere, subiungit. *Quod si ei qui mortuos excitabat hæc monita edidit, quid iam nos miseri dicturi sumus?* Id est, si Diuus Paulus Timotheo sancto, qui mortuos suscitabat, & integerrime vigilantis pastoris officium exequebatur, & miraculis fulgebat, dixit, *Attende tibi*, caue tibi, caue periculum & supplicium; quid non timeant hodie tales pastores, qui non faciunt miracula, sed peccata quotidiana: non vigilant, sed passim dormiunt. Porro circa periculum prælatorum non vigilantium, & supplicium illis ea de causa paratum: occurrit, quod scribit Plutarchus de fort. Rom. *Romanos singulis annis canem affixum cruci circumgestasse per vrbem in solenni pompa: quod capitolio gallis imminentibus siluissent.* Et certe excessiuum illud videbatur supplicium canibus illatum, tum quod

Supplicium prælati nō vigilantis.

Romani singulis annis cur canē crucifigerēt.

quod essent animalia non discursiua: tum quod excessiuo modo puniebatur antiquum illud canum silentium singulis annis denuo crucifigendo canem. Verum cum Romani essent prudentissimi, magno cum mysterio id faciebant, ait Plutarchus: vt intelligeretur eos, qui in patria non vigilarent ignominiosissima morte afficiendos. En quale supplicium Gentiles canibus irrationalibus non latrantibus ad inimicorum præsentiam, inferebant. Prælati Ecclesiæ canes sunt Ecclesiæ, Dominici gregis custodiæ deputati: vt patet præcipue in imagine sanctissimi Patris Dominici veri Ecclesiæ Prædicatoris per canem denotati. Huius vero nostri temporis prælati multi sunt de quibus queritur Isaiæ 56 speculatores eius cæci omnes: canes muti non valentes latrare; videntes vana, dormientes,& cæt. Canes muti sunt prælati multi, qui cum ex officio latrare debeant in capitulis contra insidias Sathanæ contra tot ordinis abusus, contra malorum prælatorum excessus, obmutescunt tamen,& silent: forte illis offa panis oblata, (commodum scilicet proprium oblatum) os obstruit ac replet, ne loqui valeant: commodum inquam, vel quod iam receperunt, vel quod adhuc sperant, eis obturat os ne possint latrare ob lattante conscientia ipsorum. Contingit ferme his, idem quod Cani cerbero (de quo Virgilius 6. Æneid.) qui cum portas inferni custodiret, & haberet tres fauces, seu tria guttura quibus immani latratu circunquaque omnia replebat ac terrebat: aduentante tamen Ænea cum Sybilla ad portas inferni, desijt latrare, ac siluit, quia videlicet Sibilla,

Prælati sunt canes Ecclesiæ.

Isai. 56.

Melle soporatum & medicatis frugibus offam obijcit:

Qua offa arrepta canis fusus humi obmutuit, ac dormiuit. Multos videas similes prælatos qui cum ad res humanas pertractandas trifauces sint, & loquaces,& eloquentissimi: oblata tamen illis offa, vel sperata, silent,& obmutescunt, & sinunt intrare in infernum Æneã, Sybillam, & tot animas sibi cõmissas. Hi ergo cum canes sint, & ex officio teneantur vigilare, & latrare; si sileant, & non vigilent, quod nam supplicium subibunt Romanorum iudicio? Legant Sapientiæ sexto illa verba tremenda: *Horrende & cito apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum, his qui præsunt, fiet.* Nota verba, *horrende, & durissimum*: si de aliquo peccatorũ genere puniendo simile dicitur, quale

Iuerum spe atum facit prælat s obmutescere.

Sap. 6.

Durum iudicium referuntur prælato malo.

quale hic malis paſtoribus Deus comminatur. Huius durisſimi iudicij timor qui prælatis malis paratur, tot ac tantos viros ſanctiſsimos terruit, & commouit, vt dignitates, & honores in Eccleſia tantopere fugerent: Talis fuit Ambroſius, Gregorius, S. Thomas, S. Bernardinus noſter, & multi alij: & particulare exẽplum reperies in regula Monacharũ quæ tribuitur Ieronymo: vbi narratur, Iuuenem, cui patruus Epiſcopatum diſſuaſerat, poſt mortẽ eidem patruo apparuiſſe dicentem: *Gratias tibi refero Pater ob diſſuaſionẽ Epiſcopatus, nam ſcito, quia nunc eſſem de numero dãnatorum, ſi eſſem de numero Epiſcoporũ.* Hæc ille Iuuenis patruo. Denique de multis periculis animæ quæ prælati officio ſunt annexa ob quæ merito cauere & timere debent duriſsimũ in hora mortis iudicium, ſufficiat illud quod Saul malus Rex, & prælatus dixit 2. Reg. 1. ad virum illũ Amalecitem. *Interfice me, quoniã tenent me anguſtiæ.* Vbi alia littera reddit: *Aprehendit me corona*: videlicet, onus coronæ meæ, & obligatio officij Regij, quod male executus ſum, in hac hora me anguſtiat pluſquam mortis anguſtia. Et coincidit cum eo quod habetur Caldaice: *Quoniam comprehendit me tremor.* Non quidẽ (vt videtur) tremor mortis cum is peteret ab Amalecite vt ſe occideret: ſed tremor coronæ grauiſsimæ, & officij Regij cuius vices in vita male functus fuiſſet. Conſonat quod circũfertur communiter de quodam Summo Pontifice Romæ; qui cum ingrederetur, quoddã monaſterium noſtri ordinis Franciſcani, videretque Ianitorem conuentus clauibus ianuæ cingulo appenſis, quaſi gemens dixit: *O fili, o frater, quis poſſet in hora mortis harum tuarum clauium potius rationem reddere quam clauium Diui Petri?* Si enim quiſque noſtrum vix pro anima ſua reſpondere valebit: quomodo prælatus pro tot ſibi commiſſis animis reſpondebit; cum prælati, dicente Paulo ad Hebræos 13. *Peruigilent quaſi rationem pro animabus ouium reddituri?*

Vniuerſo gregi. Omnibus ſubditis in vniuerſum iubet vt attendant, communi ouium ſaluti, non particularibus tãtum ſed vniuerſis. Optima comparatio eſt cordis, vel capitis humani: quæ duo membra corporis alimentum per ſecretas venas ita vniuerſis corporis partibus diſtribuunt, vt neque vnguibus, neque capillis, quantũcunque ignobiles partes ſint, ac diſtãtes & remotæ, deſint; imo illis ſuũ debitũ prouideãt alimentũ: Si enim cor

Prælaturas qui Sancti fugerint.

Reſpuens Epiſcopatum ſaluatur.

2. Reg. 1.

Citat liber Poſtrimerias li. 2 cap. 4. diſcur. 5.

Leo 1

Hebr.

Prælat omnib debet uidere tantu amicis ſangui neis &

cor, & caput humanum solis partibus vicinioribus, sibi præsentibus, vel nobilioribus de alimento prouiderent, non vero remotis & ignobilibus iam natura deficeret, & cito totum corpus periret. Patres in capitulo congregati sunt cor, & caput prouinciæ ibi enim sunt, prælatus superior, & inferiores: ibi cor prouinciæ palpitat. Si ergo recte officio debent satisfacere, prouideant non aliquibus tantum, sed vniuersis, & vniuerso gregi. Non ergo attendatis solum consanguineis, & cognatis vestris: Memores estote Christi Domini principalis Prælati, qui neque in collatione Papatus respexit ad carnem & sanguinem; omisit enim Ioannem & Iacobum, qui iuxta aliquos Doctores, ipsius erant consanguinei, & D. Petro dignitatem illam detulit non consanguineo sed digniori. Matth. 16. Et quando illi ipsi duo Apostoli mediante matre locum dextræ, ac sinistræ ab eodem Domino postularunt, nitentes forte in eadem consanguinitate, repulsam passi sunt. Etenim Christi Domini atque Ecclesiæ bona non iure hæreditatio; sed bonis actibus meritorijs præcedentibus sunt impetranda. Legant omnino Diuum Ieronymum super epistolam ad Titum c. 1. & inserta sunt verba

Christus Dominus non detulit Pontificatum consanguineis.

Matt. 16.

eius iuri Canonico 8. quæst. 1. cap Moyses, vbi sic habetur. *Moyses amicus Dei cui facie ad faciem Deus locutus est potuit vtique successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem: sed extraneus de alia Tribu eligitur Iesus. vt sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse sed vitæ. At nunc cernimus plures hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos in Ecclesia erigere columnas, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit (vt deteriora taceam) qui vt clerici fierent, muneribus impetrarunt.* Hactenus Ieronymus, & ius Canonicum, cuius diuina verba nostro themati appositissime inseruientia, & in praxi frequentia videntur adhuc in sequentibus premenda.

Prælatura non sanguini deferenda est sed vitæ.

Attendite vobis. & vniuerso gregi, vt diximus, non autem amicis tantum, vt secundo loco tetigit Ieronymus. Etenim sola amicitia non debet esse meritum computandum ad dignitates Ecclesiasticas obtinendas. Quod si dicas amicos, qui aliàs cæteris paribus digni sunt, posse eligi: Respondeo timendum valde esse, ne carnalis affectio obcæcet nos in amicis, & consanguineis, in discernendis illorum

Amicitia sola non est causa ad dandã prælaturam.

rum meritis, quibus sæpe carent; sed affectio sola prædicta merita in ipsis solet reperire. Quod ergo in promouendis amicis cautissime, & auare procedendum. Rarum & vnicum exemplum sit Diui Gregorij lib 2. epistola 68. Indict. 11. vbi de se narrat, *Quod cum haberet Constantium sibi amicissimum, Sanctũ, suumque socium olim dum Constantinopoli Legatum ageret: eueniretque occasio creandi Episcopum in ciuitate Mediolanensi, essetque prædictus Constantius de numero eorum qui præcipuè prædicto Episcopatui possent intendere. Nunquam sanctissimus Papa Gregorius voluit directe, & absolute pro illo intercedere, sed libere eligentium libertati id permisit verba sunt Gregorij. Cum in vrbe Regia responsa sedis Apostolicæ facerem longo mihi tempore adhæsit, (Constantius scilicet) sed nihil in illo quod reprehendi potuisset inueni. Verumtamen quia antiqua meæ deliberationis intentio est ad suscipienda pastoralis curæ onera. pro nullius vnquam misceri persona, orationibus prosequor electionem vestram, & cæt.* Ecce Papa sanctissimus, virum sibi amicissimum, & irreprehensibilem, ad Episcopatum non promouet absolute & imperiose, cum posset: neque epistolam deprecatoriam mittit ad electores: solum dicens se precibus Deum Omnipotentem deprecari, vt prædictæ Ecclesiæ Mediolanensi dignum prælatum concederet. Et ibidem subdit quod nos supra diximus: *Suspectum esse intellectum nostrum in discernendis meritis amicorum & consanguineorum*: sic dicens. *Quia nec libero iudicio præferendam sibi personam examinat mens quam cupiditas ligat.* Sic ille. Tullius libro de amicitia sic habet: *Hæc igitur prima lex amicitiæ sanciatur, vt ab amicis honesta petamus, & amicorum causa honesta faciamus. Solum namque quod honestum est, pro amicis faciendum est*: porro honestum non est amicum indignum aliàs, dignitate Ecclesiastica remunerare, eo solum quod amicus est. Non enim Deum æternum amicum debemus offendere, vt terreno amico seruiamus.

Exemplũ D. Greg. de amicis non promouẽdis ad officia.

Prælati maiores nõ faciãt violentiã electioni bus.

Amicitia fallit nos in discernendis amicorum meritis.

Vniuerso gregi: Non illis in particulari tantum quorum estis obsequijs deliniti, vt dicebat Ieronymus citatis supra verbis Iuris Canonici: taxans eos qui in electionibus fauent ijs qui sibi in aliquo seruierunt, & quorum seruitijs & obsequijs deuincti sunt. Hi dignitates Ecclesiasticas faciunt commendas sæculares, & tanquam Reges sibi seruiẽtibus pro obsequio sibi facto donant Et volũt esse

Aliqui prælati faciunt offerta Ecclesiastica commendas.



esse vt Alexander Magnus qui moriens regna sua diuisit pueris ac famulis suis qui eidem in vita seruierant. 1.Mach.cap 1.possent hi iure timere, ne in prædictis symoniæ peccatum in currerent: si enim 1.q.1.cap.ordinationes, dicitur peccatum simoniæ committere, qui ordines alicui confert propter obsequium sibi impensum: cur non idem interueniat in beneficio dato, pro obsequio sibi impẽso, & vt plurimũ hi propter obsequia electi non recti euadunt prælati, assueti enim seruire, gubernare nesciunt: & præterea Deus punit suos electores confundendo ipsorum malam promotionẽ. Forte quid simile in Elisæo Propheta liceat

4.Reg.4. intueri, qui 4.Reg 4.cum puerũ suum Giesi cum baculo suo mitteret ad viuificandum filium viduæ, confidens quod mediante suo baculo puer ad vitam rediret: sua tamen spe fraudatus est, & quasi confusus, nec baculus per seruum applicitus profuit: eo quod baculum quasi pastoralem, puero ac seruo suo dedisset: qui vtique puer locum prælati, ac Prophetæ non poterat plene complere.

Denique attendite vniuerso gregi, non illis tantum pro quibus a magnatibus rogati estis vt dicebat D. Ieronymus. Namque preces magnatum non faciunt dignum illum pro quo rogarũt: imo fere semper indigni sunt pro quibus magnates rogant: diffidentes enim quod suis meritis dignitates assequentur, ad importunas sæcularium preces recurrunt. Optime de hoc agens D.Bern. lib. 4. ad Eugenium de consideratione dicit. *Pro quo rogaris sit suspectus Qui ipse rogat pro se, iam indicatus est.* Suspectas nẽpe omnes preces habet Bernardus ad prælaturam obtinẽdam, siue quis pro se petat, siue pro alio. Qui namque dignus est, precibus non eget: neque illas procurat. Satis superque intellexerunt tres recentes, præstantissimique Sũmi Pontifices, quot damna, & incommoda religionibus inferant huiusmodi sæcularium preces pro religiosis promouendis, qui tres motus proprios hac de re fulminarunt, tum ipsos sæculares rogantes, tum religiosos illorum preces procurantes feriendo pœnis spiritualibus, & temporalibus grauissimis hi nẽpe fuerunt pius 5. Gregor. 13 Clemens 8. quorum motuum exemplaria videri poteris apud Rodr. tom.2. qq. Reg.q 57.ar.2. ecce tandem quos & quales, multi hodie electores satagunt eligere, & constituere columnas in Ecclesia Dei: consanguineos inquã, amicos, eos quorum obsequio deuincti sunt, vel pro quibus rogati

Indigni re putari debent ad honores ij pro quibus multum rogatur.

Motus proprij cõtra procurãtes prælaturas per se vel per aliorũ preces.

rogati fuerunt. Hos in quam satagunt, & anxiato animo curant eligere: quos cum elegerint: nescio si mereantur illud, væ, dictũ Pharisæis à Christo Domino Matthæi 23. *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare, & aridam vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus facitis eum filium gehennæ duplo plusquam vos.* Satagebant maxime Pharisæi ethnicos ad iudaismum conuertere: illi vero conuersi multi sæpius deficientes à fide, & ad idola conuersi multo peiores reddebantur: vel in iudaismo friuole permanentes taliter viuebant, quod peiores iudæis manebant. Taliter video multos electores satagentes vt faciant vnum nouum prælatum indignum: quod postquam obtinent ille nouus prælatus sine zelo, sine amore Dei in suo ministerio peccás in multis, ac deficiens, fit gehennæ filius duplo maior quam erat; peccata officij multa cõmittens quæ antea non habebat, Imo & quasi ad idola conuertitur, illum enim electorem & factorem suum tã quam idolum colit, illum plusquam Deum reueretur: illi quid quid potest procurat acquirere.

Math. 23.

Indigni electi suos electores colunt vt idola, & sunt proselyti iudeorum.

Porro hæ omnes attentiones non ad vniuersum gregem spectant, sed ad particularia cõmoda, ex eo quod carent zelo boni cõmunis: si enim commune bonum diligerent, non se totos vni particulari addicerent. Defectũ huius zeli communis præsagiẽs Deus iam inde a tot mille annis seruauit Eliam viuum ad zelandam legem suam, & animas suas, tempore magis necessario, videlicet Antichristi. Sepius mihi hæc incidit cogitatio & quæstio: quorsum Deus iam a tot mille annis Eliam zelatorem reseruat loco incognito, cum tanto secreto? Si enim id fecit ad zelandam legem tempore Antichristi nunquid potentia infinita Dei tempore Antichristi, nõ poterit alios zelatores & Elias præparare ad zelandum eo tempore diuinam legem, & cõmunem animarum salutem? Causam, vel solutionẽ huius dubij, apud nullum inuenio. Ego dicerem, Deum opt. max. nolle facere miracula absque necessitate. Forte autẽ sciẽs quod de potentia ordinaria, talem zelatorem sicut Eliam non inueniet; iam a tot mille annis illũ reseruat, si enim iam Paulus in primitiua Ecclesia ad Phil. 2. querebatur dicens, *Omnes quæ sua sunt quærunt non quæ Iesu Christi*: quanto magis idipsum eueniet frigido illo, & calamitoso tempore Antichristi, in quo vix quidem inueniendam, fidem super terram Dominus prophetauit? En nostra miserabilia tempora, paucissimi sunt, & fere nullus, qui

Cur Deus seruet Eliã per tot annos.

Philip. 2.

Luc 18.

qui cum sene illo Simeone Lucæ 2. expectet, *Et procuret consolationem Israel.* Omnes fere pastores quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi Non est qui de se ipso possit dicere illud Paul. 2 ad Cor. 11. *Instantia mea quotidiana, & solicitudo omnium ecclesiarũ.* Denique non est qui cum zelatore Moyse dicat, *Aut velit, deleri de libro vitæ, Si Deus suis ouibus noxam non dimiserit* Porro cum iuxta D. Tho 1.2. q. 28. ar. 4. zelus nihil aliud sit quam amor intensus, viso quod in prælatis desit zelus boni communis animarum sequitur, quod in eisdem desit amor Dei & amor salutis animarum: imo credo, quod defectus amoris, est causa defectus zeli ad commune bonum, animarumque salutem. Si enim Christi oues amarent & Christum diligerent, pro ouibus illius in cõmuni, vitam, & sanguinem profundere non dubitarent. Videbat quidem Christus D. Petrum libentissime pro ipsius ouibus animarum positurum; ideo antequam illi earum curam cõmitteret ter de amore Petrum interrogat. Eodem modo hodie, si Christi prælati Christum diligerent, ipsius oues supra humeros portarent ad imitationem illius diuini pastoris Luc. 15. *Qui perditam ouem supra humeros imposuit.* Imo ad vbera illas portarẽt, quasi teneræ, & amãtissimæ matres, eas tanquam infantulos ad vbera lactando: iuxta illud quod sanctissimo pastori Moysi præceptum est. Num. 11 *Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum* & Isa. 66. *ad vbera portabimini &c.* Iuuat ad hoc maxime quod refert Tertullianus lib. de pudicitia cap. 7. & 10. quod scilicet in primitiua Ecclesia consuetudo fuit pingere in calicibus pastorem Christum ouem super humeros gestantem: quo videlicet sacerdotes & prælati. quando Christi sanguinem consecrarent & sumerent, huius tam strictæ obligationis monerentur, portandi videlicet super humeros Christi oues, eiusdem Christi sanguine acquisitas Eodem spectat pallium illud quod est insigne maiorum Episcoporũ; quod Sum. Pontifices eisdem non statim concedunt in prima consecratione vel creatione; sed postea bene probatis vel mittunt, vel auferunt ob culpas. Hoc enim amiculum seu insigne, ex lana ouium contextum & Episcopis supra dorsum, & humeros impositum, iuxta Isidorum pelusiotam lib. 1. epistola 136. significat pellem illius ouis, quam Christus aberrantem quæsiuit, ac proprijs humeris reportauit. In quo forte obiter etiam admonemur: vero prælato nullum alium

[Margin notes: 2. ad Co. 11 — Defectus amoris Dei, efficit vt non sit zelus boni cõmunis. — Luc. 15. — Num. 11. — Prælati debent portare subditos in humeris, & ad vbera. — Pictura particularis in calicibus in primitiua Ecclesia. — Quid significet pallium Episcoporum.]

alium maiorem honorem, vel gloriam posse obtingere quam pastoris officiũ vere exequi, suo que vniuerso gregi attendendo, illum super humeros reportando: quatenus scilicet, pallium Pontificale, de quo ille adeo gloriatur humeris impositum; Christi Domini oues eius sanguine acquisitas repræsentat.

In quo posuit vos Spiritus sanctus &c. Si prælati à Spiritu sancto positi sunt, & quasi loco suo suffecti: profecto prælati quasi Spiritus sancti vicarij minores infra Papam possunt appellari. Possunt & appellari Spiritus sancti assessores, inter quos medius Spiritus sanctus, in concilijs & capitulis assistat. Tales se vocant Apostoli Act. 15. in illo primo concilio Ierosolymis celebrato: cum dixerunt. *Visum est Spiritui sancto, & nobis.* Eo scilicet sentẽtiam internos proferente, quasi inter assessores sedente. Sunt præterea prælati quasi legati Spiritus sancti: vnde & Paulus ad Eph. 6. & 2. ad Corin. *Legatione fungimur, &c.* Si ergo prælati à Spiritu sancto positi, illius quasi vicarij, & legati dici possunt Vicarius, & legatus nihil magis habẽt in votis, & in honore, quam superioris sui iussa, & commodum attendere imo & si contra superioris præscriptũ aliquid faciũt, & superiorem offẽdũt, & actus irritus, & nullus est. Huius honoris, & obligationis meminerint patres in capitulo congregati, cum enim omnes fere prælati sint, à Spiritu sancto positi sunt deputati ad vniuersum gregem curandum: nouerint se Spiritus sancti assessores: cum illoque proinde, & ex illo decreturos, suffragaturos &c. vt vere in omnibus quæ fecerint possint dicere: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Quã enim fœdũ & abominabile erit in capitulis aliquid contra conscientiam facere: vt possit à contrario dici: displicuit Spiritui sancto: & placuit nobis! idque turpius adhuc fiet, quando idem diuinus spiritus conciliorum, & capitulorum præses cum tanta solennitate, in Missa, & hymno ante electionem inuocatur: dicendo veni sancte spiritus. Ad quid enim inuocatur, cuius vox consilium, & inspiratio de meliori eligendo, est contemnẽda? Similes hi sunt illis pharisæis e quibus vnus legis doctor Math. 22. tentans Christum, *Vocat illum Magistrum*: cum eius discipulus nollet fieri: eodemque modo à multis inuocatur Spiritus sanctus, cuius vocem nolunt audire: & voce dicunt veni: sed facto suo malo dicunt, recede. Nouerint in quam capitulares se Spiritus sancti quasi assessores, & vicarios, nec proinde ab illius præscripto

Desẽbargadores.

Act. 15.

Ad Eph. 6. *&* 2. *ad Corint.*

Capitulares prælati sunt felicti assessores Spiritus sancti.

Iniuria fit Spiritui sancto cũ inuocatur ore, & reijcitur opere.

Math. 22.

ſcripto & inſpiratione poſſe diſcedere. Secus ſi faciant, iam non Spiritus ſancti vicarij, ſed vere diaboli vicarij, aſſeſſores, & legati vocabũtur. Quid enim ſunt mali prælati niſi vicarij diaboli, cuius loco gubernant & animas ad infernum impellunt? Quid fuit Macedonius Epiſcopus hæreticus niſi diaboli vicarius & alij ſimiles quos longum eſſet proferre, qui malo ſuo animo & exẽplo tot miſeras animas ad infernum ſecum detulerunt? Quid fuerunt Annas. & Caiphas pontifices Iudeorum, niſi vicarij diaboli, qui quaſi ſua cauda, & malo exemplo traxerunt ſecum tãtam partem ſtellarũ. Idque probo euidenter; ſi enim D. Paul. ad Ephes 6. *Demones vocat rectores tenebrarum harum.* Conſimiliter Chriſtus. D. Luc. 22. Iudæ malo Apoſtolo, & ijs qui miſsi erant à principibus ſacerdotum, dixit *hac eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*: quaſi ſcilicet ij viſibiles prælati eſſent vicarij dæmonum rectorum tenebrarum harum. Libuit & pro maiori eiuſdem probatione: & pro maiori prælatorum Eccleſiæ monitione; hoc loco tranſcribere epiſtolam quandam, quam affert deuotus ac doctus liber lauacrum conſcientiæ, à quodam minorita compoſitus: is enim cap. 4. refert quendam amicum mortuum, & ad infernum damnatum, apparuiſſe cuidam ſuo amico viuẽti, & poſt ſuorum tormentorum manifeſtationem, eidem amico, qui ad prælaturas, & dignitates auide aſpirabat, quandam Epiſtolam dediſſe, quam dæmones ex inferno mittebant ad prælatos malos Eccleſiæ adhuc viuentes, tenor epiſtolæ ſic habet.

malus prælatus vicarius diaboli.

Eph 6.

Luc. 12.

Mirabilis epiſtola dæmonũ ad malos prælatos.

EPISTOLA.

PEr omnia Belzebuth princeps demoniorum, & dux tenebrarum, cum ſatellitibus ſuis omnesque tartarea poteſtates, Archiepiſcopis, abbatibus, prapoſitis, decanis, prasbiteris, cateriqué eccleſiarũ rectoribus ſuis chariſsimis amicis, nunc & in aternum tartareas ſalutes & inuiolata ſocietatis fadera: qua diſſolui non poſſunt in aternum. Magna nobis fiducia eſt in amicitia veſtra, multumq; de vobis congratulamur quia ſentitis optime nobiſcum: & qua noſtra ſunt, diligenter quaritis vbique, fouendo atque tuendo quidquid ad noſtrum ius pertinere cognoſcitis. Sciatis ergo vos vniuerſitati noſtra multum eſſe acceptos, & multa gratiarum actione ſtudia veſtra proſequimur: eo quod infinita multitudines animarum per miniſterium veſtrum, & exempla à via veritatis abducta, quotidie nobis captiua adducuntur, vnde regni noſtri potentia roboratur. Perſeuerate igitur tanquam fideles in amicitia noſtra

nostra & in opere quod cepistis. Parati sumus pro omnibus his rependere retributionem. Ex inferioribus inferni Valete.

Non sic profecto vos sancti, & reuerendi capitulares, Spiritus sancti vicarij, legati, substituti: ex illo iudicate iuxta illum eligite, & omnia decernite: & ipsi quem inuocastis dicite cum illo apostolorum, & discipulorum cætu Act. 1. Tu Domine qui nosti corda omnium ostēde quem elegeris ex his. Vt dignus electus tanquam verus pastor subditorum animas ducat ad pascua æterna, Amen. *Act.* 1.



SERMO IIII.

IN CELEBRA TIONE CAPITVLI.

Qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Ioan. cap. 10. *Ioan.* 10.

PRobans Christus D. scribis & pharisæis se esse verum Ecclesiæ, & orbis pastorem his verbis innuit, se simul esse pastorem, & ostiū ouilis seu ouium, per quod ostium tum oues tum venturi pastores debent intrare in Ecclesiam, & regimen illius. Et quidem quod hoc loco, ostiū, significet Christum D. exponitur 1. q. 1. cap. ordinationes. Vbi dicitur male ordinatos per simoniam, non intrare in Ecclesiā per ostium, idest per Christum. Est itaque Christus D. ostium cæli, & ostium ouium, quia Ioan. 14 *Nemo potest venire ad patrem nisi per Christum, & meritis Christi.* Est etiam ex hoc loco Christus D. ostium

Christus D. est ostium cæli, & pastorū & ouium.

Ioan. 14.

ostium per quod sacerdotes Ecclesiæ, & pastores illius debent ingredi, & admitti ad regendam Ecclesiam. Vt colligitur tam ex hoc loco Ioan. 10. tum etiam ex citato illo loco Iuris Canonici, vbi innuitur recte ordinatos, & proinde electos per Christum D. & secundum Christum D. esse admittendos. Si enim etiam per Christum, Prouer. 8. Reges, & principes etiam Ethnici, imperant & decernunt iustitiam secularem: maiori iure per eundem Christum pastorem omniũ animarum debent regere prælati Ecclesiæ, & ad ipsam gubernandam admitti iuxta præscriptum ipsius domini Christi Iesu primi pastoris. Est ergo sensus thematis, qui ad prælaturam admittitur non per Christum, neque secundum Iesum Christum sed alia via illicita, ille fur est, & latro.

Prouerb. 8 Reges sæculares per Christum regnant.

Hoc posito: prælatos in regimen intrare per Christũ isto modo erit vocante Christo D. non illis se offerẽtibus, ambientibus, procurantibus; sed Christo D. vero pastore vocante, ordinante assumente. Iuxta illud ad Heb. 5 *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tãquam Aarõ.* A Deo solum debet vocari, & assumi & aliquando miraculose monstrari, & cogi; vt coegit, ac prodidit Ambrosium, Gregorium, Nicolaum, &c.

Secundo modo & magis ad nostrum intentum, prælatos intrare in Ecclesiam per Christum est, intrare per virtutes, scientiã, & prudentiã præscriptas à Christo; ita vt eligendus in prælatum habeat virtutes requisitas à Christo D. est enim virtus porta, & ostium ad prælaturas, & honores, ac dignitates: ac proinde qui carens virtutibus eligitur in prælatum, neque habens cæteras partes requisitas, intrat ad honores non per Christum, non per ostium honoris quod non est aliud nisi virtus. Augustinus li. 5 de ciuit. cap. 12. & clarius Ioan. Rosin. 2. de Antiq. Rom. cap. 18 dicunt olim apud gentiles, virtutis & honoris templa ita extructa fuisse, vt per virtutis templum solum pateret ingressus ad ædem honoris. Quo ostendebatur non patere aditum ad verũ honorem consequendum, nisi per virtutem. Prima huius rei probatio habetur Num 17 vbi cum Deus cerneret populum illum iudaicum, temere contra Moysem & Aaronem murmurasse, maxime contra Aaronem, quod forte electus fuerit ad sũmum sacerdotium sine meritis, idque forte fecisse Moysem ductum affectu carnali consanguinitatis. Dixit Moysi Deus citato cap. Vt à singulis tribubus colligeret

Quæ sit porta ad honores.

Num. 17.

Aaron electus ex meritis.

figeret virgas suas, easque simul iunctas cum virga Aaronis poneret ante Dominum in tabernaculo. Quo facto die sequenti *virga Aaronis tantum, apparuit frõdens, ferens flores qui in amigdalas deformati sunt.* Quo viso miraculo, iussit Deus eandem florentẽ virgam seruari in tabernaculo. *Insignum (inquit) rebellium filiorũ. Israel & quiescant querela eorũ, &c.* Ecce ipsemet Deus non dedignatur suæ electionis rationem reddere: ac populo dicere: ne suspicemini Aaronem assumptum fuisse temere ad honorem Summi pontificatus: per portam intrauit, idest per virtutes: cuius signum fuit, quod eius virga florens, vestris aridis & immutatis manentibus, vestras omnium vitas virtute ac meritis excedebat. In trono etiam illo magnifico Salomonis 3. Reg. 10. idem licet intueri. Cum enim is esset locus maioris honoris temporalis in toto mundo: tali forma erat dispositus vt ad supremum eius locum vel sedile: per sex gradus ascenderetur: porro in illo opere tria præcipue cernebantur, ebur candidissimum, aurum fuluum, ac leones. Et cum ibi omnia essent plena misterijs, & significationibus, innuebatur, quod qui ad honores, & dignitates deberet ascendere, debebat imprimis habere charitatem

3. Reg. 10.
Thronus Salomonis significat ascensum ad honores per portam virtutis.

Dei & proximi, per aurum significatam. Deinde candorem omnium virtutum, monstratam in Ebore: ac præcipue animi fortitudinem ad resistendum peccatis, & hostibus Christi oues infestantibus. Fauet & ille versus Psal. 126. *Vanum est vobis ante lucem surgere*: quasi dicat, in vanũ laboratis surgere ad honores ac dignitates, ante lucem, idest antequam vita vestra luceat per exempla virtutum, iuxta illud Math. 5. de prælatis dictum, *luceat lux vestra coram hominibus*: prius igitur lux vestra luceat per virtutes quæ sunt porta honoris, & tunc recto gressu ad illum intrabitis. Secus (ait Dauid) vanũ est vobis, in vanum id attentatis per talem viam. Et quare in vanum? quia scilicet, dato quod absque virtutibus honorem officij ecclesiastici obtineatis, non honorem, sed dedecus & confusionem assequemini: & vbi putatis vos honoratos tali officio indigne obtento incurritis in infamiam, omnium ea de causa clamantium, ac detrahentium. Exemplum habemus huius rei manifestum Genes. 16 in illis ædificatoribus Turris Babylonicæ: qui illam fabricam præcipue intenderunt vsque ad cælũ, eo fine, vt celebrarent nomen suum, & honorificum in æternũ redderetur. At ipso facto, confusi

Psal. 126.
Math. 5.
Officium obtinens absque merito, non honorem sed confusionem obtinet.
Genes. 16.

fusi sunt adeo, & sine honore habiti, vt nullum nomen peius in scriptura sacra audiatur, quā nomen Babyloniæ, ita vt ipsammet confusionem significet. Consonat eleganter Chrysost. homil 30 ad citatum locum Genes. vbi cum prius dicat esse multos hodie qui illos Babylonicos imitantur, subdit. *Attamen illis rebus non tam laudem, quā probrum, & crimen sibi parant: nam illa opera spectantes contumeliose illos nominant.* Ponit exemplum in eo qui splendidas sibi domos, seu villas ædificauit, vt famam nominis acquirat: & post ædificium consummatum transeuntes aspicientes dicunt: hæc est villa, seu domus illius raptoris, auari superbi, inhonesti fullani. Itaque in eo quo famam, quis prætendit, dedecus incurrit: si enim illa ædificia nō viderent transeuntes non illius recordarētur, nec murmurarēt. Fere idem intueri licet: in dignitatibus obtentis immerito & sine virtutibus: eo namque ipso quod possessores earū absq. meritis illas procurarūt cupidi famæ & honoris: eo ipso scientes, & audiēntes illum esse prælatū, malā ipsius vitam, mores, & indignitatem recolentes, murmurant, clamant, ac detrahunt, ac proinde apud omnes dedecus acquirūt Elegāter etiā ad nostrū intentū Philo in libro de cōfusione linguarū, agēs de ijsdē ædificatoribus Babylonicis, pro nostro intēto sic scribit: O *insignē impudentiā. Cū enim deberetis vestras iniquitates tenebris abdere, ne vel in bonorū, & prudentiū virorū offensionē incurratis, vel effugiatis pœnas cōfessorū criminū, audetis vos in clarissima luce ostētare cōtēptis hominum minis & supplicijs diuinis infligēdis? Quin etiā innumerabiles omni ano nuntios ac testes flagitiorū vestrorū habere vultis, vt nemo nesciat nomē vestrū.* Sic Philo. Idem scripsit B. Gregorius Syagrio Episcopo lib. 10. ep. 110. vbi loquēs de illis qui se vltro offerūt, & ingerūt importune, dicit. *Nā qui sic nititur ad altiora cōscendere, quid agit, nisi vt crescēdo decrescat &c.* Vocari etiā merito potest hic honor, & officiū ad quod sine virtutibus ascendūt, potestas tenebrarū, habito respectu ad Dæmonē Rectorē tenebrarū. Hæc nāque potestas, & officij iurisdictio illis acquisita, nō eos facit fulgere: sed facit illos in fama tenebrescere. Greg. ep. 5. ad Theoctistā, dicit, *Eos qui ad pinnaculū honoris sine virtute ascendunt, cadere potius quā ascēdere.* Iuxta illud Psal. *Deiecisti eos dum alleuarentur.* Non dixit, ait Greg. *Deiecisti eos postquā alleuati sunt, sed dum alleuarentur, &c.* ita Greg. Denique huius rei gratia, dicit Bern. li. 2. de consider. ad Eugen.

Prælatus indignus est simia in tecto.

post mediũ, abijsse in prouerbiũ, de indigno gubernatore. *Simia in tecto, Rex fatuus in solio sedens.* Simia nãque in tecto, ludibriũ, & iocũ parit omnibus spectantibus, & præterea regulas frangit, aut cõuellit, vt pluuiæ pateat ingressus ad domũ. Eodẽ modo indigne officia posidẽtes ludibrio, ac ioco sunt omnibus vidẽtibus: & præterea, leges Dei, & particularia statuta conuellunt, vt in animas posit peccatorum imber irruere E contra vero Sãcti, ac virtute præditi qui ea de causa ad portas honorũ viuunt: etiã cũ ab honoribus sibi debitis indebite repellũtur, honores illi maleuole illis denegati eisdẽ cedũt ad maiorẽ glòriã Intelligebat hoc sane magnus ille Cato Rom. cui, vt refert Orosco lib. 3. emblem. 46) cũ populus Romanus statuã publicam honoris gratia ponere vellet in publico, recusauit omnino dicens: *Maiorẽ sibi laudẽ, & gloriam obuenire, ex eo quod futuri homines, videntes prædictam sibi statuã non donatã quærerent, ac mirarentur, dicentes: Quare Catoni statua posita non est? quam si ea posita, aliqui maleuoli dicerent, quare illi posita est?* Ita profecto hodie de multis indignis & per portã virtutũ non intrantibus dicere possumus: & quare illi, & illi, statua posita est, & tale officium delatum est? & ex consequenti honore obtento honorem amittunt. E contra vero de benemeritis relictis, dicitur, quare illi honor negatus est.

Honores negati merentibus, eos magis honorãt.

Sed ascendit aliunde. Considera, quod de bono pastore per ostium ingresso dicitur, *intrat*, facile scilicet, suauiter, & plane. At de malo, & indigne dicitur quod *ascendit*, cum labore scilicet, difficultate, & afflictione: affligi enim oportet in ascensu parietis cingentis ouile & fatigari: vel frangendo ouilis vallũ quod ramis spinosis consitum est. Omnis namque ascensus, difficultatem affert vsque ad anhelitus defectionem Ita profecto euenit vt quiuis ascensus ad officia quando est affectatus, & præoptatus difficultates maximas, afflictionem spiritus, & corporis etiam causet angustias. Si enim Christus Dominus diuitias vocauit spinas Lucæ 9. eo quod nos in earum acquisitione, & retentione curarum spinæ pungant, & lacerent: eodem iure, & forte maiori, honores vocare possumus spinas, siquidem & in acquisitione, & retentione tum corpus, tum animam crucient, & affligant. Lacerant, inquam, honores, & officia quando ambiuntur, & corpus vigilijs, negotiationibus seruitutibus, largitionibus, & similibus. Lacerant animam cum medijs pecca-

Luc. 9.

Honores sunt spinæ animæ & corporis.

caminosis prætenduntur: eodemque modo affligunt quatenus indebite possidentur & cõseruantur. Honorem ambiens spinam patitur quatenus sæpe ante honorem obtentum, illi debet humiliari quem odit, iuxta Ambrosium Lucæ 4. dicentem: *Ambitio vt dominetur alijs prius seruit, curuatur obsequio vt honore donetur*. Quæ ergo maior crux, aut spina a[m]bienti ac superbo quam humiliari humiliori se. Quid plus potuit superbum illum Aman torquere, quam coram humili Mardocheo genuflectere Esther 6. Et sic quidem Gregorius in epistola ad Theoctistam, per templi pinnaculum, Matth. 4, honores, & dignitates intelligit: pinnaculum illud vt communiter fertur, aureis verubus consitum erat, ad arcendas volucres ne ibi considentes illud polluerent. Ita reuera accidit ijs qui in pinnaculo sunt, illuc ascendunt primo per cochleam, vt ascendebatur ad cænaculum templi, 3. Regum 6. per viam non rectam sed circularem quæ si longa est, capitis vertiginem causat. Sic intrantes in Ecclesiæ regimen sine virtute, per cochleam ascendunt ad pinnaculum: non per viam rectam. Et postquam ascendunt verubus aureis transfiguntur, & cruciantur: etenim tot ac tantis curis agitantur vt verubus, acutissimis transfodi videantur. Significarunt hoc antiqui Gentiles cum in sceptro Mercurij duos angues innexos caudis deorsum, & capitibus sursum versis pingebant: innuentes sceptri regimen, & quoduis aliud Rectoris officium quasi anguium corrosione perpetua, & corpore & animo laniari Philo Iudæus in libro de Ioseph, qui inscribitur de vita viri ciuilis. Comparans Ioseph venditum, & carcere vinctum, & postea Principem, cum viro Rectore siue Prælato sic ait: *Recte dicitur ciuilem hominem (id est gubernatorem) vendi. Nam qui auram populi captans concionaturus, locum superiorem ascendit, sicut venalitij seruus fit ex ingenuo, propter honores vtique quos ambit addicens se innumeris dominis. Idem a feris circunuentus inducitur: sed emptores Ioseph eum reuendunt quoniam non vnus est dominus tractantium Rempublicam, sed vulgus & cæt.* Vbi vides Prælatum populo venditum vt seruum dici, à feris circunuentum & pluribus dominis addictum. Alludit optime ad hoc quod Diuus Bernardus dicit lib. 1 de consider. ad Eugen. paulo post initium: ipsum

Ambiens curuatur ante illũ quẽ odit.

Esther 6.

Matth. 4.

3. Reg. 6.

Sceptrum Mercurij cur duos angues habeat.

Prælatus est homo venditus subditis.

ipſum Papam quod ſuo de quolibet prælato dici poteſt eſſe captiuum, captiuitate moleſtiſsima, ſimili Iudaicæ, qua ſcilicet hodie Iudei infideles per totum mundum humiliantur in hoc quod Papa non vni ſeruiat, ſed omnibus. Verba Bernardi ad Eugeniũ ſunt. *An ideo non ſeruus, quia non vni ſeruis, ſed omnibus? Nulla turpior ſeruitus, grauior ve quam ſeruitus iudæorum quam quocumque ierint poſt ſe trahunt, & vbique dominos offendunt ſuos. Tu quoque dic quæſo vbicunque ſis liber, vbi tutus, vbi tuus. Vbique ſtrepitus, vbique tumultus, vbique iugum tuæ ſeruitutis te premit.* Sic Bernardus. Quod ſi de bonis, ac ſanctis prælatis talis pronunciatur afflictio; quam ſpinarum, & afflictionum congeriem patientur mali prælati, qui peoribus ſeruiunt dominis, diaboli ſcilicet auaritiæ, luxuriæ, ſuperbiæ, vanæ gloriæ, ac ſimilibus feris indomitis, & hoc abſque conſolatione Diuinaꝛ Diuus Chriſoſtomus hom. 34. in cap. 13. ad Hebr, de iiſdem honorem prælaturæ ambientibus ſic dicit. *Quid dicamus infœlicibus illis, & miſeris qui ſemetipſos ad alios regendos præcipitant, & ſe in tantorum ſuppliciorum abyſſum iactant?* Ecce cum quantis laboribus, & ſudoribus indigni aſcendunt ad maiora pericula: & non dico iam fatigati aſcendunt, ſed currunt, imo volant: non quidem ad animarum curam; ſed ad honorem, & commoda cathedræ. Teſtis eſt Bernardus ſerm. 77. ſuper Cantic. de his dicens: *O vtinam tam vigiles reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad cathedram!* Propoſitis inquam his periculis in aſcenſu ipſis indignius, & illis alijs maioribus poſt officium obtentum, nihil horrent, nihil timent: quia ſcilicet amor dominandi omnia poteſt Volens Chriſtus Dominus Math. 20. duos illos filios Zebedæi à dextræ, ac ſiniſtræ prætenſione deterrere; proponit illis ſi poſsint Calicem pro illo bibere, mortemque guſtare. reſpondent, poſſumus. Qui namque honorem, & officium appetit omnia ſe poſſe confidit Aſsimilatur hic dominandi amor quodammodo charitati de qua Paulus 1. ad Corintheos 13. *Dicit quod omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* Eſt laudis cupiditas quodammodo charitatis ſimia; omnia ſuffert, omnia ſubſtinet. Simile inuenies apud Auguſtinum tractatu 8. epiſtol. Ioann. dicentem. *Videte quanta opera facit ſuperbia: ponite in corde quam ſimilia faciat, & quaſi paria charitati paſcit eſurientem charitas, paſcit, & ſuperbia:*

Prælatus captiuus eſt ſubditorum.

Anguſtiæ malorum prælatorũ

Matt. 20.

Ambitioſus omnia ſe poſſe affirmat

1. Ad Cor. 13.

Ambitio in quo aſsimiletur charitati: & eſt charitatiſsima.

bia charitas vt Deus laudetur superbia vt ipsa laudetur Vestit nudum charitas, vestit & superbia: ieiunat charitas, ieiunat & superbia, & cat. Sic etiam laudis cupiditas omnia difficilia facit quæ facit charitas hæc tamen vt Deus laudetur, illa vt ipsamet, seu vt laudis cupidus exaltetur.

Ascendit aliunde Aliunde, id est non intrat per portam virtutis, sed aliunde id est per alia multa, & contraria media quæ breuiter perstringamus. Primũ sit, intrare per ambitionem. Quam siquidem tot modis accusant Doctores & Sancti: primum visum fuit explicare quid sit. Hanc ergo Calepinus verb. ambitio, vel verbo ambio, dicit proprie esse, vnde quaque, cingo; seu nimis appeto: itaque tũc solum erit ambitio cum omni via, & medio, res anxie desideratur. Ac proinde peccatum non erit solum optare prælaturas seu simpliciter appetere animo tantum inseruiendi Deo, & eius ouibus proficiẽdi Id vero anxie appetere ambitio est. Legatur tamen D. Thom 2 2. q. 85. artic. 1. qui illud quod dixi non esse peccatum optare prælaturam cum proposito proxime dicto, adeo limitat ac stringit, vt totum dicat licere eam appetere, instante necessitate, quando scilicet video meam personam esse necessariam, neque aliam esse meliorem &c. Legatur ibidem sanctus Doctor. Quæ necessitas quoniã hodie rara est; & cõmuniter ad honores illa ambitione, & animi anxietate aspiramus. De hac dico quomodo Christum D. hic intelligere, quod intrent aliũde: idest nullis præcedentibus aliis meritis quã nimio appetitu, seu ambitioso affectu, qui quidem appetitus & affectus non merita, sed de merita sunt. Tali inquã affectu & auiditate hoc ambimus, vt cum prælatura sit onus Angelicis humeris formidandũ, iuxta iam supra dicta de eius labore & periculis. Nihilominus ambitiosum magis cruciat carere officio, quã labores ipsius officij Mire, & eleganter Bernard. hoc considerat tota Epist. 126 ad Episcopos Aquitaniæ contra quendam Gerardum Episcopũ Engolismensem, qui indebitè, & nimis anxiè legati officiũ ambiebat. De quo primo sic ait *Vides quid facit amor gloriæ? legatio sarcina grauis, humeris præsertim senilibus: (erat enim ille iam senex) & tamen homini senissimo, grauior videtur pœna reliquum id breue dierum suorum viuere sine hac pœna.* Et Paulo infra, dicit Bern. Esse homines adeo dominandi cupidos, *vt Erubescant se esse subditos*, id ipsum affirmat de illo sene Episcopo. Dicens. *Nimirum homo diu*

Quis sit ambitio: &c.

Prælaturã optare vt plurimum est peccatũ vel temerarium

Ambitiosus magis cruciatur carẽtia officii, quã laboribus officii.

Subditos se esse ali qui embescunt.

diu magnus habitus inter suos videri se ipso inferior erubescit. Et addit hác superbam & in verecundam esse verecundiam, *quod terra & cinis erubescat subiici, & erubescat non dominari.* Tanta denique molliuntur isti ad honores assequendos, nullum non mouentes lapidem, vt cum tali indigno nũquam officium dare liceat: ibidem Bern, de illo ambitioso sene dicat, quasi per hyperbolem; *Vtinam tamẽ obtinuisset: minus forte nocuisset potita votis ambitio quam frustrata.* Hæc omnia volui Ex D. Bern. referre, nullũ enim reperi qui magis ad viuum ambitionẽ, & ambitiosum de pingat, citatis verbis, & epistola. Pro eo verò quod addit de verecundantibus sub ijci, adderem: Patrem nostrum Franciscum in sua regula timere quod fratres sui pauperes verecundarentur pro petendo pane ad vitã omnino necessario. Iux ta illud antiquorum dictũ, graue verbum, ac dimisso vultu dicendum, Da mihi: ac pro inde volens Pater Franciscus etiam sanctum illum ruborem de pe tendo pane ostiatim aufferre a fratribus: addit. Nec oportet eos verecundari quia dominus pro nobis se fecit pauperem &c. non itaque damnauit omnino verecundiam mẽdicandi panem necessarium omnino. At quomodo non verecundantur homines petere honores sicut panem? Arguit profecto hoc in verecundiam magnam, & ambitionem maiorem; & forte merita nulla. Ne vero huic rei desit Chrisosto. audiatur ille hom. 2. serm. Epistolam ad Titum sic scribens. *Neque enim fieri potest vt homo mancipium gloriæ, non sit omnium seruus: imo omnibus seruis abiectior, Neque enim talia nostris imperamus seruis qualia illa his qui ab ipsa capti sunt, turpia fæda, confusionis que plenissima, & loqui & facere, & perpeti Iubet &c.* Et mirabile est quod notat Ieronim. lib 4. circa capit. 23. Math. indubitabile esse ambitionem Iudæorum fuisse causam mortis Christi Domini, eo quod Christus D. eorum gloriam (Pharisæorum maxime) coram omnibus verbis & miraculis obscuraret. Illã porro detestabiliorem ad huc ambitionem Iudico quæ sub virtutis specie, honores se fastidire conqueritur, eos tamen neque recusat neque relinquit. De hac optime sene ea ad Lucillũ Epist. 22. dicit: *Ex cute istos, qui, quæ cupiere deplorant, & de earum rerum loquũtur fuga quibus carere non poßũt. Sic de ambitione quomodo de inimica queruntur: & si verum affectum eorum inspicias non oderunt, sed litigant* Hæc Seneca.

Honores ignipetũt vt panem.

In verecũdiam sonat honores petere

Querũtur aliqui, & honores accusant, sed procurant.

Ascendit aliunde. Secunda porta furtiua per quam aliunde, &

non per virtutem acquiritur honor prælatura, est per oblationem, & donationem munerũ. Infinita prope sunt quæ contra huiusmodi portam Ecclesia decreuit, videlicet contra procurantes beneficia Ecclesiastica per donationem pecuniæ, ceu munerum, quæ forte locum etiam habent in Religionibus. Audiatur vnum tantum capitulum Iuris canonici 1.q.1.c. Sunt nonnulli, de sumptum Ex D. Greg. Vbi dicitur multos esse Episcopos qui ex sacrorum ordinum collatione nũmos non accipiũt: sed tamen Simoniacam labem non effugiunt: quia scilicet eos conferunt pro humana gratia, & solam laudis retributionem quærunt. Triplex ergo muneris genus ibi distinguit videlicet: Aliud est munus ab obsequio: aliud munus a lingua: aliud munus a manu. Munus ab obsequio est seruitium antea exhibitum eo fine vt prælatura cõpensetur. Munus a manu, pecunia numerata, vel res æquiualens dicitur. Munus a lingua vocatur ibidem fauor, seu preces importunæ exhibitæ. Ecce triplex muneris genus quæ porta furtiua dignitatum est, & ad simoniam vel accedit vel pertingit. Et ab horum omniũ munerũ receptione ibidem dicitur dignitatum collatores manus excutere debere, iuxta Isayam Prophetam ibidem citatum, in hæc verba: *Qui excutit manus suas ab omni munere.* De his queritur Bernar hom. 4. super missus est, dicens: *Videas homines pecuniosos ad honores quosque Ecclesiasticos peruolare moxque sibi applaudere sanctitatẽ, vestium dumtaxat mutatione, non mentium: quodque (si audeo dicere) adepti sunt nummis, attribuere meritis.* Quod etiam Tullius lib. 2. officiorum deplorat dicens: *Male se res habet cum, quod virtute effici debet id tentatur pecunia.* Neque acutissimum patrẽ, & Monachum Bernardum latuit quod fieri solet aliquando, quod scilicet munera non dantur ipsis collatoribus dignitatũ, sed famulis vel pueris ipsorum, eo modo quo 4 Reg. 5. Naaman ille leprosus, munera ab Eliseo neglecta dedit eius famulo Giesi. Hoc inquam Bernard. non latuit qui monens Eugenium Papam lib. 5. de considerat. dicit, *Vt tales Ianitores & famulos habeat qui non sint Giesitæ: hoc modo super hoc quem forte (id est famulum) ab aduentantibus petere deprehenderis iudica Giesiteam.* Id de ostiarijs, id de cæteris officialibus decernendum, sic Bernardus.

Intrantes ad honores per donationem munerũ.

Munerũ triplex genus quibus prælaturæ obtinentur.

4. Reg. 5.

Ascendit aliunde. Tertia denique porta furtiua, vt ascendatur ad officia sunt subornationes: de quibus quantum damnum

num

num in electionibus, & Religionibus causent sufficiat meminisse quot prohibitionibus, & quam rigurosis, illæ ab Ecclesiæ damnentur. Hæ nempe faciunt vt indigni passim eligantur, & dignissimi sæpe omittantur: hæ sunt seditionum, & discordiarum semina. Tetigimus hactenus, seu indicauimus tres furtiuas portas, per quas ad honores solet ascendi aliunde, & non per veram portam virtutis, videlicet per ambitionem, per munera, per subornationem. Intrantes porro ad officia per has tres & alias similes, dicuntur in iure intrare, seu eligi per sordes, iuxta id quod habetur cap. 1. de sentent. & re iudicata, in 6. de Iudice per sordes iudicante, & reuera sordes sunt animi, i no & honoris temporalis, illæ quæ contrahuntur per ambitionem, munera, & subornationes: sordes reuera sunt sordidissimæ: vt vere possimus hodie exclamare: Heu quantis sordibus emitur fulgor honoris; quantis sordibus peruenitur ad munditiam dignitatum: Quantis sordibus animi comparatur splendor honoris? Non ergo hi per has furtiuas portas intrantes seu intrare volentes, ac se offerentes, sunt eligendi, sed nolentes, sed fugientes & recusantes, Sicut Bernardus 1. de consider. monet Eugeniũ, vbi de Cardinalium promotione sic scribit: *Itaque nec volentes nec currẽtes assumito, sed cunctantes, sed renuentes coge, & compelle eos intrare.* Et ratio in promptu est. Qui enim libentissime se offerunt, & officia procurant: non animarũ zelo ducuntur, sed lucri & honoris gratia tãtummodo: neque onus officij formidant, quia tali oneri se submissuros non proponunt. Sãcti vero ac timorati homines, onus officij cõsiderantes, ac periculũ, propriũ, & alienũ, neque lucrũ, aut honorẽ curãtes, timent onus, fugiũt, & recusãt. Et proinde recusantes eligẽdi sunt, & se offerentes arcẽdi: iuxta illud Chrys. hom. 35 oper. imper. *Primatus enim fugientẽ se desiderat, desiderantem se odit.* Sic Chrysost.

Fur est, & latro. Si quis indignum prælatum hodie his nominibus appellaret, forte; linguosus videretur: at Christus Dominus eũ & furẽ, & latronẽ appellat: dupliciterque latronem nominat: & merito quia vt plurimum indigni, qui per illas tres furtiuas portas ingrediuntur, duabus de causis sunt latrones: primo de præsenti, secundo de futuro. In præsenti quidem quando male dignitatem Ecclesiasticam acquirunt, latrones sunt, quia primo alios digniores omissos lædunt,

De subornationibus.

Intrare ad officia per sordes quid sit.

Procurant officia, non procurãt animas, sed lucrum.

Prælatura desiderat fugientẽ, & reijcit appetentem.

Indigne electus duobus modis est latro.

dunt, eosque suo modo honore, & bonis futuris officij spoliant: furantur præterea, & lædunt Ecclesiam: eidemque electores tenentur restituere damnum datum, quod eidem obuenit electione pastoris indigni, iuxta Theologorum præscriptum cũ D. Thom. 22. q. 62. quando agũt de restitutione in materia beneficiorum. Secundo loco indigni electi latrones sunt de futuro, quia indignitate positi furaturi sunt in futuro: Dixit hoc ipsum Christus Dominus hoc ipso capite 10 Ioan. cum de malo pastore dixit: *Fur non venit nisi vt furetur, & mactet*. Idest indigne electus eo animo dignitatem procurat, vt in futuro tempore furetur, & mactet Intrat videlicet, vt de ouium lanis, lacte, & carnibus, & officij commoditatibus furetur: furetur inquam primo sibi ipsi vt delicatius vestiatur, prædictaque commoda ad suas tantum necessitates conuertat; non vero in ouium sustentatio insummat. Furabitur præterea quoniam in vanitatibus sustentandis cuncta consummet. Furabitur præterea, quoniam de bonis officij, seu benificij satisfacere procurabit illis, qui cum ad prædictum officium indebite promouerunt. Hos enim quasi idolum colit, ad hos beneficij prouentus mittit, tum vt gratus sit illi malæ collocationi: tum etiam vt ijdem mali collatores suum clientem, vt pupillum postea defendant, & tueantur ac liberent à pœnis, & supplicijs, quibus dignus erat ob defectus in mala officij administratione cõmissos. Furabitur denique indigne electus, vt cõsanguineos suos de bonis Ecclesiæ dites faciat; quemadmodum sæpe fieri videmus, quod qui faciunt, neque legunt, neque imitantur, illum Ecclesiæ Doctorem August. serm. 27. ad fratres in eremo vbi sic fratres illos est allocutus. *Consanguineos habeo, & nobiles se esse non erubescunt & ad me Episcopum veniunt, aliquando cum minis, aliquando cum blandimentis dicentes: Da nobis aliquid pater, nam caro tua sumus. Et tamen Dei gratia & vestris orationibus consanguineum aliquem me dotasse non recolo, &c* Ob hanc forte causam quod Christus Dominus malos prælatos fures, & latrones nominet; illique tot modis à nobis citatis Ecclesiæ pronentus furentur: suspirabat Bernardus ad Eugenium Papam sic scribens epistola 237. *Quis mihi det antequam moriar videre Ecclesiam Dei sicut in diebus antiquis: quando Apostoli laxabant retia in capturam: non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum?* Et vere quidem Bern. pro illo tempore suspirabat Paucissi-

De prælatis consãguineos ditãtibus.

cissimi namque hodie sunt, qui solam animarum salutem procurent; & quam multi, qui principaliter ad solos Ecclesiæ prouentus temporales aspirant Pauci sunt qui possint cum Samuele
1.Reg.12. primo Reg.12.dicere: *Vtrum bouẽ cuiusquam tulerim aut asinum; si de manu cuiusquam munus accepi, contemnam illud hodie restituamque vobis.* Grande peccatum re-
1.Reg.12. fertur 1.Reg.2. comissum à filijs Heli mali Sacerdotis, quos ibi vocat Scriptura: *filios Belial* nescientes Dominum. Peccatum vero erat, quod cum populus ad sacrificandas animalium carnes veniret in templum, & pars carnis quæ de tali sacrificio cedebat Sacerdoti, non esset illi danda cruda; sed cocta; veniebat puer Sacerdotis antequam incenderetur adeps, & coquerentur carnes, & mittebat fuscinulam tridentem in ollam, cacabum, seu lebetem, & quidquid leuabat fuscinula tollebat sibi. Dicentibus vero sacrificantibus vt expectaret donec carnes coquerẽtur; respondebat puer Sacerdotis: Nequaquam, non ne enim dabis alioquim tollam vi. Et hoc dicitur ibi quod erat peccatum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à sacrificijs, & nota quod pueri Sacerdotum, simpliciter non tollebant quod suum non esset in rigore petebant enim partem Sacerdoti debitam. Sed petebant extra tempus, & extra modum, crudam scilicet pro cocta. Oh quot hodie prelati grauius peccant, qui fuscinulas habent tridentes, & in quæcumque bona Ecclesiæ, & subditorum sibi placita & sibi non debita mittunt fuscinulam & tollunt sibi, si non vi, tali tamen modo, talibus precibus vt plusquam vim facere, & inferre videantur Baculum quidem in consecratione sua recipit Episcopus ad sustentandas oues, non fuscinulam: ac proinde bonus prelatus baculo, non fuscinula debet vti. Claudamus totum adhuc dicto Bernardi, qui in sermone de verbis Petri: *Ecce nos reliquimus omnia*, sic inquit. *Petro dictum est, pasce, oues meas, idemque tertio repetitum; tertio dictum pasce, non mulge sed tonde, &c.*

Prælati multi habent fuscinulã quæ tẽporalia rapiunt.

Vidisti quæ sit porta honoris, ac dignitatis Ecclesiasticæ; vidisti quæ sint portæ furtiuæ: qui boni prælati, qui fures, qui latrones, nolite in loco sancto ponere abominationem: nolite eligere latrones, qui Christi sponsam denudent, ac spolient, constituite supra candelabrum lucernam ardentem, ac lucentem: eligite prælatos qui Christi Sponsam vestiant, ornent, ac ditent, exemplo ac doctrina; qui denique Ecclesiæ non auferant, sed donent, donent

donent inquam si opus fuerit sanguinem proprium, vitam pro ouibus dando: vt Deus illis, & nobis det gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, Amen.




SERMO V. EXORTATORIVS.

Quando Prælatus superior, confirmat Prælatum inferiorem electum.

PROPONVNTVR MVLTÆ CONDITIONES AD VERVM PRÆLATVM REQVISITÆ.

Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Ieremiæ cap. 1.

Ierem. 1.



STATIM post electionem quando prælatus præsidens confirmat electum inferiorem (vel monialem Prælatam) exortatur electam, (saltem in nostra Religione Seraphica) illi suam obligationẽ, & onus reuocans in memoriam. Ad quem finem

Quod sit officium & conditiones prælati.

finem mihi visa sunt accōmodata verba citata ex Ieremia: in illis enim per summam continetur totum id quod verus ac bonus prælatus facere debet. N mirum destruere peccata, & errores cōtra Fidem, & mores: atque infirmos ædificare, & plantare virtutes ad hoc enim eligitur in prælatum. Alludit forte Spiritus Sanctus ad comparationem Hortulani cui Princeps aliquis curam dedit alicuius sibi cari viridari: eo nempe fine, vt in illo herbas inutiles euellat, venenosas disperdat, ramos putres scindat ac dissipet, ac præterea proficuas, curiosas & vtiles herbas, ac plantas ædificet, ac plantet Ecclesia Catholica viridarium Dei est, illi pulcherrimū & amenissimum: eam prælatis vel, totam, vel partem comittit tanquā suis Hortulanis, vt vitia, malos mores, & hæreses per pœnas, & excommunicationes si opus sit, euellant, dissipent, ac disperdāt. Ac præterea suo bono exemplo varia virtutum semina iacientes bonos mores plantēt, & fideles animas ædificent. Duo itaque suntque prælato iubentur in themate, primo mala euellere, secūdo bona plantare, de quibus sumus dicturi.

Prælatus sicut Hortulanus. Ecclesiæ hortus.

Et quidem pluribus verbis, nempe quatuor extirpationem malorum prius comendat, duobus vero tantum, plantationem bonorum. Quod ergo attinet ad primum prælati officium de malorum extirpatione zelo scilicet in charitate fundato: video forte illum de hoc edoceri in traditione baculi pastoralis quādo Episcopus consecratur. De quo optime disserit Durant de ritibus Ecclesiæ lib. 2. cap. 9 num 38. ibi ex multis Doctoribus cōsiderat in baculo tres partes reperiri: inferiorem scilicet quæ acuta est, & aliquando ferrata. Media vero pars baculi recta est Tertia, & suprema, est curua. Hæ omnes tres partes baculi pastoralis misterium habent, diuersaque officia: omnia tamen ad ouium correctionem diuerso modo destinata: prima enim inferior, & ferrata significat cum illa pungendos esse pigros, & rebelles. Secunda pars baculi recta, designat debiles regendos esse. Tertia, & suprema recurua deseruit ad vagos, seu vagabundos colligendos, & reducendos. Vnde & carmen de hoc dicit.

Prælatus zelus circa vitanda mala.

Baculus Episcoporum quid significet?

Curua trahit; quos recta regit; pars infima pungit.

Refert autem ibi Durandus varias formas tradendi hunc baculum, contentas in libello qui inscribitur ordo Romanus. Durandus autem in rationali D. officij lib. 3. cap. 15. hanc tradit formam qua baculus à consecratore

tore traditur consecrato. *Accipe baculum pastoralis officij vt sis in corrigendis vitijs pie sauiens.* Sæuire namque prælatum oportet, imo & tanquam Leonem rugire quādocumque vitia conspexerit in subditis suis: Non tamen ea debet esse pura sæuitia sed cum misericordia permista. Ecclesiastici cap. 7. De hac præcipue obligatione prælati admonentur, cum dicitur: *Noli quærere fieri iudex nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, &c.* Irrumpere, est omnino destruere, ac dissipare aliquid: sic oportet vt prælatus iniquitates, vitia malos mores, non attentet quidem dissipare solummodo, volendo intentando: sed omnino, ac penitus rumpat, & irrumpat. Videas multos prælatos qui multorum criminum habent notitiam, & attentant quidem curare, & euellere; sed magnates extimescentes, cessant, ac desistunt, cum oporteret irrumpere: incipiunt quidem iudicium, sed ad finem non perducūt. De quo Dominus conqueritur Habacuc 1. *Lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium.* Non sic profecto non sic Paulus qui Galat. 2. Videns in Petro id quod saltem vmbram defectus habere iudicabat; quamuis sciret Petrū esse maiorem, & ipsum Papam, illi tamen in faciem restitit, &

Eccles. 7.

Habac. 1.

Galat. 2.

quasi illum increpauit. Salis habent officium quod à corruptione præseruat, & putredinem impedit. Concilium Trid. sess. 14 cap 8. Monens Sacerdotes vt in Sacramento pœnitentiæ dignas pro peccatis satisfactiones iniungant: dicit, *eos si secus faciant alienorum peccatorum fieri participes.* Id ipsum in foro exteriori æquali iure de prælatis dicendum est: si enim peccatis subditorum conniueant illaque dissimulent, neque euallant: nec extirpent, proculdubio, eorundem peccatorū participes fiunt: & in diuino iudicio de illis omnibus reddēt rationem. Pro hoc intento explicat Gregor. 2. parte Pastoralis cap. 10 illum versum psal. 128. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores: dicens prælatum supra dorsum suum portare iniquitates subditorum si illas non emendet.* Verba Gregorij sunt: *Quos corrigere nequeo quasi super impositum onus porto.*

Prælatus non corrigēs fit particeps alienorū peccatorum.

Psal. 128.

Quod attinet ad secundam actionem prælato iniunctam, ædificandi scilicet, & plantandi, vitæ exempla in subditis, eleganti comparatione idem Gregor. exposuit hom. 17. sup. 10. Luc dicens, quod quemadmodum pastores pecorum ante ipsas pecudes sæpe aponunt petram salis, vt ipsum sal lābētes meliorētur: eodem modo, inquit Gregor. *talis debet esse Sacerdos, & Prælatus,*

Prælatus sua vita plantat in alijs vitæ exempla.

vt quisquis Sacerdoti iungitur, quasi è salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur Vbi quasi innuit quod prælatus taliter in vita, & in actionibus suis se debet habere, vt solo intuitu subditos doceat, eiusque subditi ex solo prælato viso, & conuersato debeant proficere, & meliorari. Videturque coincidere cum dicto Christi Domini Math. 5. *Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Ad Titum 2. ait Paulus. *In omnibus teipsum prabe exemplum bonorum operum, &c.* Magna profecto prælati obligatio, magnum onus: vt non illi satis sit bonum præbere exemplum in vno, vel in duobus: id enim cuiuis subdito sufficeret: sed in omnibus virtutibus exemplum, & regula esse oportet; si quidem non vni tantum, sed omnibus viuit, & in omnium animis omnium bonorũ ac virtutum, Magister vniuersalis plantare semina tenetur. Optime Gregorius super cap. 10. Reg. lib. 4. inquit. *Flores quippe æternorum fructuum sunt opera Sanctorum: ex eis capiemus vnde ad nostram, & ad aliorum vtilitatem repleamur.* Et per hæc satisfactum fere videbatur themati initio proposito, duas actiones iniungēti prælato præcipuas: peccatorum scilicet extirpationem, & virtutum plantationem. Quia tamen ad hoc debite peragendum

Mtah. 5.

Ad Tit. 2.

multæ aliæ conditiones requirũtur, sine quibus nec vitia extirpare, nec virtutes bene potest plãtare: has conditiones sigilatim perstringamus, tangentes adhuc quæ nouiter electo commode possunt commendari à confirmatore.

Prima admonitio est: quod, si forte inimicos, vel non amicos hactenus habuit, iam hinc meminerit hoc nomen abolēdum: & se illis benefacturum, cum hodie Pater omnium eligatur Eadē hora qua Samuel 1 Reg 10. vnxit Saul in Regem: inter alia quæ illi euentura postea dixit, fuit: *Inuenturum se multos Prophetas, & ait. Et mutaberis in virum alium:* Appositissima profecto noui electi conditio, vt scilicet mutetur in virum alium: nouum officium acquirit, nouum cor pariter cum officio recipiat. Ea forte de causa communi iam, & antiqua consuetudine, omnes electi in summos Pontifices mutant nomina: innuente, & obligante illos consuetudine vt cum nomine cor etiam mutent. Dicat denuo electus cum Paulo ad Rom. 1. *Sapientibus, & incipientibus debitor sum:* non dicat, his debeo, his nõ debeo, sed cunctis debeo paternum amorem, paterna viscera exhibere. Non sit prælatus habēs dextram, & sinistram: dextram aliquibus, sinistram alijs. Hac enim

1. Reg. 10.

Prælatus nõ habet inimicos, vt scilicet illis malefaciat, est omnium pater.

Prælatus electus debet mutare cor.

Rom 1.

Prælatus est ambidexter nõ habens sinistram.

enim forte etiam de causa Christus Dominus filijs Zebedæi sinistram ac dexterã dare noluit; innuens quod non esset prælatus habens sinistram, alios scilicet ad dexteram, alios ponens ad sinistram. Sit prælatus similis illi Aioth Iudic. 3. *Qui erat ambi dexter, & vtraque manu vtebatur pro dextera*. Sic interpretatur Orig. homil. 3. in lib. Iudic. dicens. *Qui suscitatur ad saluandum Israel, nihil habet in se senistrum. Dignus vero populi Princeps, & Ecclesiæ Iudex qui nihil agat finistrum.* Sic Origines. Meminerit tandem electus, se esse lapidem angularem qui faciat vtraque vnũ; non diuidat parietes, sed contineat: id enim faciebat lapis ille angularis duos parietes sustinens, & complectens. Sic nouus prælatus non factiones, & seditiones acuat, & continuet: sed ex omnibus subditis, si forte diuisi sunt, faciat vnum ouile, & populum vnum. Ni fallor Romæ existens audiui, quod assumpto Sixto quinto ad summum Pontificatum; quidam ciuis Romanus nobilis, qui antea ipsum Cardinalem offenderat, Romam exire parabat, timens ne Sixtus quintus in Papam electus, & iam potentior, antiquam iniuriam vellet vindicare. Hoc sciens nouus, & magnanimus Pontifex, prædictum ciuem, ne fugeret admonuit: cumque bono, ac securo animo sine timore esse iussit: dicens quod is nil timere debeat. siquidem non læserat Sixtum quintum, sed Cardinalem se antea Montaltum, qui iam obierat. Ecce quomodo vere tantus prælatus mutatus est in virum alterum.

Iud. 3.

Prælatus est lapis angularis. Mirũ Sixti V. exẽplũ in condonanda iniuria.

Secunda admonitio, quod in gubernando pendeat magis ad misericordiam, quam ad seueritatem. Pro quo seruiat quod hodie superior confirmans: dat electo suo modo claues Ecclesiæ: per confirmationem enim confirmatus acquirit iurisdictionẽ, ac proinde potestatem ligandi, atque soluendi, ad quos actus clauium potestas se extendit. Iam vero Romæ, & in vrbibus Italiæ sicut ego vidi, & testatur Ioan. Molanus lib. 3. de histor. Sanctorum imaginum cap. 21. quando in portis Templorum, vrbium, & locis publicis depinguntur insignia summi Pontificis, mitra scilicet pontificalis, cũ duabus clauibus: altera clauis pingitur aurea, altera vero argẽtea, quod non video in Hispania obseruari. Quæ differentia iuxta Molanum innuit, per clauem auream denotari potestatẽ absolutionis, & misericordiæ: per clauem autem argenteam significari potestatem ligandi, & excõ-

Prælatus inclinet magis ad misericordiam.

Clauium pictarum in imagine D Petri ratio redditur cur vna aurea, alia argentea.

excommunicandi, ac proinde puniendi. Quæ licet ambæ potestates bonæ sint, & in prælato necessariæ, absoluere tamen, & misereri in prælato aureũ est & prestantius est, quam excõmunicare, quã punire: iuxta illud, *miserationes eius super omnia opera eius.* Psal.
Psal. 144 144. Duæ ergo claues electo conferuntur alia miserendi quæ aurea est, alia puniendi quæ argentea. Alludit sancta illa & antiqua consuetudo, qua in veteri Testaméto Reges in sua electione oleo vngebantur: & vsque hodie retinetur: quod ea de causa fiebat vt significaretur rectores ac prælatos oleo misericordiæ potissimũ debere abundare: oleũ namque facit rem vnctã lenem & blandã: & sic prælatorũ spiritualium materialis vnctio significat postulari ab illo viscera blãda, & lenia: quo sensu Paulus ad Gal 6. monebat: *Vt quando aliquis delicto esset praeocupatus, à viris spirituali bus, videlicet prælatis, instrueretur in spiritu lenitatis.* Dominetur itaque prælatus, non sicut princeps gentium: sed dominetur vt agnus. Iuxta illud, Isayæ 16. *Emitte Agnum Domine dominatorem terræ.* Sit dominium Agni mansueti, sit dominium in patientia: iuxta illud Doctoris gentium 2. ad Thimotheum 4. *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia, &c.* Notanter Paulus inter verbum *Argue*, & inter verbũ *Increpa*, posuit verbum *Obsecra*: & post verbum, *Increpa, addidit in omni patientia.* Prælati namque increpationes & punitiones plus debent misceri precibus, quam minis ac seueritate. Vt vero recurramus iterum ad thema propositum hinc iam patet qualiter prælatus se gerere debeat in vitijs extirpãdis dissipãdis & euellẽdis. Nõ enim sæuire debet vt Leo: sed debet sæuire pié, vt dicitur in forma traditionis baculi pastoralis: vt scilicet, sit in corrigendis vitijs piè sæuiẽs. Audiãt mellifluũ Bernardũ ser. 23. super Can Inter alia prælatos sic monentẽ: *Erudimini qui iudicatis terrã: discite subditorum matres vos esse debere nõ dominos. Studete magis amari quã metui, & si interdũ seueritate opus est, paterna sit nõ tiranica Matres sa uendo, patres corripiẽdo vos exhibẽtes, Suspẽdite verbera, producite vbera*: Sic ibi Ber. cũ allis multis elegãter ad hũc sententiã.

Quid significet Reges oleo vngi?

Gal. 6.

Isay. 16.

Prælatus dominetur agnus.

2. ad Thi. 4.

Prælatus presæuiat.

Tertia deniq; admonitio. Vt sciat prælatus quomodo iuxta citatũ thema, debeat plantare, & ædificare, quæue proinde qualitates boni prælati in eo debeant fulgere: eas optime depingit Iob c. 29. inter alia dicens: *Iustitia indutus sũ: oculus fuit cæco & pes claudo: pater eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam: conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam*

Prælatus aliæ conditiones.

prædam, &c. Hæ inter alias sunt optimæ, & potiores prælati vir tutes, quas si habuerit, & sufficiẽ ter vitia destruet, virtutesque plantabit, quæ quia potissimæ sunt, & nostrum thema magis elucidant prælatique obligationes ostendunt, breuiter singulæ perstringantur.

Imprimis prælatus iustitiam debet induere: porro iustitia, significat nomine communi omnem speciem virtutis; vnde, & iustus à iustitia dicitur qui in omni opere Deo acceptus est: atque ideo prælatus in omni virtutis genere debet splendere.

Iustitia significat omnem virtutem.

2. Iustitia significat particularem virtutem cardinalem qua redditur vnicuique quod suum est; quæ propria iudicum est, Regum, ac prælatorum. Quouis autem modo summatur iustitia, dicit Iob se vestiuisse iustitia sicut vestimento; id est vndequaque & in omni opere iustitiam seruasse sicut Gregorius exponit ad illum locum Iob dicens: *Qui iustitia sicut vestimento vestitur, se vndique bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit nam qui in alijs actionibus iustus est, in alijs iniustus, quasi hoc latus cooperit & illud nudauit, &c.* Innuit Gregorius non sufficere prælato bonum esse in vno genere virtutis, si in aliquibus virtutibus sit diminutus. Si vero iustitia pro particulari virtute cardinali summatur qua redditur cuique suum, tũc prælatus nõ indutus iustitia vndequaque erit ille qui personarũ acceptor est, cum oporteat prælatũ æqualem esse, & Deum suum imitari qui nõ est personarum acceptor. Act 10. Christus Dominus verus prælatus. Ioan. 20. *In medio Discipulorum apparuisse narratur*, monens prælatos in medio, & cũ æqualitate ad omnes se habere debere. Si colũna vnica domum sustentãs ponatur ad angulum domus; nil faciet domus cadet: oportet in medio collocetur Prælatus colũna est sustentans subditos si non sit in medio, omnibus æqualis, sed ad hos propinquet per amorẽ, & beneficiorũ collationẽ: illis vero tantũ per supplicia infensus iam non est indutus iustitia sed ex vno latere iustus est, vel iniustus: non sustẽtabit, sed destruet subditos, & conturbabit.

Prælatus non debet esse Dominatus in iustitia, & personarũ acceptor.

Actor. 10. *Ioan.* 20.

Secundo prælatus debet esse oculus cæco, & pes claudo.) Oculus ad videndum, & iudicandũ, pes vero ad gradiendũ & operãdum deseruit. Ait ergo Iob se, & prælatũ debere esse subditorum oculũ vt videlicet prudentia, sciẽtia, atque doctrina, & voce illis prouideat, mala indicãdo, & mala propulsando. Erit etiã pes subditorũ vel subditos exẽplo operis portet, sustentet, & deducat. Alludit

Prælatus est oculus & pes. Prælatus

ludit quod Eliſeus de ſuo Magiſtro Elia dicebat: *Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius* Currus portat & ſuſtẽta onera; auriga vero oculis currum dirigit, & à periculis, ac rupibus auertit. Talis debet eſſe prælatus currus vt portet claudos, ac debiles; auriga vt dirigat ac prouideat: quod ipſum facit oculus, ac pes in corpore humano. Huius rei gratia non erit abſonum aduertere, prælatũ, ac principẽ aſsimilari omnibus fere partibus principalibus corporis humani. Dicitur enim caput vt patet apud omnes. Dicitur oculus hoc loco Iob: vocatur naſus Cant. 7. *Naſus tuus ſicut turris Libani*, & ibi Doctores Sunt etiã prælati dentes Eccleſiæ, Can. 4. *Dẽtes tui ſicut grex tonſarũ.* Id eſt, prælati tui. Poſſunt etiã vocari lingua Eccleſiæ: nam Spiritus Sanctus in figura linguarũ ſuper primos prælatos deſcendit diſcitur, etiam prælatus, cor, pes, hoc loco Iob. & ſimiliter de alijs partibus corporis. quod nec erit difficile applicare, nec Doctorũ probationes inuenire, & in generali applicatione ſufficiat videre illã ſtatuã Nabuch Donoſoris Dan. 2. cuius omnes præcipuæ partes, caput, brachia, pedes, &c. Significabãt particulares poteſtates Regũ. & regnorum. Quæ ergo hæc ſimilitudo vt prælatus ſit oculus, pes, brachia, cor, & pectus? Vt nẽpe

compara-tur omnibus fere partibus corporis humani.

Dan. 2.

indicetur, nullum eſſe ſubditum cuiuſque ſtatus cui prælatus non debeat accomodari: cui non debeat prouidere, cui non debeat applicari animo, ac ſtudio particulari. Optime D. Paulus 1. ad Corint 9 Et verbo, & opere hoc oſtendit dicens: *Nã cum liber eſſem ex omnibus omniũ me ſeruum feci, vt plures lucrifacerẽ. Et factus ſum iudæis tãquã iudæus vt iudæos lucrarer. Ijs qui ſub lege ſunt quaſi ſub lege eſſẽ, vt eos qui ſub lege erant lucrifacerẽ. Ijs qui ſine lege erant tanquam ſine lege eſſem vt lucrifacerem eos qui ſine lege erant. Factus ſum infirmis infirmus vt infirmos lucrifacerem. omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.* Sic Diuinus Paſtor Paulus. Conſonat factum Eliſei 4. Reg. 4. qui ad ſuſcitandum puerum: *Incubuit ſuper puerum, & poſuit os ſuum ſuper os eius & oculos ſuos ſuper oculos eius; & ſic denique cæteris partibus corporis Eliſei commenſuratis partibus pueri.* Ad hoc vt poſſet illum mortuum ad vitam reuocare Sic decet prælatum non tantum eſſe oculum, ac pedẽ ſubditorũ, ſed omnia fieri, & omnia ſua mẽbra, & actiones ad ſubditi ſalutem applicare.

1. ad Cor. 9.

Prælatus debet omnibus acõmodari.

Tertio oportet vt prælatus ſit pater pauperum: & cauſam quam neſcit diligẽtiſsime inueſtiget. Iuxta Iob cit. loco. Et quod attinet ad primum quod ſcilicet ſit pater pauperum, nolo in hoc

immorari cum religiosis loquẽs, qui omnes ex voto & pauperes sunt,& pauperum amici, neque habent diuitias vnde pauperibus teneantur impendere. De 2.dicã: quod videlicet teneatur prælatus diligẽtissime inuestigare causam quã nescit. Mirum,inter omnia huius rei exẽplum puto illud ab ipso Deo datũ,Gen.18,quando ipse Deus qui vbique præsentissimus est,per potentiam,essẽtiam,& præsentiam, quique intelligit omnium cogitationes à longe,Psal.138. dixit ante quam Sodomitis suplicium inferret. *Descendam & videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint an non.* Homines vero miseri, qui loco arctantur, & neque cogitationes proprias intelligũt: neque aliquãdo propria sua opera externa aduertunt,tanta celeritate percipiunt, intelligunt, & credunt aliena. Ea de causa ex diuino mandato Sacerdos summus in pectore gestabat rationale Exod. 28. quod rationale ab aliquibus interpretatur illustratio,in illo enim circa res dubias Sacerdos Deum consulens per signa forte externa illustrabatur de illo quod faciendum esset. Deus enim in dubijs consulendus est: testes probatissimi, ac fide digni sunt audiendi: non delatores maleuoli qui non solum prælatum audientem, sed

Prælatus n iudica n do non sit precipitus sed lente procedat. *Gen.*18.

Psal. 138.

Exod. 18.

Rationale sum.Sacerdotis, quid?

omnem populum conturbant. optime Seneca lib.2. de ira, dicit. *Dandum est semper tempus, veritatem enim dies aperit: potest pœna dilata exigi: non potest exacta reuocari.* Sic Seneca. Ille autem Mimus dicere solebat: *Ad pœnitendum properat qui cito iudicat.* Consideret prælatus quod dicit Aristoteles: *Euenire aliquando vt quadam falsa quibusdam veris sint probabiliora.* Exemplum sit historia Alipij amici eius diui Augustini, de quo narrat 6 confess. cap.9. *Ex quibusdam indicijs fuisse vt furem deprehensum, ad iudiciumque delatum: parumque abfuisse vt innocens damnaretur*: Habent namque magnam efficatiam primæ delationes: ita vt in errorem ducant etiam Sanctos,& electos. Lege 2 Reg.16: vbi Dauid aliàs sanctus libenter aures præbuit sibæ prodenti dominum suum Miphiboset: insuper, & proditorem repentina liberalitate affecit, donando illi agrum Rei innocentis: & falsa fuit illa delatio cui Dauid fidem abhibuit celeri, ac leui corde. Postquam vero prima fides temerarie adhibita est, periculum est magnum, ne iudex malus etiam veritate cognita, velit aliter iudicare: sed potius cum Pilato dicat Ioan. 19. *Quod scripsi, scripsi*. Multa enim,ac vigilantissima discussione

Veritas paulatim, & per dies aperitur. Dictum Mimi.

Primæ delationes magnam vim habẽt 2.*Reg.*16.

ne opus est in causa dubia, ne forte contingat vt innocens iniuste patiatur, & nocens absoluatur. Ioan. 19.

Vltimo requiritur, vt quemadmodum Iob: *Conterat molas iniqui*, & de dentibus illius auferat prædam) Quibus verbis iuxta Chrysost, & aliorum expositionem significatur, prælatum debere conterere molas, seu dentes iniquorum, & malos persequi, & punire eos maxime qui dentibus mordaces sunt & lingua. Hos inquam, debet punire, & innocentes de manibus eorũ liberare ne ab illis deuorentur vt præda, & male tractentur Has itaque duas actiones exequi oportet, iniquos punire, & innocentes liberare Hoc est officium boni pastoris quod bonus ille Pastor Dauid se fecisse narrat. 1. Reg. 17. dicens: *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat Leo, & Vrsus, & tollebat arietẽ de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebã, eruebãq; de ore eorũ &c.* Faciat bonus pastor quod beatissima Virgo in suo Cãtico dixit facere Deũ: *Dispersit superbos mente cordis sui: Deposuit potentes de sede & exaltauit humiles.* Psal 100 *In matutino interficiebat Dauid omnes peccatores terræ, vt disperderet de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Plato lib 2. de Republ *In custode ciuitatis requirit ingenium mansuetum simul & iracundum: iuxta generosi cannis qui erga familiares & domesticos mitissimus est, & affabilissimus super omnia animalia, econtra vero erga ignotos & lupos acerrimus est & indefessus latrator custosque fidelissimus.* Tullius etiam oratione pro Sextio hac de re loquens ait. *Sudandum est his qui magistratum gerunt pro communibus commodis: adeundæ inimicitiæ, subeundæ sæpe pro Republ tempestates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum.* Sic ille: hæc cum prædictis si faciat prælatus, sufficienter exequetur propositum in themate ab Ieremia; dissipabit itaque, disperdet, destruet peccata, & iniquos & ædificabit, ac plantabit virtutes, ac bonas plantas in domo Domini. Quæ si faciat obtinebit gratiam, & gloriam, Amen.


Prælatus iniquos contũdat, innocẽtes liberet.

1. Reg 17.

Luc. 1.

Psal. 100.

Prælatus vt cannis affabilis, bonis & noctis latrãs lupis.



EXORTATIO I.

PRO NOVITIO QVANDO PRIMO RECIPITVR AD HABITVM.

Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se.

Tren. 3. Trenorum 3.



Resentem locum applicat diuus Chrysostomus lib. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ post medium, tom. 5. Applicat inquam ad iuuenes religionem ingredientes. Cum enim prius fuse comendasset religionis commoda, & vtilitates ad animam saluandam: ponit sibi ipsi obiectionem, qua quis diceret: optimam quidem esse vitam religiosam, sed satis

Religiosus status a prima ætate suscipiendus.

esse, si suscipiatur in grandæua ætate, post matrimonium iam transactum, filiosque susceptos: respondet id non conuenire, vltra alias rationes, tunc locum Trenorum citans: quia scilicet ait Chrysostomus. *Beatus qui tulit iugum graue ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, &c.* Et antequam vlterius gradiamur quod attinet ad obiectionem illam à Chrysostomo positam videntur illam arripuisse hæretici nostri tem-

Lutheri insania de tempore ingrediendi religionem.

temporis. Lutherus enim libro de votis monasticis, iuxta Bellarminum tomo 1. lib. 2. de Monachis cap. 6. dicebat, optimam formam religionum futuram si ad professionem nemo admittatur ante annum septuagesimum, vel octuagesimũ. Quod late, & docte ibidem impugnat Bellarminus: imo idem Bellarminus infra lib. 3. cap. 35. citat ex Concilio Trull. cano. 4. & Concilio Tri. cap. 24. professionem validam olim fuisse permissam ante annum duodecimum. Quo forte allusit Chrysostomus loco proxime citato dicens: *Vtile fore monachatum incipere ab anno decimo, & Christus Dominus anno duodecimo relicto Ioseph, & Matre iuit ad Templum facturus quae erant Dei, Luc. 2* De quo seruandum sacri Concilij Trid. decretum sess. 25. cap. 15. de regularibus.

Probat autem Chrysost. à prima iuuentute suscipiendum esse iugum religionis: quia, inquit, quis tamdem ille erit, qui polliciatur ad extremam nos prouehendos senectutem, quodque cum ad illam peruenerimus hac in voluntate perseuerabimus? Imo dato quod certus esset quis de longa futura vita, dicit non expedire ad illam monachatum dilatare: *Non enim prudentia esset vti velle hoc remedio post detrimenta suscepta, & post tot peccata in longa vita incursa, qualia communiter solent committi: sed ante illa oblata pericula remedium tam salubre adhibere oportet, quo mala illa praeueniantur, & caueantur. Bonum est ergo viro si portet hoc iugum ab adolescentia sua, &c.* Porro tribus modis hoc bonum esse explico in hunc modum.

Adolescentia sancta res est gratissima Deo.

Bonum est ab adolescentia, id est gratum Deo est, si id fiat in adolescentia, primoque iuuentutis flore: res enim gratissima Deo est iuuentus, & adolescentia sancta. Huius rei figura fuit quod ex praecipuis legis veteris sacrificijs animalia quae Deo offerabantur erant tenerae, ac iuuenilis aetatis, videlicet Agnus Paschalis, vituli, pulli columbarum, & similia: & quod haec tenera animalia in sacrificijs essent Deo acceptissima, elicitur ex Psalmo 68. ibi: *Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas:* Id est, laus oblata Deo cum cantico erit accepta Deo plusquam illud gratum sacrificium quo tenella animalia offeruntur, quando scilicet primo incipiunt, & cornua, & vngues producere, tunc enim etiam ad vsum sunt gratiora, & vtiliora. Eodem ergo modo: licet quouis tempore homo se

Animalia noua grata Dei.

Psal. 68.

Deo offerat in holocausto religionis Deo gratus sit: gratius tamen, & iucundius Deo sacrificium offert si id faciat à prima ætate, antequam cor humanis curis, affectibus, & sordibus coinquinet. Tunc enim vere cum Sponsa Canticorum 7. dilectum Sponsum alloquens, dicet. *Omnia poma noua, & vetera dilecte mi seruaui tibi.* Imo aduertit Augustinus 20. de Ciuitate, cap. 4. *Quod licet poma vetera sint priora tempore quam noua. Hic tamen Sponsam prius dixisse seruasse noua, & postea vetera.* Gratissimum igitur Deo est sacrificiũ, si anni prioris vitæ, & anni similes simul Deo offerantur. Vnde, & beatissima Virgo à tertio suæ ætatis anno in Templo à parentibus est præsentata; quæ præsentatio fuit quædam vmbra ingressus religionis. Denique passeres qui in foueis ad canendum reseruantur, si à nido tenelli includantur, euadunt mitiores, affabiliores, & melius ac sæpius modulantur, quam illi qui iam senes capiuntur: hi namque, & tardius cantant, & fere toto tempore viuunt indignabundi memores forte antiquæ libertatis. Tales sunt qui à prima ætate in fouea religionis clauduntur ac detinentur, hi namque vt plurimum alacriores in religionis obsequio & lætiores diuinas laudes modulantur. Cant. 3.

Secundo, bonum est ab adolescentia hoc iugum religionis ferre; bonum inquam, id est conguum. Etenim valde congruum est, vt homo primos suæ iuuentutis flores Deo offerat cum oblatione particulari. Si enim Exod. 22. iubebantur filij Israel primitias frugum offerre Deo: in gratiarum scilicet actionem: quanto maiori iure homo rationalis suæ vitæ primitias Deo deberet consecrare, qui eiusdem vitæ dator, & consecrator est? Diuus Thomas 1. 2. quæst 89. art. 6. C. dicit teneri puerum in instanti illo primo quo habet vsum rationis sub peccato mortali se conuertere ad Deum; eum scilicet recognoscendo, eique se, & sua omnia offerendo. Quæ opinio licet dura sit, neque communiter recepta: ex mente tamen tanti Doctoris colligitur, quam congrouum, ac debitum sit, in primo rationis vsu hominem se ad Deum conuertere religionẽ intrando, vt sui primitias Deo valeat consecrare. Si imago aliqua â pictore depicta loqui posset, & oculis intueri; profecto male ageret, si primam vocem; & primum intuitum in suum pictorem non diri- Exod. 22. Primitiæ vitæ Deo dãdæ sunt

dirigeret, alloquens, & gratias reddens pro accepto ab eo beneficio. Idem profecto ab homine postulari videtur, vt primo intuitu sui discursus Deum alloquatur cum particulari gratiarum actione, quod commodius fit Religionis ingressu.

Tertio denique, bonum est hoc fieri à prima adolescentia, bonum inquam, id est valde cõducens, & quasi necessariũ, non simpliciter, sed ex hypotesi, sic sumitur apud Matth 18 hæc vox bonum, pro valde conducenti, & quasi necessario cum dicitur: *Bonum est tibi cum vno oculo in vitam intrare, quam cum duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis.* Vbi, bonum, sumitur pro quasi necessario. Quamuis ergo, simpliciter & absolute nulli sit necessarium ex præcepto esse Monachum, & in prima iuuentute; est tamen quasi necessarium ex hypotesi, suppositis tot, ac tãtis mundi laqueis vt mox dicemus. Et quod hoc maxime conducat statim fieri in adolescentia, probatur, quia timendum valde est ne homo vsque ad mortem perseueret in illa via ac statu quem eligit in adolescentia. Exprimit hoc Salomon Prouerb. 22. *Adolescens iuxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea* Quasi dicat, videat bene adolescens quã viam eligat in primo suæ iuuentutis flore; huic enim tenaciter adhærebit communiter, ita vt per integram vitam illam non deserat. Comparatio quotidiana, & clara est, in noua plantula, hæc enim si quando tenera est & incipit crescere ad partem sinistram, verbi gratia, incipit inclinare, ad illam semper quoadusque viuat inflexibilis durabit. Ea nempe de causa Ecclesiast. 7. dicitur: *Filij tibi sunt, curua illos à pueritia illorum*, quasi dicat frustra enim in senectute eos curuare, ac inflectere tentabis. Porro quod hodie quasi necessarium sit, & ex hypotesi, Religionem intrare, causa est vt dicere incipiebam, non absoluta, sed ex hypotesi: nempe suppositis infinitis laqueis, mundique periculis, innumeris, & grauissimis diaboli tentationibus, quibus mundus plenus est: quasi necessariũ est eorum declinandorum gratia, ad Religionem, tanquam ad securum portum confugere. Iam hodie cuiuis sæculari congrue dici potest id quod Loth Genes. 19. Angelus dixit, *vt egrederetur ciuitatem illam igni statim comburendam, addens: Nec stes in omni circa regione, sed in monte saluum te fac.* Vere mundus tanquam altera Sodoma ardet, desiderijs, concupiscentijs, odijs, & similibus ardet & exuritur: quod ergo restat est, vt qui potest, & qui prudens

Matt. 18.

Bonum, idem aliquando quod necessarium morale.

Prou. 22.
Adolescẽs vt plurimũ continuat vsque ad mortẽ mores adolescentiæ.

Gen. 19.

prudens est, ne stet in regione mundi, in montem Religionis ascendat, qui mons est securus & altus, vt in illo possit saluari. Mons vere est Religio quæcunque, & non quiuis mons, sed vt ait D. Antoninus 3. part. tit. 25. cap. 10. §. 11. Mons Thabor. & iuxta Psalm. 67. *Mons coagulatus mons pinguis: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo. Mons denique in quo currus Dei decem millibus multiplex millia lætantiũ.* Hæc enim omnia in monte Religionis affatim reperiũtur. Mõs est pinguis & coagulatus: multis enim pascuis, & copiosissimis plenus est spirituales cibos in abundantia ministrans pascentibus in ipso Religiosis, cũ mundus sit terra deserta inuia, & inaquosa. Mons est Religio in quo Deus particulari lætitia, & iucunditate moratur & habitat, vtpote in quo, & ipse magis colitur, diligitur, & adoratur. Mõs denique est Religio in quo currus Dei, qui sunt Angeli, & ipsi Religiosi, reperiuntur mille, & decem mille lætantes, hymnos psallentes, diuinasque laudes continuo iubilo decantantes. In hunc ergo Religionis montem cum Loth ascendere necesse est ad saluandas animas, & miserã mundi Sodomam fugere conflagrantem. Consonat hæc fuga iuuenum ad Religionis montẽ relicta Sodoma; cum eo quod D. Bernard scripsit epist. 111 Cũ enim quidam parentes sui nouitij, vellent illum amore carnali à Religione abducere, & ad mundum reuocare, D. Bernardus illis epistolam scripsit nomine filij nouitij, sic inter alia dicens: *O durum patrem & sæuam matrem: qui me rursus ad ignem vnde vix semiiustus exiui reuocare conantur* Et infra. *Mira abusio domus ardet, instat ignis à tergo & fugienti prohibetur egredi, &c.* Ecce quomodo D. Bernardus fugam qua nouitius mundum fugit, cõparat cum fuga Loth fugientis ardentem Sodomam. Comparat etiam ibidem Bernardus necessitatem relinquendi sæculũ, illi necessitati, qua quis in medio mari iactatus naufragio portum procurat, & quærit vbi à tantis maris periculis immunis sit. Verba Bernardi sunt. *Qui me rursus ad naufragium vnde tandem nudus euasi reuocare conantur.* Cõsidera quot pericula ante oculos videat is qui tempestate iactatur, quot montes aqueos supra se videat, quot voragines infra se conspiciat, nec manducare, nec bibere, neque orare vacat; & portum tam auidè, quam vitam desiderat. Hæc eadem est necessitas in mundo viuentibus, curarum fluctus, & periculorum voragines, supra se, infra se,

Religio est mons.

Psal. 67.

Mundus est Sodoma ardẽs desiderijs, odijs, &c.

se, & circa se perpetuo patiũtur: iuxta illud Psal. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboraui clamans, &c.* Quid ergo melius desiderare debent quam portum aprehendere, in quo securi sint? portum esse Religionem affirmat Chryso stomus lib. 3 contra vituperatores vitæ Monasticæ dicens. *Cum mundus sit plenus perturbationibus, & procellis, nihil horum penitus in monasterijs inuenies, soli in tranquillo, & portu, & securitate summa residentes veluti ex cælo ipso cæterorum naufragia prospectant.* Sic ille.

Psal. 68.

Sed dicis. Tu supra dixisti adolescentem religionem intrantem ferre iugum ab adolescentia: imo iugum Religionis maius iugum est quam iugum sæcularium. Si enim Christus Dominus Matth. 11. de sua lege ordinaria omnes fideles obligante, dixit esse iugum: *Tollite iugum meum super vos.* Religiosi qui vltra legem Dei ad consilia Euangelica se obligant, castitatem scilicet & obedientiam &c. multo maiori & grauiori jugo se submittunt; vt quid ergo Religionem dicis montem pinguem, montem securum, portũ tranquillum? vt quid etiam tã graue Religionis iugum imponis super teneros humeros iuuenis delicati? vt quid ais illi melius esse, si portet illud ab adolescentia sua? Solutio tradita est ab eodem Christo Domino citato loco Matth. 11. fatemur Religionem esse iugum & onus, sed est iugum suaue, est onus leue. Imo audeo dicere esse iugum suauius & onus leuius. Nam si amor Dei, & auxilia diuina, quasi oleũ, Christi iugum molliunt, leuigãt, & reddunt suaue: cum in Religionibus magis vigeat charitas, magis abundent auxilia, & consolationes diuinæ, Religiosorum iugum suauius reddetur iugo sæcularium. De Religiosis speciali ter potest intelligi quod petitur Sapientiæ 9. postulatur enim diuina sapientia sub his verbis. *Mitte illum, &c vt mecum sit & mecum laboret.* Diuina enim sapientia siue sit auxilium particulare Dei, cum Religioso laborat cum enim Religionis labores ob solum ipsum Deum suscipiat, videtur nouo alio modo Deus quasi obligatus laboranti pro se Religioso tanquam particularis adiutor, assistere. Ad idem potest applicari quod dicitur Sophon. 3. *Et seruient ei humero vno.* Quis enim commode seruiret non suppositis ambobus humeris, & ambobus laborantibus? Bene quidem, Religiosi vno fere dicuntur humero tantum labores sufferre; alterum enim humerum Deus cum ipsis submittit,

Matt. 11.

Quomodo Religio, & sit iugum graue, & portus trã quillus.

Amor Dei facit iugũ suaue.

Sap. 9.

Sophon. 3.

tit,& apponit. In Religiosis per auxilium particulare Dei complet ur illud Isaiæ 40. *Qui autẽ sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pænas vt aquilæ, current & non laborabunt, & cæt.* Cum scilicet homines ad Religionem propter me fugient: mutabunt fortitudinem. In mundo enim fortes erant, sed ad vitia fortes, ad vindictas, ad alios labores vanissimos; quos Sancti tolerare nequirent: erant vero infirmi ad ieiunium, ad orationem, ad nuditatem tolerandam &c. Hi vero ipsi Religionem ingressi mutant fortitudinem: videas illos non sentire stomachi dolores nuditatem, frigus, æstũ, ad quæ omnia toleranda robusti & alacres sunt, quæ tamen in mundo nec tantillum sufferre valebant, pennas & alas habent quibus ad labores volant. Denique currunt & non laborant, id est non fatigantur Mirum est, quod ait Seneca lib. 2. de ira cap. 11. *Viribus naturalibus nihil esse tam arduum quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat assidua meditatio, nullosque esse adeo feros affectus qui non disciplina perdomentur* Et tamen id ipsum obtinere non possit homo facilius & suauius diuino auxilio & amore operante, pergamus audire verba & exempla Senecæ, ait ille *Quodcunque sibi imperauit animus obtinuit, quidam ne vnquam riderent consecuti sunt vino quidam, alij venere, quidam omni humore interdixere corporibus, didicerunt alij tenuissimis & aduersis funibus concurrere, & ingentia onera, vixque humanis viribus tolerãda portare, &c.* Vides quanta possit animus deliberatus sibi imperans solis viribus naturalibus. Quid non possit maiora propter Deum imperatus, & ab ipso Deo adiutus? explico tamen magis in particulari ad onus leue Religiosi, duo exempla Senecæ, eorum scilicet qui concurrunt in funibus tenuissimis & puto ibi intelligi homines quos Funambulos vocamus, qui scilicet ligato fune in alto, inter duo procera ligna ac directo, supra funem sic dispositum, adeo strictam viam sic perambulant absque labore, ac si terram calcarent: Quanto magis Nouitius in arcto tramite Religionis positus propter Deum gradictur adeo lætus & non fatigatus, vt non funem, & arctam semitam, viam illam dixerit: sed cum Dauide fateatur Psal. 118. *Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua quæsiui.* Aliud exemplum Senecæ de trahendis magnis oneribus paruis funibus, in vsu est apud operum Magistros, quos nostra lingua vocamus *engenheiros*, qui lapidẽ instar domus facili negotio, paruis

Isaya 4.

Religiosi mutant fortitudinem, & fortiores sũt

Naturæ vsus & voluntatis obfirmatio multas difficultates superat.

Psal. 118.

nis funibus, tenui instrumento, eleuāt, & in mare deijciunt. Si ergo hoc potest & efficit ars humana fragilis, & ignorans, ad tātum onus facile mouendum; quid non præstet magis, & facilius efficiat diuina ars, diuinum auxilium ad iugum suæ legis tolerandum, cum & tale iugum ex se & suaue sit, & ad illud tollendum, & subleuandum auxilium offerat ipse Deus dicens: *Venite, reficiam vos.*

Dato autem, & non concesso, quod nec Christi iugum suaue esset, neque ipse tantum ac tale auxilium ad subleuandum promitteret, adhuc tamen tolerandum esset, ac leuandum: Quid enim quantūcunque asperum, ac durum ferendum nō sit propter cælum, cum mundani homines & sæculares multo durius iugum portent & tolerent propter diabolum, & propter infernum. Iugum sæcularium & peccatorum, ego comparo hominibus illis vinctis qui remigant in triremibus. Hi catenis vincti, seminudi sine lecto, sine cibo, paratissimi sunt vt sonante sibillo Magistri Triremis, qui dicitur comes Magistri, confestim ad remigandum in defessi assurgunt, cæteraque officia triremis exequenda; quod si diligentissime non faciant, duris verberibus vsque ad sanguinis effusionem lacerantur. Tales cogito sæculares in mundo sicut in Triremi remigant varijs catenis deuincti, alij matrimonio, alij officio publico, alij suis dominis, amicis, commodissime deuincti, & in medio Comes magistri diabolus flagellum manu portans, qui præsidet & instigat. Huius ad sibillum nutumque, videas hunc ad remigandum surgere, ad vindictam scilicet de inimico sumendam, cum propriæ mortis periculo: ad luxuriæ scelus admittendum opponendo se immensis periculis: ad seruiendum nocte ac die suis commodis & affectibus in quibus remigant & sudant, quæ omnia longum esset percensere. Et tamen hæc omnia tolerant, & iugum suaue putant, propter vanitatem, & propter diabolum. Et tot sunt Comites magistri à quibus cruciantur, & affligūtur, quot sunt passiones & appetitus à quibus gubernantur & imperantur. Comminatur hoc Deus Isai. 19. *Tradam Aegyptum in manum dominorum crudelium*: non vni tantum crudeli domino, sed multis traditi sunt Quod explicans clarius August. lib. 1. de liber. arbit. cap 11 fingit animū sæcularis mundani esse regnum quodam multorum dominorū tyrannice dominantium eidem homini, Verba Augustini, gra-

Iugum diaboli & peccatorū durius est iugo Christi.

Mundani remigant in triremibus.

Isaiæ 19.

uia

Appetitus mūdani, est regnū multorū tyrannorum.

nia & eloquentia sunt hæc. *Cum interea cupiditatum illud regnum tyrannice sæuiat. & varijs contrarijsque tempestatibus totum hominis animum, vitamque perturbet: hinc timore, hinc desiderio, hinc anxietate, inde inani, falsaque lætitia: tunc cruciatu rei amissæ, inde ardore adipiscendæ: tunc accepta iniuria doloribus, inde facibus vindicandæ: quaque versum potest vexare illum auaritia, inflare superbia, & quæcunque alia regnum illud libidinis frequentant, & exercent. Possumus ne tandem nullam istam pœnam putare, quam vt cernis, omnes qui non inhærent sapientiæ, necesse est perpeti?* Sic Augustinus. Ad idem loquitur Chrysost. hom. 18. super primam epist ad Timoth. dicens: *Ille seruus est qui succumbit irrationabilibus vitijs, nullus quantumlibet dominus adeo crudelia & indigna præcipit.* Nec defuit huic sententiæ D. Ambros. lib. de Noe & Arca cap. 9. dicens: *Nihil est quod tam misera seruituti subijciat hominem, quam libido, atque huiusmodi cupiditates quæ iugo quodam criminum graui deprimunt miseram conscientiam vt se nequeat attollere* Sic Ambrosius. Ecce igitur quale, & quam graue iugum patiatur sæcularis mundanus iuxta Augustinum, Chrysostomum, & Ambrosium, idque libenter & propter infernum Cur non propter cælum, ac Deum durius iugum foret subeundum ab adolescentia vsque ad mortem? Quanto magis cum iugum Religionis, sicut iam diximus, suauissimum sit. Ad quod adhuc leuius faciendum seruiat id quod Augustinus lib. 8. confess. cap. 11. optime de se dicit: quod scilicet quando proposuit vanitates, ac voluptates terrenas omnino relinquere, atque ad Deum conuerti: *Retinebant eum nugæ nugarum & vanitates vanitatum antiquæ amicæ, illique dicebant dimittis nos putasne sine istis poteris viuere?* & multas alias difficultates quæ illi obijciebantur. At vero ex alia parte (ait Augustinus) *apparebat honesta castitas, serena, & non dissolute hylaris, honeste blandiens, vt veniret, nec dubitaret: ostendebatque illi manus ad suscipiendum plenas gregibus exemplorum. Ostendebat illi tot pueros, puellas iuuentutem multam, omnis ætatis homines, graues viduas, virgines Aug. &c. & irridebat illum quasi irrisione exhortatoria. Tu non poteris quod isti, & istæ. An vero isti & istæ in semetipsis possunt, & non in Domino suo. &c.* elegantissime Augustinus. Hæc omnia tibi applico delicato adolescenti, sed generoso Christi iam militi. Nunc tibi forte antiquæ & mundanæ voluptates hoc Christi iugum durum & asperū præsentabunt, ac dicent non te posse sine illis viuere & illud tolerare.

Innitatio pulchra ad labores sanctos tolerādos ex doctrina Augustini.

lerare. Ego autẽ pro parte Christi tibi dico, suaue est. Tibi ostẽdo iuuenum, & puellarum delicatissimos greges, senes, anus, & omnis ætatis viros qui illud intrepidi sustinuerunt & quasi exhortatoria irrisione dico. Tu non poteris quod illi, & illæ? An illi illud in semetipsis, & non in Domino potuerunt?

Accede itaque quia poteris, & non solum poteris, sed etiam videbis in te quod vltra dictum est in themate nostro Ieremiæ, videlicet; sedebit solitarius & tacebit. Vbi primum humeros huic iugo & oneri submiseris sedebis solitarius. Primo inquam in religione sedebis: hucusque in mundo non sedebas, currebas perertabas quietem non habebas, in mundo enim sedere non datur, neque licet. In sola cæli gloria sedebimus iuxta illud Matth 19. *Cum sederit Filius hominis in sede Maiestatis sedebitis & vos*, ad quæ verba mire Bernard. super *Ecce nos reliquimus omnia*, sic ait: *Quando renascar ad sessionem miser homo? o si vnquàm sedero totus cuius modo nec minima quidem portio sedet: o sessio: quis mihi tribuat vt dignis exprimam verbis?* Sic ille. Itaque in cælo tantum perfecte datur sessio corporis & animi. In mundo inquietudo corporis & animi In Religione vero quæ quasi cælum est, aliquãta quies datur & sessio animi & corporis, quantum huius vitæ status patitur. Et si in mundo quies, & sessio dari potest in sola religione commodius reperitur. De illis potest accipi illud in Ps. 30. *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, à cõturbatione hominũ proteges eos in tabernaculo tuo, &c.* Vere enim Religiosus absconditus est à mundi conturbationibus, ac strepitu segregatus. Laudat Virgilius in Eglog. Agricolas, eo quod inter omnia pace fruantur, dicens: *O fortunatos nimium sua si bona norint, Agricolas quibus ipsa procul discordibus armis fundit humus facilem victum.* Id maiori iure de Religiosis possis asserere: Fortunati nimium, quibus non terra, sed Deus peculiari prouidentia fundit; ac parat facilem victum, ac cibum, idque procul à tumultibus, & perturbationibus mundi E contra vero sæculares mundani adeo inquieti & sine sessione viuunt vt de illis intelligatur illud Isai. 57. *Impij autem quasi mare feruens quod quiescere non potest.* Feruet nempe sæcularis auaritiæ, luxuriæ, vindictæ cæterisque affectibus ita vt conquiescere non possit Imo & plusquam mare feruet sæcularis, vsque adeo, vt ipsum mare quasi creatura loquens hominibus negotiantibus & mundanis exprobret quod minus quiete vitant

Quies in sola Religione habetur.

Matt. 19.

Psal. 30. Religiosi absconduntur in Deo à mũdi perturbationibus.

Isay. 57.

vitam agant quam ipsum mare. Hoc indicat illud Isay. 23. *Erubesce Sydon, ait enim mare.* Vbi mare circunstans vrbem Sidonem exprobrabat habitatoribus illius quod minus quieti viuerét quam ipsum mare. Sic enim illum locum explicat Ambros. lib. de Elia & ieiunio cap. 19. dicens: *Tanquam fatigati elementi vox ista dicentis est: erubesce Sidon: hoc est meos fluctus, negotiator arguis cum sis ipse fluctibus inquietior. Et erubesce, vel pudore, quoniam periculo non moueris. Verecundiores venti sunt, quam vestra cupiditates: illi habent otia sua, nunquam vestra quarendi studia feriantur, &c.* Et denique ad sæcularium inquietudines, qui passiones suas frænare nesciunt, potest in particulari applicari multiplex illud carmen quod offert Nauarrus in Summ. latina præludio 5. ex parth. Marian. lib. 1. cum de passionibus animæ sic dicit inter cætera.

Isay 23.

Seculares magis in quieti quã mare feruens.

Spes leuat arrectos, Metus alto à vertice fluctus
Deijcit, hinc animum pulsat furibũda voluptas,
Inde dolor, fluctus seu fracti fluctibus, altum
Clamorem ingeminat piceis abscondita nimbis.
Nec radios fundit ratio, nec vela gubernat.

At Religiosi qui in frænandis passionibus exercẽtur tota die quieti sedent, tanquam in tranquillo portu viuentes.

Sedebit, solitarius. Non solũ Nouitius ac Religiosus pace fruũtur; sed sedent vt solitarius: vnde possunt de se dicere illud Psalmi 101 *Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* Vere namque Religiosus assimilatur illi passeri nigro qui dicitur, solitarius. Hic inter cætera, quatuor habet. Primo nigri coloris est: secundo nunquam apparet cum socio coniuge: tertio cantus illius clamorosus est, & suspirans, ac dolorosus: quarto vt plurimum in tectis apparet vbi ab omnibus conspicitur, & raro degit in syluis. Eadem quatuor videas in Religiosis: Nigri coloris sunt præ tristitia peccatorum, quam fere illorum omnes habitus representãt Iuxta id quod habetur in iure 16 q. 1. cap. Monachus, cum dicitur: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum.* Hoc est frater mi officium & vita quam assumis; debes enim fieri solitarius tristis & niger præ dolore tuorum, & alienorum peccatorum. Secundo sine coniuge apparet solitarius: sic Religiosi sunt sicut Angeli Dei nec nubent, nec nubẽtur, Latrent, & oblatrent Luthe-

Psal. 101.

Solitarius passer, quid: & Religiosus solitarius.

rus

rus cum malis socijs suis, & voce,& opere contrarium facientes,& Moniales ad matrimoniũ trahentes, illi enim cæci sunt, & duces cæcorum. Nostri autem Monachi & cælibes, & casti, & sine coniuge tanquam solitarij vitam degunt. Tertio cantus illius gemebundus est, talis esse debet vox & conuersatio Religiosi, non canticis garrulis deditus,nec vanis colloquijs assuetus esse debet, sed tanquã turtur, & columba ex imo pectore semper gemat oportet. Quarto denique solitarius in alto tectorum apparet, talisque etiam Religiosus sit oportet. In alto quippe loco positus est, omnibus lucens,omnes suo exemplo ad virtutem, & cælum inuitans. Denique ipsum nomen Monachi ostendit Religiosum esse solitarium, id est, solum, & separatum à tumultu populi. Iuxta id quod habetur eadem causa 16.q.1.cap. Si cupis. Vbi D. Ieronymus de institutione Monachi ad Paulinum ait: *Si cupis esse quod diceris, Monachus, id est solus quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula sed multorum?*

Denique solitarius Monachus leuauit super se, ait citatum thema (sic enim legitur in Biblijs Sixti V.) quod videtur exponi per id quod legebatur in Antiquis videlicet, Leuauit se super se, Monachus enim solitarius effectus, leuat se, super se: id est animam suam eleuat,& facit dominari corpori & dominari passionibus. Dominatur sui, ita vt ratio dominetur, & primum locum teneat. Et per contemplationem spiritus ipse eleuatus despiciat quæ in corpore & in mundo sunt; mente cum Deo in cælis conuersetur: Quod si faciat potietur hìc gratia, & postea gloria, Amen.

F EXOR-



EXHORTATIO II.

PRO EODEM

QVANDO PRIMO NOuitius habitu induitur.

Coloss. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum, qui renouatur, &c.* Ad Colos. 3.

PRima cæremonia quæ fit nouitio est illum exuere vestibus sæcularibus antiquis, & nouis induere Religionis vestimentis: quod cum proposito themate multum consonat.

Homo vetus, & homo nouus: & homo exterior, & interior quid sint? Et pro litterali sensu, iuuat semel explicare has passim obuias loquutiones sacræ Scripturæ, & doctorum, quid nempe sit vetus homo, & nouus homo. Et homo interior, & homo exterior. Dicendũ igitur quod quãdo vetus homo, & nouus homo sumuntur in Scriptura de distinctis numero hominibus: Vetus homo intelligitur Adamus, eo quod & omnium homo ætate antiquior fuit: & quia fuit primus homo qui peccatum habuit, & passiones animi rationi discordantes. In oppositum illius Christus Dominus est nouus homo; primo quia in illo omnia fuerunt noua & specialissima. Sic enim Ieremiæ 31. in Christi Domini conceptione dicitur, quod *Nouum faciet Dominus super terram.* Et D. Ieronymus super hæc ipsa verba, dicit: *Vere nouum, & omnium nouitatum supereminens nouitas.* Merito Christus Dominus per talem nouitatem editus, homo nouus dici potest. Quando vero homo nouus, & homo vetus dicuntur de eodem

Christus Dominus homo nouus Ierem. 31.

eodem homine, causa est, seu sensus est: quia iuxta Augustinũ lib. 6. contra Iulianum cap. 15. gratia facit nouũ hominẽ. Quod clarius explicans Chrys. hom. 7. super illã epist. ad Coloss. dicit: quod quemadmodum viror infantiæ, & gratia illa iuuenilis ætatis, facit hominem formosum, vegetũ, ac fortẽ, ac nouũ; ẽ contra vero Siccitas illa senectutis facit hominẽ imbecillũ, deformẽ, senem, ac fædum. Eodem modo gratia supernaturalis tanquam viror animæ facit illam formosam fortem, ac nouã, redditque hominem nouum. Carẽtia vero gratiæ, seu peccatũ reddit ipsum hominẽ veterem, vtpote ad operandum imbecillem, debilem; & coram Deo turpem, & fædũ Est igitur homo vetus homo in peccatis existens, debilis, fædus, &c. Homo autẽ nouus, homo habẽs virorẽ gratiæ, fortis, pulcher, &c. Et inde adhuc clarius intelligetur, ideo Adamũ post peccatum, dictũ esse hominẽ veterẽ, quia fuit primus homo peccator, fædus turpis, debilis, & similes omnes filios nos reddidit. Christus vero Dominus omniũ nouus nouitate gratiarum specialium quoad omnia, qui cunctos homines nouos gratiæ virore, ac nouitate effecit.

Pro eiusdẽ adhuc thematis maiori intellectu, nota: quod homo interior dicitur anima cum voluntate, & intellectu in gratia existẽs: quæ cũ gratia, & his potentijs spiritualibus ad Deũ tẽdit, & in illũ inclinatur tanquã in finẽ suũ, ad quẽ per gratiã est bene affecta; licet nimis impediatur à corpore, & potẽtijs corporeis. Homo vero exterior dicitur appetitus sensitiuus cũ passionibus naturalibus, quæ sunt vndecim numero, videlicet, amor, cõcupiscentia, delectatio, odiũ, fuga, tristitia, spes desperatio, timor, ira, audacia Hic appetitus sensitiuus, & corpus cũ suis vndecim potentijs seu passionibus & quinq; sensibus corporeis visu, tactu, &c. quia sunt potẽtiæ corporeæ, & resident in corpore exteriori quod apparet, dicũtur homo exterior. Sensus ergo D. Pauli in proposito themate est, quod exuamus veterẽ hominẽ, & induamus nouũ, id est deponamus peccatũ, quod facit hominẽ veterẽ, & simul exuamus hominẽ exteriorẽ, id est passiones inordinatas quæ nos ad peccatum inclinãt, sicut in proximè præcedẽtibus verbis dixerat Paulus: *Deponite & vos omnia, irã, indignationem &c.* & præterea, *mortificate membra vestra fornicationẽ, libidinem &c.*

Hoc D. Pauli intentũ significat hæc prima, & sancta cæremonia religionũ, Nouitium, scilicet

Cum habitu sæculari, deponenda vitia & appetitus antiqui.

exuẽdo, & denuo induẽdo: quo scilicet moneatur, vt mutatione vestiũ, sciat prius sibi animũ ac vitã esse mutandã; & sicut sæculares vestes deponit, sic depositurũ esse veterẽ hominẽ intus: veteres passiones, & affectiones modo proxime explicato. Hanc esse religionũ intentionẽ in mutãdis vestibus asserit Dion. c. 6. Eccl. Hyerar. & D. Ieron. epist. 4. ad Rusticũ Monachũ, quasi dolẽs ait: *Vidi quosdã qui postquã renũciauere sæculo vestimẽtis dũtaxat, & vocis professione, nõ rebus, nihil de cõuersatione pristina mutauerũt.* Et epist. 13. ad Paulinũ ait: *Tunicam mutas cum animo.* Huius mutationis vestium causam, in Religiosis duplicẽ assignat D. Basilius q. 22. Prima est ad designandam propriam professionẽ, seu statum. Decet namque vt aliter vestiantur senatores, aliter nobiles, aliter milites, aliter plebei, aliter Religiosi. Secunda est, vt Religiosi saltem inuiti cogãtur recte viuere: si enim non haberent certum habitum, non internoscerẽtur ab alijs at per particularẽ vestem ab omnibus cognoscuntur: & si quid agant cõtra obligationẽ ab omnibus cũ clamore notãtur. De cuculla vero Monachorum quod præcipuũ est eorum omnium insigne distinguẽs, ait Cassianus lib. 1. de institutis Cænobiorũ c. 4. significare simplicitatẽ puerilem & infantilem, ad quã Nouitius debet mutari. Imitatur enim cucul la operimentũ supra caput infantis positũ quãdo in nutricis brachijs, & matris nutritur, præ imbecillitate cerebri. Et sic per talẽ cucullã simplicitatis admonetur Nouitius tanquã si sit totius futuræ vitæ fundamentũ. Ita vt illis merito quadrare possit illud 1. Petri cap. 2. dictum, ad denuo conuersos: *Deponentes omnem dolum, inuidias, detractiones, sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite.* Alludit quod de B. P. Nostro Francisco narratur in Chronicis, quod examinans duos Nouitios ad habitus susceptionẽ, in hortum ductos, docuit illos lactucas folijs deorsum, & radicibus sursum versis plantare: & alterũ eorum facto acquiescentẽ recepit, alterũ factum emẽdare volentem tanquã non simplicẽ neque dolũ deponentẽ reiecit. Hoc inquã significat hæc vestium mutatio vt mutetur animus, exuantur passiones, inuidia, detractio, dolus, & sicut infantes spirituales, & rationabiles effecti, lac nouum Religionis concupiscant, per quod vegeti, noui speciosique in oculis Domini reddantur.

Causæ ob quas Nouitij & Religiosi vestes mutant.

Cucculla Religiosorum quid.

1. Pet. 2.

Nouitij duo examinati à P. N. Francisco de simplicitate.

Imitatur secundo hæc vestiũ antiquarum depositio, & nouarum assumptio in Nouitio, id

id quod

Vestrum depositio in Nouitio similis mutationi qua anguis mutat pellē.

id quod notissimum est singulis annis à colubro factitari; & refert inter alios Maiolus Episcopus in suis canicularibus colloquio 8. Coluber enim per singulos annos veterē pellē exuere dicitur: quā depositurus, angustū foramē inquirit, per quod transiens cū dolore pellē relinquit, adeo vt etiā oculorū pellē vel squamā exunt, sciēs quia pelle deposita pulchrior euadit. Appositissimū certe factū bestiæ quæ instinctu naturali hominē rationalem docere videtur nec mirum cū Matth. 10. Christus Dominus serpentū discipulos nos esse iusserit dicēs: *Estote prudentes sicut serpentes.* Hæc nēpe vna est ex prudentijs serpentū quā diximus Hāc inter omnia imitatur Nouitius: sentiens scilicet se vetere pelle grauatū, defessū homine veteri quod est peccatū, & passiones inordinatæ, ingreditur per foramen angustum Religionis, vestē veterem deponens vt nouos oculos, nouum splendorem, & nouos mores induat Ita sane, Religio foramen angustū, seu porta illa angusta est de qua Christus Dominus Luc. 13. 24 dixit: *Intrate per angustā portam* Hæc est quæcunque Religio, quæ angustior porta est & via cæli via vero inferni ampla & latissima dicitur Si ergo coluber cū dolore & afflictione illam angustā portam intrat vt pellē veterē exuat, & pulchrior euadat quid nō faciet homo, vt cælū intret? Quid non angustias Religionis admittat libenter, delicatasque vestes etiam cum dolore deponat, vt pulchrior coram Deo appareat? Videtur mihi etiam in Diuo Paulo nos hoc posse considerare: dum enim Actor. 9. primo ad Deum fuit cōuersus: & quasi Nouitius ad Apostolorū collegium & Religionem assumptus, in terram deiectus & humiliatus, *Ceciderunt quasi squamæ ab oculis eius.* Beda enim ad citata verba Actor. 9. Allegorice considerat Paulū ante cōuersionem quasi serpentem & colubrum sibillantem, & venenū ore vomentē: qui proinde squamas in corde quasi serpens haberet: & has in conuersione sicut colubrum deposuisse, cum intrauit per angustam portam legis Dei. Idipsum de Paulo ante conuersionem quasi serpente, cecinit Poeta Arator in carmine super Act. de Paulo sic dicēs inter alia.

Matt. 10.

Luc. 13.

Act. 9.

Et squama cecidere graues, natura quod anguis
Ferre solet, ratione viget. Iudæa venenum
Semper ab ore vomit &c.

Deposuit inquā Paulus squamas vt coluber, abiecit venenū, veterem hominem exuit, &

 nouum

nouum indutus, nouos mores, nouam vitam adeo suscepit: vt illũ cæteri homines videntes, & vix iã agnoscentes dicerẽt stupefacti. *Nonne hic est, qui expugnabat in Ierusalem eos qui inuocabant nomen istud?*

Iuuari etiã potest ista vestium depositio, & assumptio, ex illa Aquilæ renouatione, Psal. 102. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Ad quẽ locũ omnes fere expositores (maxime incognitus ex Magistro de proprietatibus rerum lib. 12.) dicũt: Aquilam cũ iam præ senio in pennis maxime alarum grauedinẽ sentit: in altũ recta volare vsque dum solis radijs fere cõburatur: & tunc descendit velocissime in fontem, vt quasi per balneũ pennas mutet: indeque exiẽs incipit nouas pennas induere. Quia tamen etiam præ senectute nimis grandi, & adunco valde rostro impeditur ne cibum sumat. Ad petram allidit ipsum rostrũ, illique nouum aliud subnascitur, quo facile cibum percipit. Talis oportet sit quicunque ad Deum cõuersus, maxime Religionem ingrediens. Cum se peccatorũ pondere grauatum senserit; in altum per contemplationem volet: superni ignis ardore concalescat: quo quasi per balneũ lachrymarum, pennas peccatorum exuat, & pulchrior euadat. In particulari vero rostrum aduncum concupiscentiæ terrestris quo terrestria bona desiderantur, & arripiuntur, hanc concupiscentiam ad petram Christum allidat, & frangat: omnia propter ipsum dimittens. Beatus Ieronymus epistola ad Iulianum de hoc ipso dicit, suadens illi vitam monasticam. *Pristina vestimenta contemne, &, vt euadas Aegyptiam dominam sæculi, pallium derelinque: Helias ad cælorum regna festinans non potest ire cum pallio, sed mundi in mundo vestimenta relinquit, &c.* Sic optime Ieronymus ad nostrum intentum. Denique quemadmodum luctaturus cũ alio, vestimenta deponit, ne habeat vnde teneatur, ac deijciatur. Ita Christi Athleta nouitius Religionem intrans cum Diabolo luctaturus primo vestimenta deponit: & cum illis exteriorem hominẽ, passiones scilicet supra memoratas, ne quid in eo subsit vnde diabolus tentandi ansam arripiat. Si enim istis non nudatur, & in eo aliqua affectio, & concupiscentia occultata manet, honorũ scilicet, consanguineorũ, & similium, iam habet vnde teneatur, vnde tentetur, ac deijciatur.

Sed heu, heu: multi veniunt ad Religionem, non puro animo sequendi Deum, sed ob respectum aliquem terrestrem: & quando

Psal. 102.

Nouitij vestes mutatæ, assimilantur aquilæ renouationi.

Aquilæ mira mutatio in pennis.

Heliæ pallium relictio in terra quid significet.

Superuestiri noui tium quid sit.

quando in hac prima cæremonia vestibus religionis induuntur, non prius se denudant; neque exuũt ex corde supradictos carnis affectus: non expoliant veterem hominem; sed volunt super vestiri supra illum. De his vere potest illud dici D. Pauli 2. ad Corinth. 5. *Nolumus expoliari, sed super vestiri*. Id est, supra nostras passiones, & affectiones terrestres, quas ex animo nõ relinquimus, volumus retento homine vetere, & exteriore, superuestiri Religioso animo, Religiosoque vestitu, quod est impossibile. Similes omnino sunt hi iuueni illi Euangelico Matth. 10. qui cũ vellet Christi discipulus fieri, vel saltem securam vitam eligere: rogans Christũ Dominũ quid sibi faciendum esset? Cui cum Christus post mandatorum obseruantiam dixisset, vt venderet omnia quæ habebat, & sequeretur se ipsum, subiungit textus: *Cum audisset autem adolescens verbum, abijt tristis, erat enim habens multas possessiones.* Et re vera prædictus iuuenis ore quidem perfectionem monasticam appetebat: at diuitiarum affectum exuere nolens, retento veteri homine, ac passionibus non indui, sed superuestiri volebat. Exemplum habemus eiusdem rei clarissimum, Exodi cap. 10. Vbi cum Moyses Pharaoné deprecaretur pro dimissione populi: ipseque Pharao, supplicijs fractus ad licentiam dandam inclinaret; dixit Pharao Moysi, & Aaroni. *Ite, sacrificate Domino oues tantum vestra, & armenta remaneant*. Hoc est ingenium diaboli, vt homini Monachatum intentanti, ac proponenti iuxta diuinas inspirationes, permittat quidem Religionem intrare: sed procurat omnino, vt eius passiones, & affectus, quos tanquam pecudes pascebat in mundo hæ inquam passiones in mundo remaneant: & ad mũdum inclinẽt, & pro mundo suspirent. Verus autem nouitius, ac Monachus, diabolo respondere tenentur, sicut ibidem Moyses dixit Pharaoni. *Cuncti greges pergent nobiscum non remanebit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri.* O miram responsionem, Nouitio, & Monacho necessariam: videlicet, de his passionibus & affectibus neque vngula vobis in mundo remaneat: Non decet Monachum habere vngulas quibus mundi caduca bona arripiat, ac diripiat: sed siquidem necesse est has passiones secum deferre, eo quod eas naturales perimere nequeat: deferat quidem illas vt pecudes sacrificandas in deserto Religionis, per mortificationem carnis

2. Cor. 5.

Matt. 10.

Exod. 10.

Nouitio in sæculo non debet manere nec vngula.

carnis illas Deo offerendo.

Deponat inquam, deponat Nouitius omnia ex animo quēadmodum deposuit ille Nouitius qui Religionem intraturus, composuit illa duo carmina, quæ habentur apud libellum, cui titulus est: lauacrum conscientiæ capitulo 11. prope finē, & citat illa libens, Doctor Lorinus super Ecclesiasten duobus locis, videlicet cap. 1 vers. 2. & cap. 12. vers. vltimo ijs quasi librum suum claudens. versus vero sunt hi.

Linquo coax ranis, cras coruis, vanaque vanis:
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Pulchra historia ad mundi fugam suadendam.

Causa ob quam versus prædictos Nouitius composuit, refertur à lauacro conscientiæ, in hūc modum. Quidam adolescens Parisijs studebat Logicam: & huic scientiæ adeo deditus erat, vt nullam curam salutis habēs spiritualis, in peccatis, moreretur. Post mortem apparuit in eadem vrbe Magistro suo Doctori celeberrimo, illi dicens se iuuenem esse damnatum ad infernum. Et portabat iuuenis pallium nimis graue, & ponderosum: in quo pallio circumquaque, & in omni parte, habebat, descriptam hanc vocem, ergo, ergo, ergo, ergo. Et totum hac sola voce erat descriptum: quæ nempe vox vsitata valde est in Logica, cuius ille viuēs amantissimus erat. Quo viso disparuit adolescens. Hac visione perterritus Magister, firmo animo proposuit Logicam, &c. Sciētias amplius non docere, & territus illis ergo, ergo, Religionem S. Patris Francisci ingressus est, prædictos supra versus componens, illosque relinquens tanquam respōsum suæ cōuersionis. Hos versus, neque Lorinus neque lauacrum conscientiæ exponunt in particulari. Ego autē quoniā video, eorum explicationē nimiū inseruire nostro huic intento ac themati proposito, illos sic expono, & Nouitio applico.

Rana loquax est nimis: sed tarda in ambulando.

Linquo coax ranis. Significat se iam nolle imitari tarditatem ranæ in operando, & loquacitatem eius importunā & insulsam. Ranæ vox illa importuna proprie voce latina dicitur, coaxare, vel coaxo. Vnde Ouidius dixit: *Rana coaxat aquas.* Habet ergo rana in illo suo cantu coaxandi, vocem importunam, frequentem & insulsam. Est præterea tardissima in progrediendo, per breues tantū saltus graditur. Vnde apud Pyerium lib. 29. de Hierogl. Rana apud Ægyptios significabat tarditatē, significabat etiā vt ibidē ait curiositatē: Rana enim oculos habet promintes, acres, & emissitios, vt om-

Logica similis ranæ.

vt omnia acriter introspicere videantur. Quæ duo, tarditas, & curiositas, cum voce importuna, primo conueniunt Logicæ, importunæ scilicet, curiosæ, & non progredienti id est non vtili. Conueniunt præterea homini mundano, curiosis vanitatibus addicto, & importuno: & in Dei seruitio tardissimo, ita vt nunquam in tali seruitio gressus faciat, nisi forte per saltus: formando per interualla proposita bona à quibus statim reijcitur per curiositates vanas distractus. His aptari potest illud Pauli 2 ad

2.Tim. 3. Timoth. 3. *Semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes* Sunt hi vt pueri quando primo discunt scribere: faciunt multas & crebras inceptiones in varijs carthis, & pessimos semper faciunt caratheres, neque lineas ad finem ducunt: Sic sunt multi sæculares: in operibus sanctis ranæ sunt tardissimæ, saltus figunt, proposita formant, ad opus non currunt, & communiter male viuunt curiositatibus dediti vt ranæ. Iuxta illud Senecæ dictum: *Male viuunt qui semper viuere incipiunt.* Ille igitur qui Religionem intrat, linquat ex animo coax ranis, id est tarditatem, curiositatem, & importunas, & apud Deum insulsas nimis voces, & loquelas.

Cras coruis. Hæc vox clarior est; scitur enim, quod ille cantus corui significat etiã procrastinare, dilatare bonum propositum; quasi semper dicat cras. Vnde illud Poetæ cuiusdã, ad hominem mendacem, & nõ stantem promisso, sed semper que promissum renouantem ad diẽ crastinum.

Dic mihi cras istud: posthume quando venit?

Semper enim vt coruus respondebat, cras faciam. Et ideo apud Pyerium lib. 2. Hierogl. dicitur etiam signum dilatationis: ferunt namque fabulæ, quod Phœbus sacrificare volens Ioui, misit coruum, vt aquam sibi afferret de fonte: qui vadens & videns ficum sine ficubus, ibi expectauit donec ficus nascerentur, & maturescerent: & post lõgum tempus sacrificio iam diu per acto reddidit anguem portans vnguibus. Tales sunt multi in sæculo ita viuentes, vt proponant quidem aliquando bene viuere: id vero nunquam implentes corui sunt, quibus dicere possumus: *Dic mihi cras istud, posthume quando venit?* Vocat te Deus ad sacrificium sibi offerendum, quo illi offeras te; & tuas passiones mortificatas. Tu vero pergis ad ficus mundi ad terrenas delectationes: & post elapso tempore, te inueniet Deus rapinis, & rebus impertinentibus deditum,

Coruus simbolũ tarditatis, & de hoc optima historia.

debitum, & occupatum. Et hi tandem similes omnino sunt illi coruo Noetico, Genes 8. *Qui dimissus ab arca, egrediebatur & non reuertebatur, iussa Noe non impleuit*, & corporibus mortuis intentus Arcam non repetijt, ita vt intraret. Tales sunt multi sæculares extra legem Dei ambulantes, diuinaque præcepta negligétes terræ putredini, mundique immunditijs intenti detinentur oportet igitur, vt qui diuinas inspirationes habuit de Arca religionis intranda, non dilatet sicut coruus; & illum corui cantum reijciat, ac deponat.

Quod sit vanitas proprie dicta.

Vanaque vanis.) Oportet nouitius cum sæcularibus vestibus vanis relinquat omnem vanitatem hominibus vanis sæcularibus sectādam. Quid autem proprie sit res vana, definit præ alijs Chrysost. in Psal. 118. dicens: *Vanum idem est quod vtilitatis expers: quod habent nomē sine re.* Cui consonat Nyssenus supra 1. cap. Eccles. dicens: *Esse sonum sine re*; quemadmodum vocabula nihil significantia apud Logicos vt Blictri, chimera, & similia: iuxta horum Doctorum sententiā, si quæras de hoc nomine, diuitiæ, delectatio, & similibus, respondebunt, esse quidem nomina illa sine re. Id est imposita ad significandum illud quod sunt diuitiæ, & delectatio; re tamen

Res mundanæ sunt voces sine re.

vera, talia significata vere non dari; & proinde sunt nomina sine re, &c. Hæc sunt omnia mundana, vanitates ipsissimæ, *imo vanitatum vanitates* sicut clamauit ille hominum sapientissimus, diuino lumine illustratus, & in mundanis vanitatibus præ omnibus versatus, & expertus Salamō Eccles. 1. Quid igitur multum si ad tanti, & tam experti præconis omnia mundana quæ vana sunt, spiritualis homo relinquat mundanis, ac vanis, vt in illis occupentur: ipse vero ad solidas res diuinas conquirendas ex animo religioni velit ascribi?

Eccl. 1.

Secundus versus integer, ad logicam pergo quæ mortis nō timet ergo: hunc habet sensum: linquo logicam Aristotelis cum suis ergo, ergo: & intro religionē quæ sancta logica, & philosophia est: in qua viuentes non timent in hora mortis, illud vltimum ergo, quod ibi infertur. Quod vero vita religiosa, philosophia appelletur, testis est diuus Chrysost. in lib. contra vituperatores vitæ monasticæ maxime lib. 3. Vbi vitam monasticam appellat philosophiam sanctam. Econtra vero vita mundana logica diabolica est, & sophistica; plena vita est mille ergo diabolicis. Hæc enim sunt ergo, mundi, ac diaboli. Petrus seu fullanus portat vestes sericas tales, vel tales:

Vita religiosa est vera philosophia.

Vita sæcularis est logica diabolica.


tales:ergo easdē ego debeo portare. Fullanus aleator est, ergo idem me facere oportet, ne dicar inferior. Fullanus fecit mihi iniuriam, ergo & vindictam per me ipsum sumam. Fullanus tale, & tale fecit, etiam contra legē Dei, De quo famā obtinet apud mundanos: ergo idem mihi facere conuenit quoquo modo id fiat. Vides quot ergo diabolica: ita vt fere dicere possimus, totam vitam, ac vestem hominis sæcularis plenam esse infernalibus ergo quale erat pallium illius damnati logici Parisiensis. Vt ergo nouitius hæc ergo diaboli vitet, religionem ingreditur in qua viuens non timebit illud finale ergo quod auditur in morte. Considero ego nobis in vltimo vitæ instanti ab Angelo, vel Deo sic fieri ergo, vel sillogismum. Non possunt dari duo paradisi, in vita scilicet, & post vitam: tu scelerate vsq; modo delectationibus viuens terræ paradiso contentus fuisti: ergo modo post vitā, ad infernū ibis. Ecōtra, viro iusto hoc modo fiet benignius ergo Non possunt dari duo inferni: tu vsq; modo per pænitentiā, in vita infernum habuisti: ergo modo habebis paradisum. Et tandem hoc ergo, mortis timendum est illud: *Ite maledicti*, à Christo Domino in finali iudicio dicendum. Illud enim, *ite maledicti*, Math. 25. dicēdum damnatis tum in morte, tum in finali iudicio, virtualiter, est idem quod, ergo: ibi enim dicitur, hoc illis dicendum, quia viderunt Christum nudum, esurientem, &c. Et illi in pauperibus suis non sunt inserti: quod fere idem est ac dicere; fecisti hoc, & illud malū: vade ergo in æternū supplicium. Clauditur hoc, & & probatur optimo dicto Ieronimi epistola 34. ad Iulianum, quem ad vitam religiosam impellens, sic alloquitur. *Felix & omni dignus beatitudine, quem senectus Christo occupat seruientem, quē extrema dies Saluatorem inuenerit militantem: non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta: cui in introitu paradisi dicetur: recepisti mala in vita tua, nunc autem hic lætare.* Sic Ierón. Vbi inuit religiosos tota vita Christo seruientes, non confundendos, nec pauidos fore in hora mortis, ob diaboli minas ac terrores, neque ergo finale illius horæ timere debere. Quod si ita est ob gratiam quam hinc secum deferet, ibi habebit gloriam, Amen.

In morte cuique nostrum dicitur ergo. Sed diuerso modo iustis & peccatoribus.

Math. 25.

Religiosus non timet ergo dicēdum in morte.

EXOR-



EXORTATIO III.

PRO NOVITIA QVANDO RICIPITVR ad habitum, criniumque attonsionem.

SOLET in aliquibus conuentibus monialium, maxime primæ regulæ sanctæ Claræ, nouitia primo die recipi in Ecclesia cum sermone publico ad populum: & omnibus in religionibus in primo ingressu, & prima die qua recipitur, illi crines tondentur à prælata, vestibusque prophanis ac sæcularibus exuta, induitur vestibus religiosis. Pro ista prima ac sancta ceremonia consonantissimum exemplum, ac thema esse potest, id quod fecit Regina sancta, & pulchra Esther: quæ vt habetur Esther 14. sciens genti iudæorum parari necem ab Aman, tres actus inter omnes fecit sequentes, sub his verbis.

Pauens periculum: cum deposuisset vestes regias fletibus, & luctui apta indumenta suscepit: omniaque loca in quibus antea lætari consueuerat crinium laceratione compleuit. Esther 14.
Hæc ibi verba habentur Esth 14 aliquibus omissis à nobis. Ex quibus vt vides illa sancta Regina Deum cœli, pro se ipsa iudæa, & pro gente sua rogatura: primo exhorruit periculum, in quo illa, & populus iudæorum positus erat. Secundo, deposuit vestes prophanas, & sæculares, & induit se vestes viles ac lugubres. Tertio, crines lacerauit in

ijs

ijs locis quibus antea lætata fuerat. Hæc eadem in quauis nouitia primo intrante debent inueniri:& a nobis fusius explicari.

Et quidem sicut Esther præ timore periculi in quo erat, res adeo nouas aprehendit,tales scilicet vestes,& crinium lacerationem:eodem modo nouitia religionem ingrediens pari timore ducta rem adeo nouam debet inchoare religionem etenim debet appetere, timore periculi, non mortis corporalis vt Esther: sed mortis spiritualis, peccati videlicet, cui propinqua est in mundo:& timore gehennæ ad quam tam latam, & facilem viam parant tot,ac tanta pericula mūdi. Hanc periculorum multitudinem considerans Ecclesiasticus; cap.9. ait: *In medio laqueorum ingrederis: & super dolentium arma ambulabis*: vbi Textus græcus legit:*Super pinaculo ciuitatis ambulabis*. Quem locū Chrysost. hom. 15. ad populum Antioch. mire extollit, & comēdat ad considerãda vitæ nostræ pericula. *Non enim ait Chrysos. dixit ambulas iuxta laqueos. sed in medio laqueorum, vt vix sit euadere.* Et ponit hoc exēplum. *Descendit quis in forum vidit inimicum,exarsit odio:vidit amicum ab alijs laudari,inuidet: vidit pauperem,contempsit: diuitem & inuidet. Vidit quempiam se infestantem, indignatus est. Vidit speciosam mulierem captus est animo,&c.* Et nequis putaret solum exeuntibus domū occurrere illa pericula: subdit, *Et in domo laquei,& in contionibus laquei.Sæpe filij,sæpe amici,sæpe vicini,&c.* Ob quam causam attenta tãtorum periculorum congerie, sanctus Doctor exclamat:*Vtrinque nobis voragines, vtrinque doli: vidisti quot laquei.* Vnde fortassis sumpta tot laqueorum occasione, dixit Spiritus Sanctus Prouerb. 24. *Septies cadit iustus:* quod solet exponi de casu quotidiano. Si autem iustus circunspectus & timoratus septies in die cadit, idque ob multitudinem periculorum, & occasionum: quoties cadet,iniustus & peccator,de propria salute nil curans? Remediū igitur innuitur à Chrysostomo citato loco in hunc modum. *Si auis in medio laqueorum deambulet, certe laqueos non euadet: vt autem illos euadat statim in altū aerem volare debet, in aere enim laquei non tenduntur. Eodem modo homo qui in medio laqueorum mundi eosdem volet effugere: mentis contemplatione in altum volet, auxilium à Deo postulando pro tot laqueorum leberatione*: Sic ille. Ego autem ad nostrum intentum applicans dico:siquidem mundana vita tot laqueis plena est, remedium ad illos euitandos est,nō intra illos in mundo discurrere,sed ad religionem transuolare, in qua vel la-

Eccles. 9.

Mundus quot periculis obnoxius sit,

Prou. 14.

Quomodo intellogatur septies in die cadere iustum.

Remediū ad mundi laqueos fugiendos

laquei non sunt pauciores, & minores sunt, & facilius ibi per diuina auxilia maiora, & frequẽtiora euaderẽt Faciat illud quod Psal 54. consulitur: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine.* Verum obijcis: delicata sum, debilis, & delicate à iuuentute nutrita, non possum asperas vestes religionis, arctam clausuram, & insulsos cibos, ferre, ac degustare. obiectio certe carnis, ac diaboli clara est. Cui primo respondeo: Reginam quidem Esther, etiam delicatissimam fuisse omnibus delitijs enutritam, muliebri ornatu mire cultam: ac tandem Reginam potẽtissimi Regis vxorem: & nihilominus præ timore solius mortis corporalis illam talem vestium, & sacci mutationem fecisse: quid ergo pro euadenda spirituali morte peccati, & æterna morte gehennæ, pati durum non debeas? Secundo, respondeo obiectioni, dicendo, imo quia delicata es, debes in vita asperas has religionis vestes, ac mores assumere. Consonat, & iuuat pro hac responsione, historia narrata apud librum lauacrũ conscientiæ cap 6. de quodam nobili adolescenti filio comitis, qui religionem prædicatorum ingressus, à parentibus solicitatus est per nuntium, vt deserta religione mundum repeteret. Rationes nuntij vim solum hanc faciebant. Delicate nutritus es, & non poteris sustinere rigorem ordinis. Cui alacris, & prudens nouitius respondit: imo & propter hoc ordinem intraui: quia sciui me delicatũ, & non posse asperitates sustinere: cogitãs apud me secundum quod audiui prædicare, quod pæna inferni sit maxima nimis, & mihi intolerabilis: & ideo elegi potius sustinere hanc pænam ordinis, quam inferni cruciatus, iuxta illud Iob 6. *Qui timent pruinam, irruet super eos nix.* Id est, *qui timent minus malum, patientur durius malum.*

Psal. 54.

Cõplexio, quæ est delicata debet potius in hoc mũdo pati quia delicata cũ sit maiora tormenta futuræ nõ sustinebit.

Primum igitur quod fecit sancta, & delicata Esther, fuit vestes vanas, ac sæculares deponere: & assumere saccum seu vestes lugubres quibus ad fletum inuitaretur. Hæc prima nouitiæ mutatio est, depositio vestium sæcularium, vanarum, quæ ad vanitatem, & proinde peccatum inuitant, & assumptio vestium religiosaraum, & honestarum, quæ ad fletum, & luctum solẽt prouocare. Inflant quidem, ac vanitatis vento, alijsque peccatis communiter repleant, vestes vanæ, & præciosæ: adeo vt etiam irrationales bestiæ, preciose vestitæ superbiant. De equo illo Alexandri Magni Bucephalo narrat Plutar. lib. de Indum. Animal. quod dum nudus esset, humilis & subjectus erat, omnemque ses-

Vestes vanæ ad vanitatem & peccatum inuitant.

Bucephalus Alexãdri superbiebat vanis vestibus.

sessorem admittebat. Cum vero phalaris indutus, & ornatus erat superbiebat, & nullum præter Alexandrum admittebat. Quod si in bestia irrationali luxus, & preciositas vestium, hoc efficiūt, quid operabuntur in homine discursiuo, & ad superbiam naturaliter inclinato? Act. 12. illa irradians, regia, & preciosa vestis adeo Herodem vanum, ac superbū reddebat, vt libenter se Deū acclamari pateretur. Hinc illæ patrum taxationes in vestes preciosas, ac molles; videntes periculum eisdem inhærens. Ieronimus in vita Pauli primi Eremitæ, dicit: *Vos in tunicis aurum texistis, sed vos auratos gehenna suscipiet.* Et sanctus Ephren lib. de lucta spiritus cap. 2. *Quid lucrabimur, ait de cultu vestimentorum, & ornatu elationis amictu, nisi ignem inextinguibilem?* Et Bernardus in Apologia: *Mollia indumenta animi molitiem indicant.* Et quod maius est, Iustinus iunior Imperator sæcularis, in oratione ad Tyberium, præsente Ioanne Patriarcha Constātinopolitano quando veste illū imperiali induebat, sic inquit. *Ne te in errorem inducat vestis splendor neque illustris ornatus illarum rerum, quæ sub aspectum cadūt, te decipiat quibus ipse in fraudem impulsus me ipsum grauissimis supplicijs obnoxium me reddidi. Non elevet te habitus quemadmodum me,* &c. Ibi. Merito igitur sancta Esther flere decernens vestes ad vanitatem, & superbiam inclinantes deposuit. Eodemque modo nouitia religionem ingrediens, vt in illa pro suis; & omnium fidelium peccatis lugeat ante omnia vanas, & prophanas vestes mutat: vt enim inter alia, optime dixit Diuus Cyprianus in libro de habitu virginum: *Serico, & purpura indutæ Christum sincere induere non possunt imo, & margaritis adornatæ, & monilibus ornamenta mentis, & corporis perdiderunt.* Sic ille. Lugubres ergo & luctuosæ vestes quærendæ sunt, quæ suo colore, ac forma, ad fletum prouocent. Id primo faciebant communiter in Lege veteri tristes homines, cum dolorem internum vellent ostendere, saccum, cinerem, ac cilicium assumebant sui doloris testes ac nuncios. Id ipsum in morte parentum, & consanguineorum solemus facere. Idque maiori iure in morte propria præstare debent illi qui moriuntur mundo, ac Deo in religionibus seruire proponunt; quasi tristes semper autem gaudentes.

Act. 12.

Mollia indumenta mollē animum indicant.

Vestes lugubres signa doloris interni.

Præcipuum tandē quod fecit sancta Esther, loca in quibus antea lætata fuerat criniū laceratione cōpleuit: cui facto monialiū seu nouitiarum respondet attonsio. In quo facto pulchræ Eesther pri

Capilli æstimati á fœminis.

primũ quod confidero est quod sancta ista mulier in eo se mulctauit, & afflixit quod sibi charius erat. Quid charius, & æstimabilius pulchræ fæminæ, quam fului capilli in quorũ educatione aliquando deueniunt ad insaniam? In re igitur tam chara se afflixit, quod præcipuũ documentũ est, vt religiosi discant, in eo quod pluris faciunt, plus se macerare quod est propria mortificatio. Docuit hoc prius pænitens illa Magdalena Luc.8 quæ adeo charos, & cõptos capillos, & æstimabile suæ vnctionis vnguentũ, primo Christo D. obtulit, fudit, ac profudit liberalissima. Sancta etiam illa Paula teste D. Ieronimo in epitaphio Paulæ iam religiosa effecta, tot lacrimarum imbribus faciẽ rigabat, vt facies incrustata, & fœda redderetur. De quo cũ sancta admoneretur, vt cessaret. Respondebat: *Turpanda est facies quæ se purpuurisso fœdauit.* Ecce quomodo tres hæ sanctæ fæminæ in facie, & capillis, quæ res præ cæteris fæminis cariores sunt, se afflixerunt, & castigarũt. De quodam fratre Iacopone Minorita, in Chronicis nostris legitur, quod cũ de abstinentia nimis tentaretur ad comedẽda viscera cuiusdam animalis, vergr. arietis: illa quæsiuit, & in sua cella cruda reposuit de clauo pendẽtia, per longũ tempus: quæ cum

Mortificatio proprie fit in re quã magis amamus.

Luc.7.

Iacopone Minoritæ mirabilis mortificatio.

iam putrescerent, & præsanie pene diffluerent vermibus plena: ea sic pendentia, ac putrida, quotidie intuebatur, & odorabatur, vt scilicet in re quã ardenter appetierat, cruciaretur: hæc nẽpe prima est, & vera mortificationis lectio, in eo scilicet nos plus affligere, quod ardentius optamus: mortificari enim in rebus nõ desideratis, mortificatio dici non potest. Hæc est mortificatio in rebus magis dilectis similis fortasse illi plagæ Ægyptiacæ postremæ, vltimæ, & maiori qua scilicet Exod 11. *Omnium filios primogenitos tamquã rem præ omnibus cariorem Dominus vna nocte peremit.* Et hũc forte etiã alludit prima hæc cæremonia de crinibus tondendis in monialibus, vt scilicet in eo quod pluris faciunt, discant prius mortificari. Sed multa alia ministeria in hac criniũ attõsione video præfigurari, atq; edoceri.

Exod. 11.

Et primo quidẽ capillorum attonsio significat patientiã, & lætitiã in amissione rerum tẽporaliũ: vt optime adnotauit Orig. li. 1. in cap. 1. Iob Cum enim ibi dicatur, *Iob auditis nuncijs tẽporalium amissionem nunciantibus, caput totõdisse*: Dicit Orig. significasse per illã tonsionem, quod sicut capilli superflui in corpore, significãt diuitias, & bona temporalia homini adiũcta, & quasi superflua: sic etiam quãdo diuitiæ, & bona tem-

Crinium attonsio quid significet.

temporalia ab homine auferuntur talem oblationẽ ita sine dolore sustinere debet, quemadmodũ attonsionem patitur, & si sine vllo dolore criniũ tonsionẽ tolerat, verba Orig. sunt hæc. *Comā uero capitis totondit, quia deposita diuitiarum abundantia, etiã coma nimietatẽ deponeret: & vt aduersario ostenderet, quia sicut passus est nihil, quia comã totondit, ita cũ multitudinem bonorum deponeret, atque amitteret, nihil se passum fuisse æstimasset.* Sic ille Imo cum homines crinium attõsione non solũ non doleant, sed potius lætentur, & leuamen sentiant quasi leuati, & alleuiati ab onere capitis: ad eundem modũ rerum temporaliũ depositio, & amißio debet non solum non causare dolorem, sed causare lætitiam Hoc tibi primo hodie significatur charißima soror in criniũ attonsione: hodie relinquis omnia quæ in mundo habere poteras, relinquis has tuas pretiosas vestes, ac cætera, vitæ oblectamẽta quibus forte humanitas dedita erat: horũ omnium amißio nõ solũ tibi molesta esse nõ debet, quin potius gratißima ac leuißima. Si enim iuxta dominicã sentẽtiam Luc. 9. [*Spinæ sunt omnes diuitiæ, ac bona terrena*: quis doleat spinas amittere? quis doleat grauißimũ onus deponere? De pecunia etiã dicit D. Bonauẽtura in officio Diuino P.N. Francisci: *Quod graui suo pondere cor liberũ offendit.* Quis ergo gemat eo quod ab onere, ac pondere liberatur? Iuuant adhuc verba Orig. citato loco de Iob posita vbi nomine Iob sic scribit: *Non lugeo inquit, rei familiaris direptionem, ablata mihi nãque sunt cum periculo pariter etiam molestiæ atque curæ, &c.* Non ne referente diuo Ieronimo epistola ad Paulinum Monachum, Crates ille Thebanus ditißimus, cum Athenas pergeret ad philosophandum, magnam auri summam proijecit, ne sibi foret impedimentum, ad studium, virtutesque comparandas? Mira ad hoc propositum scripta reliquit Gentilis Seneca lib. de remedio fortuit. Ibi inter alia sic scribit. *Pecuniam perdidisti, eris nunc in via expeditior, exonerauit te fortuna, si intelligis, & tutiore posuit loco. Damnum putas remedium est.* Sic ille, & epist. 63. idem dicit. *Id agamus vt iocunda nobis amißorum fiat recordatio.* Quod si gentilis lumine tantum naturali tot commoda elicit, ac consulit circa temporalia casu & furtuito amissa: Christianus, ac fidelis homo non casu, sed libenter eadem perdens propter Deum, quam lætitiam, quæ commoda inde sentiet, ac reportabit? Tolerabilius hoc fiet, si cum Iob citato 1. capite, consideret, non posse quem-

Amißio tẽporalium non dolorem, sed gaudium causare debet.

Luc. 9.

Crates Philosophus lætus aurum proiecit.

 quam

& translationem, cogitationum ad solum Deum. Confirmatur hoc etiam ex eo quod Pyerius in fine libri 52. Hyerogl. de arbore loto, quæ scilicet erat arbor Deo sacrata, in qua Deus sederat, & eius fructus erat adeo suauis, ac dulcis vt qui illum primo gustasset, amplius obliuisci non posset. In hac arbore loto appendebantur crines virginum vestalium quando illis tondebantur eo die quo Deo consecrabantur. Quasi hoc facto significarent, quod persona Deo consecrata inuenit omnem dulcedinem, ac suauitatem cibumque præ omnibus præstantiorem. De his admonetur nouitia in crinium attonsione, quod scilicet per capilos abscisos, Deoque sacratos, cogitationes, & curas à terrenis resecet: & in solo Deo constituat, qui fons est totius suauitatis, & dulcedinis. Et ex consequenti hodie vere de illa dici potest illud Psalmi 83. *Passer inuenit sibi domum vbi ponat pullos suos.* Iam anima mea sicut turtur seu passer errabundus domum, ac nidum inuenit vbi secure suos pullos, cogitationes, ac curas valeat collocare, videlicet Sponsum Christum totius honoris mei, boniq; principium. Hoc desiderabat nimis Sponsa Cant. 1. scire scilicet: *Vbi habitaret Sponsus, & cubaret in meridie:* Scire, & inuenire rectam viam qua Deũ reperiret: & causam huius desiderij assignans ait: *Ne vagari incipiam post greges, &c.* Vaga namque, distracta, & errabunda anima est, quæ cogitationem, & curã extra Deum ponit, & quantũuis quietem extra illam quærat, non inueniet. Pulchre ac deuote B. Augustinus lib. 2. confess. cap. vltimo, hoc docuit, & cognouit, Deum sic aloquens *Te volo iustitia, & innocentia pulchra & decora, honestis luminibus, & insatiabili satietate quies est apud te valde, & vita imperturbabilis: qui intrat in te, intrat in gaudiũ Domini sui Defluxi abs te ego, & erraui Deus meus, nimis deuius à stabilitate tua in adolescentia mea, & factus sum mihi regio egetatis.* Sic Augustinus.

Arbor lotus qu d: & in eo crines vestaliũ positi.

Psal. 83.

Cant. 1.

Anima extra Deum vaga est, errabũda.

Tertio crinium attonsio significat remotionem impedimentorum: persona enim quæ rasum habet caput, per capillos nequit aprehendi, neque trahi. At persona quæ oblongos habet capillos per illos potest apprehendi, trahi ac suspendi. Exemplum clarissimum est Absalonis 2. Reg. 18. qui vt colligitur communiter ex eodem loco, per capillos oblongos suspensus est in quercu: sunt ergo capilli impedimenta quædam modo humano corpori, maxime si in capite fœmineo soluti sunt, & non collecti, visum impediũt,

Crines significant impedimẽta.

2. Reg. 18.

& alios actus similiter. Abtasio ergo crinium maxime in fæmina impedimentorum remotionem significat: ita sane: infinitis propemodũ impedimẽtis liberatur illa quæ religionẽ ingreditur. Et quidem cõmunia vitæ pericula: quæ vitat monachus, iã in principio supra diximus quæ timẽda sunt. Particularia vero nunc attingamus videlicet, matrimonij iugũ intolerabile; quod magnũ impedimentũ est Deo seruire volenti. Exprimitur hoc in illa parabola, Luc 14. de cæna magna gloriam, vel Ecclesiã repræsentãte, ad quã multi vocati, varias attulerunt, excusationes alter enim dixit, *se iuga boum emisse illaq; probare velle, alter quod villã emerit ireq; ad videndum illã*: & sic aliquãtulas excusationes obtulerũt. Is vero qui vxorẽ duxit, omnino & absolute respondit, *se non posse venire* De homine vxorato ait Apost. 1. ad Corin. 7. *Solicitus est quæ sunt mũdi quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Vide quales curas, & quã anxias solicitudines in corde gerat homo coniugatus, (& idem est de fæmina cõiugata.) Ea quæ mundi sunt curat, angit cura familiæ: sõmniat quomodo vxori placeat: ac deniq; diuisus est corde, & mẽte & cogitatione D. Chris. ad idem caput citatũ ex eo quod Apostolus dicat hominẽ habere potestatẽ supra vxorem: & vxorẽ supra virũ & coniugẽ vocat mãcipia vinculis constricta sic dicens. *Vides ne rei necessitatem, & inexorabilẽ seruitutẽ? Vides vtrumque funiculis constrictũ: vt nulla mãcipia magis in cuiusquam dominatu sint quam ipsi, alter in alterius potestate.* Sic ille. Iam vero, vt omittã alias vitæ, & matrimonij infinitas molestias, illam tantum cõiugij perstringam breuiter, quæ ex filiorum susceptione, vel carentia, solet coniugibus euenire. Hanc autem præ omnibus, vt puto, elegantius descripsit Nyssenus in libro de virginibus cap. 3. sic dicens. *Varia & multiplex est malorum copia quæ ex matrimonio existunt. Hic liberorum multitudine gaudet sed gemit quia non habet vnde alat Illi cõtra qui in diuitijs quærendis multum laborauit nunc hærede caret, cui eas relinquat: itaque vnius bona fortuna est calamitas alterius, cum sibi vterque illud euenire velit, quo alterum cruciari videt. At huic mortuus est suauissimus puer, illi vero viuit filius perditus: vterque sane cõmiseratione dignus, vnus enim filij morte, alter vita dolet Affectus porro, & perturbationes rixas tum ex rebus veris, tũ ex falsis suspitionibus temere ortas, quis enumeret*, Hæc ille. His ergo omnibus impedimẽtis liberatur illa quæ soli Domino nubit: vt proinde quietissimam illã vocem possit emittere cum Sponsa Cãt. 2 *Dilectus meus mihi, & ego illi*

Matrimoniũ iugũ graue.

Luc 4.

1. ad Cor. 7.

Coniuges sunt mancipia ad inuicem.

Filiorũ carentia, vel copia, quã sit molesta

Monialis liberatur infinitis molestijs.

Id est

Id est de nulla re alia iam curo, quam de Sponso Christo: ille mihi sufficit, & ab eo iam nullo impedimento diuellar.

Cant. 4.

Religiosi sunt Christi oues tōsæ, præcipue vero moniales.

Vltimo nouitiæ, ac moniales tondentur, vt vere maneant de grege Christi: de quo Cant. 4. dicitur: *Dentes tui sicut grex tonsarū.* Diuus Bernardus in serm. panis ser. 63. applicat citata verba omnibus religiosis viris, dicens: *Illos vere Christi oues tonsas esse, quibus nec corda, nec corpora, neque aliquid mundanum in proprietate relictum est.* Eadem proinde verba spe. illius monialibus possumus applicare, illasque merito vocare oues Christi tōsas. Cuius ego rei duas alias causas asigno. Prima est: quoniam sicut quando non detonsæ, & lanam oblongam portantes, pascuntur inter siluas, vepres & carduos, prehenduntur, ligantur, ac detinentur ab illis, & in illis frusta lanæ relinquunt: quod non euenit ouibus tonsis: ita fæminæ quæ inter vitæ pericula supra memorata degunt, semper ab illis detentæ, virtutes, bonos habitus, & bona spiritualia dimittunt: quod non euenit tonsis monialibus, quæ pericula, ac vepres mundi euaserunt. Secundam causam finalem asigno de moniali tonsura, & est: vt scilicet maneat agna detonsa similis Agno Christo attōso. Isay. 53. de Christo Domino prædictum est: *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Attonsus est Agnus Christus in honore, in fama, in salute, in vita: hæc enim omnia inimici taquam acuta nouacula in illo abraserunt: & ad nihil horum aperuit os suum. Similis sit, oportet, monialis sponsa, sicut sponsus illius: ille per patientiam, agnus attonsus, illa etiam sit ouis, & agna attōsa. Si aliquis ex inde, vel extra religionem, vel ipsa religio mortificandi, & experimentum faciendi gratia; eius honorem, famam, gustum, quietem velit auferre, & quasi attondere, agna sit obmutescens, neque aperiens os suum, ad remale dicendum, neque ad vendictam sumendam. Et sic in omnibus æterno Sponso conformis ab eo gratiæ remunerationem in hac vita recipiet, & in alia gloriam æternam. Amen.

Monialis tonsa vere sponsa manet Agni Christi tōsi.

Isaya 53.

IESVS.

EXORTATIO IIII.

AD PROFESSOS CIRCA VOTA TRIA IN COMMVNI.

Psal. 75. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* Psal. 75.

NON abs re fuerit religiosos admonere de tam communi, ac stricta obligatione, quæ in tribus votis consistit: antequam ad particulares exhortationes descendamus. Hæc admonitio præsertim citatis verbis Psal. exprimitur: in quibus tria considerabo.

Primum est Vouete. Hoc verbum consiliũ continet, non præceptum: neminem enim Deus ad vouendum obligat: sed solũ consulit tanquam quid magis perfectum. Hæretici autem huius temporis mira conuitia, & blasphemias proferunt contra tria vota monastica: maxime Caluinus super cap. 14. Math. vbi dicit vota religionum esse magicos, exorcismos, & continere impietatẽ: alijque aliter in illa inuehuntur: multisque impugnãt argumẽtis. Præcipue Petrus Martyr, & falsus Martyr obijcit: quod nos omnes nostras actiones bonas debemus, & proinde de nulla actione vouere poterimus, cũ votũ de rebus in libertate positis fieri debeat: & nulla sit actio bona, quæ Deo multis titulis non debeatur. Hæc tamẽ deliria, & blasphemiæ sunt: ac dicendum vota religiosorum esse diuina consilia super erogationes, opera sancta, & valde meritoria. Quod vt fiat clarius, & religiosi consolentur, aduer-

Vouere est consilium non præceptum.

Vouere est quid sanctũ, & opus Deo acceptissimum Deus pauciora præcipit nobis quam posse præcipere.

aduerto potuisse Deum optimũ maximũ, plura nobis, ac duriora præcipere quam præcepit: & absolute potuisse ordinare vt quod cunque bonũ optimum datur in vita, omne illud ex obligatione præcepti faceremus in laudẽ ipsius: idque ob debitũ creationis, & redẽptionis quibus nos creauit, & redemit. Quemadmodum enim qui plantat arborẽ, eo solo iure quod plantauit, ius habet possessionis in omnem fructum, quẽ ipsa protulerit, & possit produccre: ita etiã Deus iure creationis, & multo magis redẽptionis ius habuit ad exigendum à nobis quidquid bonum operari possemus, idque sub præcepto obligãte. Ea tamen facit in nos diuina bonitas & clementia: vt ad multa bona facienda nos nõ obligaret, sed multa relinqueret in manu nostræ libertatis. Colligunt hoc Doctores omnes cum diuo Augustino ex illa historia Luc. 10 cũ Samaritanus cõmendans stabulario hominẽ saucium, vt curã illius ageret, statimque donans duos denarios, dixit: *Et quodcunque supererogaueris; ego cum rediero reddam tibi.* Ecce ibi fit mentio de opere supererogationis, quod scilicet fit ab aliquo vltra legem, vltra contractum seu pactum constitutum. Verba Augustini sunt hæc, & habentur lib. de opere monach. cap. 5. *Audiuerat stabularius, ad quem vulneratus ille deductus est: si quid amplius erogaueris, in redeundo reddam tibi: amplius ergo erogabat Paulus qui suis, vt ipse testatur sumptibus militabat.* Hæc ille. Imo potius illa quæ Deus non præcepit, & in nostra libertate reliquit, vt plurimum meliora sunt, & difficiliora qualia sunt consilia Euangelica. Probatur hoc, quia cum lex Euangelica sit iugum suaue, & onus leue Math. 11. sequitur quod in illa nõ præcipiũtur nobis illa quæ sunt difficilia, vt obedientia, castitas, & paupertas perpetua, sed nostræ liberati reseruentur. Habuit namque diuina clemẽtia in hoc respectum ad fragilitatem humanam, quam noluit obligare ad res difficilimas: sed tamen videns profectum spiritualem in illis positum, ad illas hortatur: & illas consuluit vt vel libẽter, vel voto obstricti easdẽ faceremus. Hæc inter alia præcipue sunt consilia Euãgelica, illa tria, obedientia scilicet, castitas, & paupertas voluntaria in quibus perfectionis summa consistit.

Luc. 10. Opus supererogationis quid sit?

Difficiliora, quæ meliora sunt, Deus nobis non præcepit, sed cõsuluit.

Hinc quasi per corollarium colligo, Deum quotiescumque hominibus legem dedit, siue scriptã, siue Euangelicã, erga homines amorẽ & misericordiam, nõ vero rigorem ostendisse. Probo manifeste: nã cum homines iure creationis, & redẽptionis possẽt cre-

Deus legẽ hominibus ponens, non ostendit rigorem, sed amorem.

credere omnia bona opera possibilia se debere operari ex præcepto in laudem Dei, ne tali dubio, anxij laborarent, misericordia Dei fuit eos tali dubio liberare, statuendo legem de illis, ad quæ illos tãtum obligare vellet: vt inde scirent eos non teneri ad multa alia bona quæ manent extra legem. Id præcipue colligo in statuenda lege scripta per Moysen, cum enim antea homines lege carentes scripta & clara, sola rationis naturalis lege tenerentur, dubitare possent de ijs ad quæ tenerentur. Misericordia ergo, & clementia fuit in Deo, eisdem legem scribere, vt scirent ad quæ teneretur: & simul intelligerent se non esse obligatos ad multa bona extra legem manentia. Et quid illa legis collatio misericordia & beneficium diuinum fuerit, videtur docere manifeste diuus Basilius hom. I. de ieiunio, considerans causam ob quam Moyses legem à Deo latam noluerit promulgare, sed potius tabulas fregerit, quia: *Scilicet videbat populum vinolentum, & idololatram, indignum esse tanto D beneficio, quale erat legem à Deo recipere. Verba Basilij sunt. Propheta sanctißimo indignum existimante vinolentum populum á Deo legem accipere*, sic ille. Ergo misericordia Dei est quod le nobis dederit. Misericordia simul est, quod ea lex Euangelica nobis data, leuis sit, & suauis; minora præcipiens, ac faciliora quam posset. Ex parte vero nostra, pietas magna est. & gratitudo, & obsequium quod nos libere per votum obligemus ad illa facienda quæ ipse in nostra libertate reliquit, & quæ ille tanquam perfectiora consuluit. Et proinde Propheta citato Psalm. consulens tantum, ait vouere libere, & voluntarie.

Sed dicis: sufficiebat nobis absque voto, illa consilia Euangelica libere exequi, absque eo quod rigidam voti obligationem supernos induceremus: ad quid enim prodest voti obligationem suscipere, ad quam Deus non obligauit? sed tamen dicendum, sobrie ac fructuose nos in hac materia voto nos constringere: duæ namque precipuæ vtilitates ex voto emisso in hac materia redundant. Prima est quod votum obfirmat nostram voluntatem mutabilem aliàs in bono, & eam quasi obligat, & frenat ne posit a bono illo resilire. Sũt vota quasi compedes quibus homo constringitur ne posit ab incepto bono, & virtutis via resilire. Eccl. 6. de diuina sapientia qua omnis virtus, & gratia significatur sic dicitur. *Inijce pedes tuos, in compedes illius*

Voti obligatio ad quid prosit?

Vota sunt compedes frigidæ voluntatis.

Eccl. 6.

illius,& in torques illius collum tuũ. Et statim infra *Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & cæt.* Vides quomodo Spiritus sanctus doceat vt particulari vinculo, & compedibus nos cum virtute ligemus; vt à talibus cõpedibus fortitudinem ac firmitatem accipiamus? Hæc nempe vincula, & compedes sunt vota quæ nos ipsi super nos libenter inducimus. D. Augustinus lib. de vera Religione,& 1. Retract. ca. 13. nomen Religiosi sentit deriuatum à religando, quando Religiosus sit homo particulariter ligatus. Verba eius sunt. *Deo religantes animas nostras, vnde Religio dicta creditur.* Et clarius epistola 45. ad Armentarium dicit. *Non te vouisse pæniteat, imo gaude iam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset* Et infra: *Felix necessitas, quæ ad meliora compellit, &c.* Ad huius similitudinem videmus in rebus humanis sæpe requiri iuramenta, vt ligetur voluntas,ne valeat resilire. Ita milites,Magistratus,sponsi,& similes iurare coguntur, non vero solis verbis polliceri Quod ergo facit iuramentum apud homines firmare scilicet voluntatem, eamque obligare: id faciũt vota erga Deum. Vites & alia arbusta debilia ligant se cum stipitibus & arboribus duris, vt suam imbecillitatem sustentent: sic

Religiosus idem quod religatus, & bis ligatus.

Votũ facit idem quod iuramentum in obligãda voluntate.

nostra voluntas debilis ac mutabilis ligatur cum votis vt magis firmetur. Referunt aliqui scriptores leonem habere in fine caudæ aculeum carneum durũ, quo sua crura,& corpus ferit,ac pungit quando difficilem aliquam pugnam vel prædam est aggressurus, vt acrior, & incitatior insiliat. Talia etiam possumus dicere vota Monastica & quæuis alia; sunt aculeus sponte assumptus, quo quis tanquam Leo punctus,ac stimulatus vias difficiles,ac perfectas ingrediatur,qualia sunt Euangelica consilia. Habent tamen hæc votorum vincula, & cõpedes decus, lætitiam, consolationem, ac lenitatem, vt iure illos aureos cõpedes vocare possint Religiosi, & in illis gloriari. Psal. 149. dicitur *ad alligandos Reges eorum in compedibus,& nobiles eorum in manicis ferreis:* Ferreæ,ac duræ manicæ sunt obligationes mundanæ,quibus se homines mundo, & ad inuicem obligant. Vota autem Euangelica, reuera manicæ sunt, ligant enim manus, & pedes ad malum operandum: sed tamen manicæ non ferreæ, sed aureæ sunt,quæ proinde magis liberos homines reddunt: ad malum enim impotentem esse, non captiuitas, sed libertas est. Vnde & merito de talibus votorum vinculis honorificũ fuerit gloriari,

Leo aculeũ habet iucunda quo se acuit ad difficilia.

Vota sunt compedes aurei *Psal. 149.*

gloriari, ad illius exemplar qui Ephes. 4. in ferreis vinculis glorians, dicebat: *Ego Paulus vinctus in Domino*. Denique pro primo intento, quod vota firment voluntatem nostram; considero illa tria vocari posse tres anchoras quibus nauis in portu religatur vt secura consistat. Religiosus namque comparatur naui in portu tranquillo iam existenti. Quæ nauis vt ibi secura sit, tribus fortissimis anchoris solet religari, ne repentina tempestate iactetur. Huiusmodi sunt tria vota Religiosum in Religionis portu securum retinentia.

Ephes. 4.

Tria vota sunt tres anchoræ.

Secunda vtilitas ex voto resultans est, quod opus illud factum ex voto magis meritorium est, quam illud simile quod fit nō ex voto. In hoc omnes Theologi vniformiter concordant. Idque ratio manifesta concludit: Nam opus quod procedit à pluribus virtutibus est magis acceptum Deo, quam illud quod procedit à paucioribus: opus autem quod procedit à voto, verbi gratia, ieiunium, procedit à virtute abstinentiæ, & à virtute Religionis simul: cum ieiunium absque voto à sola abstinentia procedat, & proinde minus acceptum Deo est, quam illud à voto procedens. Adde quod opus à voto procedens procedit adhuc à maiori liberalitate, & à maiori charitate, quæ in voti emissione antecesserunt. Quando enim quis vouit, liberaliter offert ac vouet, & donat Deo quod non debet, si votum fit de re libera: præterea quando vouet concurrit specialiter charitas erga Deum, cuius solius intuitu vota emittuntur. En ergo quot virtutes concurrant saltem antecedenter, ad opus ex voto factum; Religio, charitas erga Deum, liberalitas, & illa propria virtus cuius est actus. Quibus si addas omnia opera bona Religiosi procedere ex quadam oblatione qua se Deo in holocausto per tria vota consecrauit: intelliges vere Religiosos de suis operibus posse dicere illud Psalmi 65. *Holocausta medullata offeram tibi.* Vere enim Religiosi opera sunt medullata, habent medullam pinguis meriti. Opera autem sæcularium. Et si in gratia fiant non sic pinguia, & meritoria sunt, sicut opera Religiosi. Supra dicta vero adeo vera sunt, vt etiam quando opus Religiosi fit cum tristitia, & difficultate: & opus sæcularis fiat sine voto, & cum lætitia & promptitudine: adhuc opus illud meritoriū Religiosi maioris est meriti procedens à tot virtutibus, quam opus illud sæcularis. Illa enim sola lætitia, & alacritas sæcularis non æque ponderat ad causandum

Votū facit vt opus sit magis meritorium.

Votū procedit à maiori charitate, & libertate.

Votū procedit à multis virtutibus

Psal. 65.

Opus factum ex voto est holocaustum medullatum.

Opus ex voto etiā factum in tristitia nō perdit meritum.

dum meritum, atque illæ virtutes in Religioso ad meritũ concurrentes. Intelligo ſupra dictũ de Religioſo qui triſtis eſt ob difficultatem voti, & ita affectus eſt, vt ſi non votum iam emiſiſſet, de præſenti non emitteret: & nihilominus triſtis libenter, id eſt non inuitus implet votum Imo conſidero quod talis Religioſus triſtis implens votum, ex parte talis triſtitiæ ac difficultatis, non diminuit meritum: cum conſtet apud Theologos quod difficultas operis eſt vna ex circunſtantijs ex quibus conſurgit maius meritum cæteris paribus. Licet ergo prædictus Religioſus triſtis, & cum difficultate impleat, non ideo diminuit, ſed forte ob difficultatem etiam adauget meritum Hæc dixerim conſolationis gratia. Et per hæc explicatæ ſunt duæ magnæ vtilitates voti, videlicet quod firmet, & frænet voluntatem noſtram debilem. & quod cauſa ſit vt opus ab illo procedens magis meritorium euadat.

Triſtitia non deminuit meritũ ex parte difficultatis.

Et reddite. Vidimus quid ſit conſilij tantum, ipſum ſcilicet vouere. Hoc autem quod ſequitur ad præceptum pertinet, videlicet, Reddite: ſuppoſito enim quod votum ſit emiſſum, grandis obligatio reſultat implendi promiſſum, & grauiſsima culpa eſt promiſſum Deo factum non implere. Et in proximo ſequenti verbo, & verſu huius Pſalmi, id clare innuitur, ſi ſimul addas prius quod habetur Eccleſiaſtes 5 *Diſplicet enim Deo infidelis & ſtulta promiſsio.* Quo loco fractio voti vocatur res ſtulta & infidelis. Stulta quidem & merito, eo quod audaciæ, & amentiæ indicium magnum eſt, Deo mentiri, illique promiſſum non implere. Nam qui hoc facit non aduertit ſe id facere & hanc iniuriam inferre, vt hìc dicitur: *Domino Deo, terribili & ei qui auſert ſpiritum principum terribili apud Reges terræ.* Quæ verba ſubiecit Dauid vt homines aduerterent quanta temeritas ſit votum Deo factum frangere. Si enim quando alicui homini quidpiã promittitur, idque non impletur, occaſionem habet ille, cui facta promiſsio fuit, indignationis & vindictæ. Quæ dementia, quæ temeritas iudicabitur promittere, Domino, ac Deo: Deo inquã terribili, qui Reges, ac principes potentiſsimos in ictu oculi perimit, & à ſtatu & vita deturbat? Neque enim votifrago res eſt cũ idolis, quæ vt dicitur Baruch 6. *Si aliquid illis per votum promittitur, non requirunt, non indignantur.* Deus autem, qui & Dominus eſt, de promiſsione non impleta valde indignatur, deque illa ſupplicium ſumit. Mira vigilantia & cura

Voto obligatio magna eſt.

Eccleſ. 5.

Baruc. 6.

Votorum impletionem Deus valde requirit.

& cura in Deo est circa requirẽda vota sibi facta vt impleãtur. Et in particulari id spectare licet in promissione, qua D. Petrus

Matt 26.

Matth. 26. *Bis promisit Christo Domino, se illum non negaturum.* Quod cum postea non impleret, diuina prouidentia ordinauit, vt sicut Christus illi prædixerat, gallus statim cantaret, ad redarguendam illius infidelitatem, & in promissis defectionẽ. Et notandum est quod Marcus, & Ioannes sedulo exprimunt, quod statim gallus cantauerit.

Luc. 22.

Lucas autem cap. 22. subdit *adhuc eo loquente*: id est, antequam verba proferre desineret quibus promissum frangebat, gallus cantauit. Quid enim sibi vult tum sedula Euangelistarum expressio de galli cantu ad negationem Petri? Nimirum vt nos admoneat Deus quanta vigilantia expectat, & inquirit, ac requirit vt promissiones illi factas impleamus.

Petri negatio redarguta galli cãtu quid significet.

Hinc iam aduertant Religiosi quanta promptitudine & infallibilitate vota sua Domino reddant: pro quo sufficiat exẽplum Iephte, ac filiæ eius Iudicũ 11.

Iudic. 11.

Et in primis quidem pater Iephte, quamuis reuera a Theologis accusetur, de indiscreto voto, magisque indiscreta voti impletione. Nihilominus negare non possumus illum aliàs maximo zelo, & pietate in Deum fuisse ductum (licet indiscrete) votique obseruantia per motũ, qui dilectæ filiæ non pepercerit.

Votum Iephtæ exponitur.

Quanto magis voti obseruantia requiritur in Religioso qui malas affectiones, & passiones, animæ filias promisit occidere, & mortificare propter Deum, in quibus occidendis & mortificãdis errare non potest. Sed multo magis voti obseruantiam nos docuit filia ipsa Iephte, quæ voto alieno permota, patris scilicet, ad quod illa non tenebatur multis titulis, libenter impleuit: & cum licentiam egrediendi per campos à patre haberet plorandæ virginitatis causa, ipsa libenter, ac libera rediit votum alienum impletura, cum vitæ amissione. Mire extollit Ambrosius lib. 3. de officiis cap. 12. Hanc Iephte filiam, ob prædictũ modo promptitudinem in alieno voto cum tali damno implendo: verba Ambrosii, quod suo more elegantissima sint, sunt sequentia. *Nec fletus æqualium mouit puellam, nec dolor flexit, nec gemitus retardauit, nec dies præteriit, nec fefellit hora. Rediit ad patrem, quasi ad votum rediret, & voluntate propria cunctantem impulit, fecitque arbitratu spontaneo, vt quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium.* Hæc ille. Vide quantum suo exemplo delicata, & fragilis puella

Filia Iephte exemplum dedit implendi vota.

puella robustos viros confundat. Habemus exemplum pariter in Deipara Matre Maria, huius tenacissimæ voluntatis circa votum implendū. Primo enim, votum alienum etiam impleuit, quod scilicet parentes emiserunt, de illius consecratione, & educatione in templo quod votum respondebat nostro voto Religionis: ipsaque Deipara tertio anno, libens ac prudens impleuit. Imo & eadem cum voto virginitatis esset obstricta: timēs ne forte illud non impleret si esset Mater Dei, stante dubio, potius eligebat tanto titulo & honore carere qualis erat matrem Dei fieri, quam votum emissum frangere, & hoc suppono communiter receptum iuxta Doctorum expositionem communem ad illa verba Luc. 1. *Quoniam virum non cognosco*. Videas etiam sanctum Bonauenturam libenter votum impleuisse pro se à Matre sua emissum, de intrando Religionem nostram Seraphicam, vt in lectionibus eius officij refertur: cuius tamen voti vinculo, cum personale votum esset, & ab alio pro se emissum, ille secundum Theologos non tenebatur. Quantam inquam cōfusionem prædicta exempla filiæ Iephte, Deiparæ Matris & sancti Bonauenturæ, pariunt robustis viris adeo remissis in executione votorum, quæ proprio ore emiserunt, & ob tam leuia lucra, leuesque occasiones, tam frequenter eadem vota non implent: Videntur mihi hi si qui tales sunt, si non verbis, & intellectu, saltem factis errorem approbare Lutheri, qui lib. de votis Monasticis asseruit vota nō obligare nisi quamdiu ea homini vouenti seruare placet. Videas & hos, aliàs promptissimos, & vigilantissimos, in implendis non dico promissionibus humanis & prophanis; sed etiam in somniādis desiderijs eorum quibus placere student, vt talia illorū desideria sine defectu impleant. In quo multi similes sunt illis duobus militibus, qui 2. Reg. 23. Desiderante solum Dauid, non imperāte, vt sibi afferretur aqua de cisterna Bethleem; illi vt Regis desiderijs obsequerentur, per tela, per ignes, per mille pericula volarunt, & adduxerunt. Sic videas multos votis diuinis obstrictos hominum desideria somniare, & odorari vt illa impleāt; votorum diuinorū oblitos, imo & hominum desideria implentes aliquando cum voti diuini transgressione: Quo quid audacius, quid stultius, quid magis temerarium possit inueniri?

B Maria impleuit votum ad quod non tenebatur in Præsentatione templi.

Luc. 1.

Bonauentura impleuit votum ad quod non tenebatur

2 *Reg.* 23.

Vota hominū magis implemus quā Dei.

Denique non solum vota reddenda sunt Deo illa integra ac rigida obligatione quam diximus:

Vota implenda libenter & perfecte.

mus: verum etiam oportet vt illa libenter, deuote, & omni operis possibili perfectione obseruemus. Habemus huius rei praeclarum exemplum in nostro Seraphico Patre Francisco, qui vt refertur in Chronicis nostri ordinis 2. part. cap. 26. Et citat etiam Antoninus in vita eiusdem Patris sanctissimi: cum quadã die eidem Christus Dominus appareret; petiuit à P. Francisco tres oblationes: cumque ille summã inopiam, rerumque carentiam allegaret. Dixit Christus Dominus: *Mitte manum tuam in sinum tuum, & quæ repereris mihi offer.* Quod cum fecisset Franciscus extraxit monetam magnam, & fulgentissimam: quod cum secundo, & tertio fecisset extraxit alias duas similes, & sic omnes tres monetas Deo obtulit: exposuitque postea Seraphicus Pater tres illas monetas esse tria vota obedientiæ, paupertatis, & castitatis. Ecce in qua moneta tria vota Deo reddere debemus; in moneta aurea fulgẽtissima, hoc est in omni perfectissimo, ac fulgentissimo opere procedente à charitate Dei quæ auro fulgentissimo comparatur. Sunt enim multi, quia tria vota soluunt in moneta ferrea, ærea, vel simili: id est operibus extra gratiam, vel contra voluntatem factis: vel in moneta tonsurata, ac diminuta; id est in actionibus votorũ deficientes, ita vt diminute illas efficiant: ac denique in moneta aurea non persoluunt.

Vota sunt soluenda in monetis aureis, non plũbeis.

Si quis autem scire desideret quo pacto hæc tria vota Tribus personis sanctissimæ Trinitatis in particulari possit offerre. Ego sic dicerem: obedientia, potest offerri Patri, cui in diuinis attribuitur potentia: & secum reputet illud 1. Petri 5. *Humiliamini igitur sub potenti manu Dei.* Quando enim prælato obedit, Deo ipsi primo obedit, propter quem obedit. Paupertas vero offerri potest Filio; qui autor voluntariæ paupertatis fuit: & recolat illud 2. ad Corinth. 8. *Scitis gratiã Domini nostri Iesu Christi quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.* Castitatem denique offerat Spiritui sancto cuius fructus est castitas. Ad Galat enim 5. inter fructus Spiritus sancti castitas numeratur, cum dicitur: *Fructus autem spiritus est charitas, &c. & statim, continentia castitas.* Quæ si seruauerit modo supra dicto à diuino eodem spiritu gratia, & gloria replebitur, Amen.

Vota tria quomodo tribus personis sanctissimæ Trinitatis possimus offerre diuisim.

1. Pet. 5.

2. Cor. 8.

Galat. 5.

EXHOR-




EXHORTATIO V.

AD OBSERVANDAM OBEDIENTIAM.

Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Habr. 13.

Ad Hebræos 13.

Obedientia est maior cæteri duæ votis.



X tribus votis Monasticis primũ quod emittitur, est obedientia; primoque loco ponitur tanquam omniũ maius, & præcipuum: pro cuius probatione primo occurrit testimoniũ Ioan. 22. Summ Pontif. in Extrauagãti, quia quorundam, edita circa statum Religionis Seraphicæ prope finem, vbi de tribus his votis sic loquitur. *Magna quidem paupertas, sed maior integritas bonũ est, obedientia maximum.* Et statim causam subdens ait: *Nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti donatur & animo, &c.* Quasi dicat, paupertas circa res temporales, & externas remotasque versatur: Castitas vero circa corpus etiam externum mortificãdum: obedientia vero versatur immediate circa voluntatem & intellectum subdendum iugo alterius. Et per hoc explicatur illud Samuelis dictum 1. Reg. 15. *Melior est enim obedientia quam victima.* Ecce quomodo authoritate Spiritus sancti, & Sum. Pontificis ex tribus his votis obedientia primum locum meriti, ac dignitatis sibi vendicat. Ratio etiam Theologa suffragatur. Nã vt Theologi docent, qua vnum opus procedit à pluribus virtutibus

1. Reg. 15.

Obedientia melior quam victima.

tibus influentibus vel imperantibus eo plus habet meriti: At mirum est quot virtutes, vel actus virtutum concomitentur, & efficiant actum obedientiæ? Primo enim interuenit charitas Dei, quatenus homo vouens obedientiam, alteri homini se subdit propter Deum. Secundo cōcurrit humilitas: actus enim humilitatis est se alteri homini subijcere æquali, & aliquando in multis inferiori. Tertio cōcurrit patientia, in tolerandis malis, vel motibus pasionum reluctantibus. Quarto concurrit fides Catholica: quatenus Deum quem non videmus, in prælato veneramur. Quinto concurrit spes, hæc enim nos mouet ad obediendum, intuitu scilicet præmij æterni, quod speramus. Sexto concurrit magna liberalitas, quid enim liberalius quam se ipsum dare, & propriam voluntatem captiuare? Ecce quomodo ad actum obedientiæ formaliter, vel saltem virtualiter tot ac tantæ virtutes concurrant, vt de quouis obedientiæ actu, dici queat, quod sit Monile gemmarum pretiosissimarum collo iniectum. Iugum enim est reuera obedientia, & merito Monile colli subiecti dici potest: sed monile in quo tot ac tam pretiosæ virtutum gemmæ innexæ coruscant. Ad huius adhuc rei probationem facit dictum illud B. Ægidij socij P.N. Francisci, qui, teste Authore conformitatum vitæ P.N cum vita Christi, lib. 1. Fruct. 8. cap 19. loquens de obedientia, sic dixit: *Maius reputo obedire homini prælato propter amorem Dei, quam obedire ipsi creatori per se ipsum mandatum aliquod imperanti.* Hæc vir sanctus Ægidius probationem nullam afferens. Probatio vero talis dicti patentissima est, quoniam obedientia erga Deum in se, non secum affert tot actus virtutum, quot affert obedientia erga hominem propter Deum. Ad obediendū enim Deo per se mandanti, non requiritur tanta humilitas, tanta patientia, tanta fortitudo, nec tanta difficultas, quanta requiritur ad obediendum homini propter Deum: ac proinde maioris meriti est homini propter Deum obedire, quam Deo ipsi per se mandanti obsequi. Comprobantur omnia præcedentia dicta, authoritate, & expositione Abulensis super 3 c. Matth. dum exponit illa verba, dicta à Christo Domino Ioanni Baptistæ scilicet: *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam* Per omnem iustitiam intelligit Abulensis, obedientiam, vt idem sit obedientia quod omnis iustitia, seu virtus, verba Abulensis hæc sunt. *Christus volebat dicere: non recuses*

Obedientia fit à charitate, humilitate, patientia, fide, spe, liberalitate.

Obedientia monile gēmarū in collo.

Plus est obedire homini propter Deū quā Deo ipsi in se.

Matth. 3.

Obedientia est omnis iustitia.

recuses o Ioannes me baptizare, quia sic, id est quod tu me baptizes, decet nos implere omnem iustitiam, quia ego teneor baptizari à te ex mandato Dei, & tu teneris me baptizare, quia ad hoc missus es. Istud ergo faciendo implebimus omnē iustitiam, id est voluntatem totam Dei cui iustū est nos obedire. Hæc Abul. Non potest ergo quid maius de obediētia dici quā quod sit omnis iustitia. Neque etiā (vt obiter ansam arripiamus) puto maius obedientiæ exemplū potest ob oculos proponi, quā supra dictū: Quis enim miser homo dedignetur alteri homini subijci, & obedire cum videat ipsum Christū verum Deum, sapientiæ Maiestatisque infinitæ coram puro homine Baptista humiliari in Iordane, genuflexum, & quasi eidē obedientem propter Deū? Clauditur hoc dicto Basilij qui homil. 9. quod Deus non est Author malorū, curiosé & sancte quærit, quæ causa fuerit ob quā Deus in paradiso collocauerit arborē scientiæ boni & mali, si vescendi ex illa licentia negabatur: erat enim tūc manifestū offēdiculū ante oculos ponere? Et respondet sanctissimus Doctor: Non otiose prædictum lignum à Deo ibidem plantatum. Seruiebat enim pro materia exercendæ obedientiæ: noluit enim Deus primos illos parentes in statu adeo sancto fraudare tanto bono obedientiæ. Et ego addo quod maius est: videlicet, eodem modo se Patrem Æternum cum vnico filio Christo Domino se gessisse; quē noluit fructu carere tantæ virtutis obediētiæ. Probabilior enim opinio Doctorū cū D. Thom. 3. p. q. 47 art. 2 asserit Christo Domino impositum fuisse à Patre præceptū obedientiæ de morte subeunda pro nobis; iuxta illud ad Philipp. 2. *Factus obediens vsque ad mortem.* Cum igitur tantum meritū, & excellentiā obediētia cōtineat, nō immerito Paulus ad Hebr loco in principio citato eam subditis cōmendat erga prælatos, vt saltem ob solā virtutis præstantiā, illam eidem exhibeant, & amplectātur. Porro, vt Prælatis obediamus multi alij fines, seu causæ considerari poterunt, quæ nos ad obediendum inducant.

Obedientiæ miræ exemplū est Christus Dominus baptizatus à Ioanné.

Arbor sciētiæ boni & mali in paradiso materia obedientiæ.

Obedientiæ præceptum habuit Christus Dominus à Patre.

Philip. 2.

Prima causa est, quoniam sic petit natura vniuersi, & naturæ humanæ conditio, vt scilicet non à se, sed ab alio gubernetur: aliàs confusio magna, & turbatio sequeretur. Id ponderauit Chrysostomus hom. 34. super hanc epistolam ad Hebr. ad citata verba thematis dicēs: *Quod quemadmodum chorus sine coriphæo, & exercitus sine duce, & nauis sine nauta, diu durare non poterunt, & magna confusione turbabuntur:*

Natura nostra inclinatur ad obediēdum.

babuntur: sic corpus Ecclesiæ vniuersalis, seu particularis, si prælatum non habeat cui obediat turbationẽ & confusionem patietur. Quando Medicus ægrotat etiam si sit peritissimus, alium Medicum vocat vt de se curet. D. Ieron. epist. 4 quæ est ad Rusticum: ad hoc intentum dicit: *Etiam multa animalia, & ferarũ greges ductores sequũtur suos In apibus principes sunt. Grues vnam sequuntur ordine litterato: & omnis ordo Ecclesiasticus suis Rectoribus, &c.* Et postquã de hoc aliqua alia dixit: subdit: *Ad illud tendit oratio vt doceam te non tuo arbitrio admittendum, sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplina patris, vt ab alio discas, &c.* Ecce quomodo ex ipso naturæ instinctu dicitur, quod lumine naturali vnũquodque cõmodius ab alio regitur, & securius alterius ductu gubernatur, quando in animalibus hoc videmus obseruari Est nãque vnusquisque valde sibi ipsi suspectus, vt videlicet debeat, ac possit, quando opus sit in illicitis se frænare. Si enim consanguinei & amici nobis in hoc suspecti sunt, vt contra illos quidquam durum imperemus: quanto magis vnusquisque circa seipsum suspectus iudicãdus est? Hac ergo de causa necessarium est, vt sicut ait Paulus ad Rom. 13, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: vt scilicet

Obedientiam etiã seruant animalia.

Rom. 13.

vnusquisque possit, ac debeat à sublimiori potestate, dirigi, doceri, frænari, ac instrui: cũ nemo sibi ipsi quoad omnia sufficiens sit. Hoc ipsum docuit Ioann. 22. illa citata extrauaganti dicens: *Ideo necessariam esse prælati assistentiam, & regimen Ne si quisque regatur vt appetit, confestim corruat, vt non quærit: neque taliter conuinentibus, non ordo sed horror inhabitet, adsit (quod absit) discordia, religans religio relegetur: sententiæ namque variantur vt capita, & crescit in stolidis opinionibus phantasia.* Hæc Sũmus Põtifex: suntque dignissima verba Cathedra Apostolica. In quibus considera necessitatem obediẽdi, & vt vnusquisque non se suo ducat arbitrio. Hoc enim si faciat, ait Papa, corruet contra suam opinionem, & intentionẽ, qui sibi sufficientẽ se esse credebat. Et præterea, si vnusquisque non prælati arbitrio sed suo regatur, in tali cõmunitate nõ dabitur ordo, sed horror, eritque proinde similis inferno de quo dicitur Iob 10. vbi vmbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Eueniet præterea, vt ipsa religio quæ ob votum obediẽtiæ religantis præcipue religio dicitur, omnino relegetur, neque ibi religio, sed discordia inueniatur. Ac tandẽ fiat vt neglecto prælati regimine, erunt quot capita tot sententiæ, ac proinde

Obedientia si desit in cõmunitate ex actu turbantur.

Iob 10.

proinde stolidis, & phantasticis opinionibus & erroribus vnusquisque à vero tramite abducetur. Mirum de hoc nobis Pater Seraphicus Franciscus exemplũ reliquit qui in suo testaméto, de se hæc verba conscripsit. *Firmiter volo obedire generali Ministro huius fraternitatis, & illi guardiano quē sibi placuerit mihi dare, & ita volo esse captus in manibus suis, vt non possim ire vel facere contra voluntatem suam, quia Dominus meus est.* Hæc ibi. Vide tanti patris, ordinis fundatoris, virique Dei tot cælestibus auxilijs & splendoribus pleni tam promptam obedientiam erga prælatos, tantamque animi subiectionem, & pendentiam, qua totus ab ipsis pendere volebat.

Obedientia patris nostri Frãcisci.

Secunda causa ob quam prælatis subditos nos esse oporteat, est vrbanitatis gratia, & ob debitum naturale. Hanc exposuit Chrysost. hom. super epist. 2. ad Timoth dicens: *Quod si filij carnales parentibus carnalibus adeo sunt obsequentes, filios spirituales quales sunt subditi, oportet in hoc excedere, maioremque honorem, & obedientiã patribus spiritualibus, qui sunt prælati, exhibeant*. Et subdit Chrysost. loquens de prælato in hunc modum. *Dic, oro, ipse tanto periculo tui gratia subditus est, tu illi obtemperare detrectes in his quæ tibi vtilia sunt?* Quale autem periculum hìc intelligat Chrysost. cui prælatus subditus est pro subdito; clarũ est, esse illud quod ait Paulus, quod prælati vigilant rationem reddituri pro subditis. Grãde namque, & apertũ periculum hoc est rationē Deo reddere pro subditis omnibus: Adeo vt idē Chrysost. citata hom. 34. sup. ep. ad Hebr. dicat de hoc prælatorũ periculo hæc verba: *Omnium quos regis mulierũ, puerorum, atque virorum tu rationem redditurus es, tanto igni tuum subijcis caput: miror si potest saluari aliquis Rectorũ, &c.* Ecce periculum cui subditus est prælatus, ait hìc Paulus, & ibi Chrysost. Vrbanitas ergo, & debitum naturale postulat, vt subditus etiam subdatur prælato pro se adeo laboranti, & periclitanti. Mirum est quomodo singula membra humani corporis capiti subdantur, ab illoque se pendere intelligant, cum vnumquodque periclitanti capiti cum proprio suo periculo succurrat Imo & in animalibus, de prudentia serpentis hoc dicitur, quod scilicet quando aliquē sibi mortē minitantem videt totum corpus ad caput circũuoluit, & in scisioni exponit, ne caput suum periculum patiatur. Simus ergo prudentes sicut serpentes in hoc, quod dependentiã à prælato agnoscamus, illique debitã reuerentiã exhibeamus.

Obediendum est etiam vrbanitatis gratia.

Prælatorũ grande periculum.

Obediunt omnia membra corporis soli capiti.

 Side-

Si denique terreno Regi reuerētiæ gratia, genuflectitur: quanto decentius Prælato id dandum foret qui loco Dei in Ecclesia sedet, & maiorē quā Rex potestatē habet De simplicibus sacerdotibus id Chrysost affirmat, hom. 60. ad pop. consulens illos vt à sacra communione indignos arceant, etiam si sit princeps diademate coronatus, dicens: *Prohibe maiorem illo potestatem habes*. Quāto ergo submissius oportet vt subditus prælatum veneretur & suspiciat?.

Obediendū propter propriā vtilitatem obedientis.

Tertia & principalis causa ob quā prælatis subdi, & subiacere debemus est nostra propria vtilitas, securitas scilicet, & quies cōsciētiæ. Id nēpe colligo, ex verbis hìc positis: *Illi enim reddituri sunt rationē pro vobis*. Quasi dicat, acquiescite prælato, cū eius ductu quieti estote ac securi, ipsi enim vigilāt pro vestra quiete ac securitate. Hæc nēpe est vna ex præcipuis obediētiæ vtilitas, securitas scilicet, & quies obediētis. Ioan. Climac. gradu 4. de obedientia, definiēs obedjētiaam, inter alia quæ omitto, ait: *Quod obediētia sit vita sine solicitudine, nauigatio sine dāno, & quasi si quis dormiendo iter faciat*. Appositissimæ profecto conditiones ad probandū quod diximus: est namque obedire, viuere sine solicitudine: prælatus mandans est is qui premitur solicitudine: subditus vero obediens, tranquillo animo quieto, ac securo manet obediendo. Est præterea obedire, nauigare sine damno ac dormiendo. Nūquam enim subditus obediendo peccat, nisi forte cum videret sibi præceptam rem, esse peccatum. In dubio enim vt statim dicemus, non peccat obediendo. Et tunc vere hìc locum habebit illud Cantic. 5. sponsæ dictum. *Ego dormio & cor meum vigilat*. Quem locum teste Soto Maiore ibidem, Rabini doctissimi ita exponunt, vt sit sensus. Ego sponsa dormio, & cor meum, id est sponsus meus nocte ac die circa meum remedium inuigilat: & hanc expositionem ibi non condemnat. Qua posita vere dicetur sponsam Ecclesiam, ac subditos obediendo vere dormire, ac quiescere: totam vero curam & vigiliam in prælatum cadere: ipse enim vt hìc dicitur, vigilat rationem redditurus. Maxime vero hæc securitas, & quies subditum quietum reddent, quando id, quod illi præcipitur, dubitatur an sit licitum & peccatum: tunc enim non solum potest obedire, sed potius ad obediendum tenetur, deposito dubio practico; & debet credere licitum esse quod præcipitur. Docuit hoc expresse Ioan.

Obedientia quid sit ex Climaco.

Cantic. 5.

Obediendum in dubijs, deposito dubio practico.

ſe Ioann. 22. prædicta extrauag. quia quorundam, dicens: *Habent minores maioribus, obſequi. illiſque intendere non in certis ſolum verum etiam in dubijs.* Et habetur clare 23 quæſt. prima, cap quid culpatur. Vbi dicitur *poſſe ac debere militem pugnare in bello, præcipiente ſibi ſuo principe, quando dubium eſt an prædictum bellum ſit iuſtum.* Si enim non appareat eſſe iniuſtum: ſed dubium ſit pro vtraque parte de ipſius iuſtitia; tenetur ſubditus dubio depoſito militare. Idemque de ſubdito ſuo modo dicendum, quando res præcepta, non eſt clare iniuſta, ſed dubitatur pro vtraque parte de ipſius iuſtitia tunc enim depoſito dubio tenetur obedire, ac credere ſe in tali opere non peccare obediendo ſuo prælato. Hinc iam videas quãta ſit obedientiæ efficacia, ac priuilegium: nam de peccato eijcit virtutem: hoc eſt, de illo opere quod in ſe peccatum aliquando eſt, ipſa obediens bona fide, efficitque actum meritorium; quod neſcio ſitam clare alteri conueniat virtuti. Quod ſic explicato. Contingat vt id quod prælatus iubet, ſit à parte rei peccatum mortale, de quo tamen ſubditus dubitat: quia tamen conſulente malo Theologo vel prælato, cognouit, licitum eſſe quod iubetur: illud, depoſito dubio, fuit executus: in tali caſu id quod in ſe peccatum mortale eſt, redditur actus meritorius ex efficacia obedientiæ Quod probo maxime ſi ſit vera opinio Diui Thomæ 1. 2. quæſt 18. artic. 9. dicentis, nullum actum in indiuiduo eſſe indifferentem; id eſt quamlibet actionem humanam ſingularẽ aut eſſe bonam moraliter, aut eſſe malam: nullamque poſſe dari indifferentem quæ neque ſit bona, nec mala (licet Scotus oppoſitum probabilius ſentiat.) Hac ergo Diui Thomæ opinione recepta, ſubditus de quo diximus, dum obedit bona fide in re dubia, quæ in ſe eſt peccatum, non peccat vt omnes fatentur; ergo ſi eſt in gratia, per tale opus meretur, oportet enim vt actio quæ non eſt mala, ſit bona: ac proinde vides obedientiam de opere quod in ſe peccatum eſt virtutem, ac meritorium actum efficere.

Obedientia aliquãdo de opere alias peccaminoſo virtutem.

Sed quoniam his omnibus non obſtantibus, euenire poteſt vt aliquis vel nolit obedire, vel imperfecte obediat, dicens prælatum vel eſſe malum vel eſſe ſibi inferiorem litteris nobilitate, vel quid ſimile. Circa primum, quando ſcilicet prælatus malus eſt, neque contra fidem vel bonos mores aliquid præcipit, tolerandem eſſe, illique

Obediendũ malo prælato.


que obediendum asserit Diuus Chrysostomus homil. 34. ad Hebr. citata; idque probat ex illo Matthæi 23. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi.* quienim peiores prælati esse poterant Pharisæis? Hos tamen Christus Dominus & iubet audiri, & illorum iussa implere. De secundo, quando scilicet prælatus inferior apparet litteris, nobilitate, & cæt. Eleganter Diuus Bernardus vt solet, docuit etiam tunc illi omni humilitate parendum: pro quo sermone 20. super Cantica paulo ante finem sic inquit: *Non legistis in Euangelio quam formam obediendi puer Iesus pueris sanctis (loquebatur cum suis Monachis) tradiderit?* &. paucis interpositis dicens illum secutum parentes in Nazareth, ait: *Sequi illos in Nazareth non despexit, Magister discipulos, Deus homines, verbum & sapientia fabrum, & feminam: & erat inquam subditus illis.* Sic Bernardus. O rarum, & mirum exéplum, ò multorum confusionem, qui qualem, qualem in se sentiunt vel iudicant excessum prælato dedignantur obedire, cum videant Christum Iesum Verbum Patris, sapientiam, & Magistrum, nobilitatisque immensæ, non dedignari fieri subditum hominis fabri?

Matt. 23.

Obedientiæ miræ exemplũ in puero Iesu.

EXHOR-





EXHORTATIO VI.

DE MODO QVO OBEDIENTIA DEBET IMPLERI.

Domine quid me vis facere? Actor. 9. *Actor. 9.*

SIquidem obedientia nobilior est duobus alijs votis, & quæ magis vsu venit, ne etiam præcedens exhortatio plus iusto excresceret, visum fuit particulari titulo exponere quomodo prælatis obediendum sit. Et ad finem dicemus quantũ peccatum sit inobedientia.

Igitur formam perfectissimi obedientis puto commodissime tradi citatis verbis Actor. 9. quæ dixit Diuus Paulus in primo suæ conuersionis principio: *Domine quid me vis facere?* ex quibus verbis sequentes elicio conditiones ad perfectam obedientiam. Prima est, vt obedientia sit generalis, id est in omnibus obediatur siue dura sint, siue leuia, seu parua, siue magna. Id significat citatum verbũ, *Quid*, id est quodcunque iusseris faciã sine exceptione, nihil limito, siue durum, siue facile. Obedire enim in leuibus, non in difficilibus, in ijs quæ placent, non in ijs quæ displicent imbellis imperfecta obedientia & voluntaria est. Hoc est directe imitari Saulem inobedientem, cui cum Deus 1. Reg. 15. mandasset vt vaderet ad destruendos Amalecitas, & nõ parceret vlli rei viuẽti, videlicet nec viris nec mulieribus, nec paruulis, neque oui,

Obedientiæ prima cõditio, vt sit generalis in omnibus.

Obedire in vno nõ in alio. 1. Reg. 15

neque boui, neque asino, neque camello; ille victoriam consecutus, pepercit optimis gregibus ouium, & vestibus, & arietibus, &c. Quidquid vero vile fuit & reprobum hoc demolitus fuit. Ecce quomodo vir inobediens obediuit in paruis, & facilibus: non vero in magnis ac difficilibus. Id ipsum præ omnibus docuit eleganter D Bern serm 1. de conuersione D. Pauli, suos Monachos alloquens, eisque in exēplum obedientiæ proponēs hæc eadem verba Pauli, *Quid me vis facere*. Et postquam illis dixit, paucos hodie obedientes ita reperiri qui totaliter subditi prælatis in omnibus eisdem dicant, Quid me vis facere: ait è contrario, *multos reperiri adeo ad suum tantum libitum obedientes, vt necessarium sit, ipsos Prælatos illos interrogare eo pacto quo Christus Dominus illum cæcum Matth. 18. interrogauit, Quid vis vt faciam tibi?* id est, in quibus vis obedire, & in quibus vis vt tibi præcipiam? verba Bernardi sunt. *O verbum breue, sed plenum, sed viuum, &c. Quam pauci inueniuntur in hac perfecta obedientiæ forma qui suam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipsum quidem cor proprium habeāt, vt non quod ipsi, sed quod Dominus velit requirant dicentes, quid me vis facere? Heu plures habemus Euangelici illius cæci, quam noui Apostoli (id est Pauli) imitatores, quid vis ait Dominus ad cæcum vt faciam tibi?* Hæc Bernardus. Denique postquam arguit fratres qui in aliquibus volunt obedire, & in alijs resistunt; concludit de his dicens: *Non est obediētia eorum plena: discernunt, & dijudicant eligentes in quibus obediant imperanti, imo in quibus præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati.* Hæc Bernardus. Matth 23. monens Christus vt obediretur etiā prælatis Pharisæis in Moysis cathedra sedentibus dixit: *Omnia ergo quæcunque dixerint facite.* Nota bis positū verbū vniuersale, scilicet, *omnia, & quæcunque*: nō aliqua tantum, sed omnia iniuncta facienda sunt à perfecto obediente. D. Gregor. super lib. Reg. ad cap. 10. loquēs de perfecta obediētia dicit: *Quod tunc certe agimus quando maiorum mandata nec dura, nec leuia præterimus: nullam quippe dierum ab hac luce vacantem Dominus esse volebat, quando dicebat: Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis &c.* Sic Gregor. Denique D Bern citatus apud flores Doctorū verb obediētia litera l. sic ait: *Quisquis aperte vel occulte satagit, vt quod habet in voluntate hoc ei spiritualis pater iniungat, ipse se seducit, & quasi de obedientia blanditur, neque ipse in ea re prælato sed magis ei prælatus obedit.* Liceat nunc temporis nostri

Matth. 18

Matth. 23

nostri languentem obedientiam deplorare: si enim iam diuus Bernardus in illo aureo tempore de hoc querebatur, quid dicam de nostra ferrea ætate, & vere ferrea quæ ferreos obedientes habet: paratos ad obediendum tantum, in leuibus, in facilibus, in paruis, in beneplacitis, neque prælatis generaliter dicant: *Quid me vis facere?* Sed expectẽt vt illis ipsis prælati obedientes dicant: *Quid tibi vis faciam?*

Obedientia horum tẽporum quæ?

2. Cõditio perfectæ obediẽtiæ à multis Doctoribus ponitur quod scilicet sit cæca, id est non discutiens prælati mandatũ nisi quando manifeste viderit esse iniustum. Hanc etiam in hoc Pauli facto, & dicto considero. Primo enim quando Paulus dixit citata verba, in terrã lapsus cæcus erat corporaliter postea enim surrexit, & apertis oculis nihil videbat: & præterea in præfatis verbis: *Quid me vis facere*, cæcam obedientiam ostendit quatenus in communi nihil dijudicans dixit *Quid me vis facere?* Itaque cæcam obedientiam prætulit Erãt olim populi dicti Andabatæ, qui ad bellum prodeuntes in ipso belli conflictu oculos clausos, & fascijs obductos habebant, ne forte videntes pericula, timerent, ac animo deficerent: vnde prouerbium habuit initium, (pugnare Andabatarum more) id est clausis oculis. Tales oportet vt sint veri obedientes vt scilicet oculis clausis obediant sicut Andabatæ nec dijudicent an liceat vel non (excepto quando clare appareat vllum peccatum) neque discernant an sibi vtile sit vel inutile? Exemplum rarissimum dedit in hoc obedientissimus ille Patriarca Abraham, cui cũ Deus iuberet Genes. 22. vt filium suum vnigenitũ Isaac sibi in holocausto mactaret: mirum est quam clausis oculis obedierit: nil discernens, nil dijudicans, nil interrogans: cum tot posset pro se excusationes allegare Posset enim dicere, & quomodo Deus iubes vt pater filium dilectum, & vnicum propria manu occidat? Quomodo non aduertis te mihi in hoc vnico filio nuper promisisse semen longæuum, &c? Nihil horum respondet nihil allegat, sed clausis oculis statim consurgit, & properat. Quid dicemus de nostræ ætatis obedientibus? Quot oculos aperiunt antequam obediunt? Quot formãt obiectiones dicentes suo honori, saluti, gustui, & personæ non conuenire talia iussa exequi, & similia. Supra dictum locum, exemplumque Abraham proposuit Augustinus ser. 40 fratribus in eremo: dicens de Abraham, *Non murmurauit, non hæsitauit, nec faciem conturbauit, &c.* & statim:

Obediẽtia debet esse cæca, non discutiens non discernens, &c.

Andabatæ populi pugnabant clausis oculis

Gen. 22. Obediẽtia Abraham.

Obedietia vera non murmurat

Atten-

Attendite vos filij obedientia quid vouistis. Hæc ille: ne ergo monachus iussus obmurmuret, ne hæsitet, neque conturbetur: sed in memoriam reducat, dictũ illud Gregor. Papæ super 1. cap. Reg. scilicet. *Quisquis alieno imperio subiectus est hoc solum consideret, quia quod sibi secundum Deum iniungitur valde magnum & excelsum in lucro est menti, quod vitam preparet in mercede retributionis.* Sic ille. Ad hoc inquam tantum attendere debet subditus, quidquid mandatur, propter Deum mandari, & per illius executionem vitam sibi parare æternam. Si enim ad aliud attendat iam non est perfectus obediens vt enim ait idem Gregorius lib. 2. in 1. lib. Reg. cap. 4. *Nescit iudicare, quisquis perfecte didiscerit obedire, quia hoc tantum bonum putat si preceptis obediat.* Et re vera præter inobedientiæ affectum, signum etiã superbiæ est velle subditũ à prælato quærere, cur hoc iubes? Quid enim diceres si videres pedem, vel brachium à capite quærere, cur hoc facis, vel cur hoc præcipis? Non hoc officium brachij est, neque pedis, sed exequi capitis decreta & mandata. Subditi sunt brachia, & pedes prælati, ad illius iussa exequenda: fædum ergo, & indecorum est eos prælatorum iussa discernere, & exceptiones, ac quæstiones illis opponere, In

Obediens solum respiciat, id quod mãdatur esse istũ Dei & lucrum vitæ æternæ.

Inobedientia etiam sonat superbiam.

collationibus partrum collat 18. cap. 3. postquam Piamon Abbas dixerat obediendum esse absque discusione mandati: sic inquit. *Ceterum nunquam rationem veritatis intrabit quisquis à discusione caperit erudiri quia videns eum inimicus suo potius, quam patrum iudicio confidentem facile in id vsque propellit, vt etiam illa qua maxime vtilia, & saluberrima sunt, superflua ei uideantur & noxia, &c.* Quæ eleganter docet per eadem sententiæ.

Obediens discutiens mandatũ facile à deabolo tentatur.

Tertia conditio obedientiæ est vt sit celeris, ac velox, & sine procrastinatione. Hoc ipsũ repetitur in citatis verbis Pauli: *Quid me vis facere?* Valde nanque notatu dignum est, quod vbi primum Christus Dominus dixit: *Ego sum Iesus quem tu persequeris*: Statim in eodem instanti se offert Paulus dicens: *Quid me vis facere*: & adhuc notandum, quod statim surrexit à terra, & sine cunctatione, licet cæcus redditus, & forte debilis præ stupore transacto, & manibus comitũ ductus, & sustentatus, statim vrbem ingresus est iussa Christi Domini executurus. Ille Puer Samuel 1. Reg. 3. vocatus à Domino, non quommodocũque respondit. & obediuit: sed dicitur ibidem. Qui respondens ait: *Ecce ego, & cucurrit ad Hali, & dixit: ecce ego*: Vide binam sui oblationem ecce ego: & præ-

Obedictia sit volox, & celeris.

1. Reg. 3.

& præterea non deambulationem, sed cursum, cucurrit enim vt obediret. Angelus Græce, & Latine dicitur nuncius seu missus, & non vocantur Angeli nisi quando mittuntur, teste diuo Gregor. homil 34. in Euang. Hi ergo Angeli missi à Deo, pinguntur in Ecclesia alati, & discalciati; nempe vt indicetur, quanta velocitate, & agilitate, diuina mandata compleant quādo mittuntur à Deo. Tales profectò decet esse subditos, alatos, & discalciatos, vt prompto animo ac celeri voluntate mandatis obtemperent prælatorum. Dionisius Carthusianus ad illa verba Act. 8. de Philippo Diacono dicta: *Et surgens abijt*, dicit illo exemplo celeris obediētiæ religiosos edoceri: addens, olim sanctos subditos patribus suis in his quæ vel irrationabilia, vel inutilia videbantur celeriter obtemperasse. Sed enim præclarum, ac pulchrū rei præsentis exemplum habemus apud Cassianum lib. 4. Inst. cap. 12. vbi de prompta, ac celeri monachorum illorum obedientia disserens sic scribit. *Cum sonitum pulsantis ostium, ac diuersorum cellulas percutientis audierint, ad orationem eos scilicet, aut ad opus aliquod inuitantis, certatim è cubilibus suis vnusquisque prorumpit, ita vt is qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse litteram finire non audeat sed in eodem puncto quo ad aures eius sonitus pulsantis aduenerit summa velocitate prosiliens ne tantum quidem mora interponat quantum capti apicis consumet effigiem, sed imperfectas lineas derelinquens non tam operis compendia lucraue sectetur, quam obedientiæ virtutem exequi toto studio atque æmulatione festinet Quam non solum operi manuum, seu lectioni, & silentio vel quieti cellæ: verumetiam cunctis virtutibus ita præferunt, vt huic iudicent omnia postponenda, & vniuersa dispendia subire contenti sint, dummodo hoc bonum in nullo violasse videantur.* Hæc omnia ibi, quæ trāscribere nec piguit, nec legere pigeat, eoquod adeo pulchra, & aurea pro præsenti intento sunt. Ex illorum monachorum factis licebit inspicere, quod perfecta obedientia est sua opera imperfecta relinquere, vt obedientiæ deferatur. Debuit illa citata verba Cassiani legere, & in mente retinere beatus noster Antonius Patauinus Franciscanæ familiæ secundum candelabrum: de quo in vita ipsius 1. parte Chorn. legitur quod cum vna die in cella in scribendo esset occupatus: & sonitum campanæ ad verrendā domum vocantis audiret, litteram quandam quam mediam inchoauerat semiscriptā statim reliquit, & ad verrendum statim surrexit. Cumque post obedientiæ

Angeli sūt idē quod missi seu obediēte.

Obediētia cum alis implenda seu volatu *Actor.* 8.

Obediebant veteres monachi & in irrationabilibus & nociuis.

Ob diētia celerrima monachorum eremitarum.

Obed ētia celerrima N. Antoninij Patauini.

tiæ

tiæ opus exactum cellam rediret, illam litteram quã semiscriptam reliquerat, inuenit perfectã, & absolutam, & ex auro diuinitus confectã. O mirũ celeris obedientiæ exẽplũ! O mirã prõptæ obedientiæ diuinam retributionem! Prouerbium inoleuit, *quod qui cito dat, bis dat*. Sic etiam qui cito obedit, bis obedit. Seneca lib. 2. de beneficijs cap 5. dicit: *Quod signum bonæ voluntatis ad faciendum est cito rem facere:* At vero signum quod deest voluntas ad faciendũ, est, opus dilatare. Verba illius sunt. *Proprium est libenter facientis cito facere, tardè velle, nolentis est.* Hæc ille. Neque etiam huic rei defuit prudentia Salomonis qui Prouer. 10. de moroso obediente sic scribit. *Sicut acetũ dentibus, & fumus oculis, sic piger ijs qui miserunt illum* Considera quẽ stuporem causet in dentibus, acetum: qualem molestiam oculis fumus afferat, hoc ipsum causat morosus obediens ijs prælatis qui illi aliquid præcipiunt.

Obediens statim bis obedit.

Prou. 10.

Obediens tardus est sicut acetũ & fumus.

Quarta tandem obedientiæ conditio est humilitas. Hoc ipsum hîc videas in Paulo, humi prostrato, & cæco reddito, stupente ac tremente, tunc enim dixit: *Quid me vis facere?* Et hæc conditio probatione non indiget: adeo enim socia est obediẽtia humilitatis, vt videatur contradictionem inuoluere vnam sine alia reperiri, cum ipsum obedire sit alteri humiliari. Vnicum tantum sufficiat exemplum Beatissimæ Deiparæ Luc. 1. quæ eodẽ actu quo obediuit petitioni Angelicæ, eodem actu profundissimæ humilitatis opus exercuit dicens: *Ecce ancila Domini*: obediẽdo itaque se humiliauit: non enim vnum sine altero perfecte potest inueniri. Quod dixerim vt aduertas multos sæpe inflatos & exterius obedientes: tales sunt qui opus humile ad quod non tenentur, nec iubentur, faciunt quidem, vel vanitate ducti, vel vt alicui dent molestiam. Tales qui denegato sibi loco quem putant debitum, sedent in nouissimo omnium non humilitatis vel obedientiæ gratia, sed vano fastu ducti. Hæc non est obedientia, quia non est humilitas. Circunfertur de Platone, quod cum quadam die sederet in cathedra magistrando, & pro dignitate loci & officij pateretur cathedram & circunstantem locum particulari ornatu vestiri, ab intrante Socrate de superfluo illo ornatu fuit reprehensus. Cui Plato respondisse dicitur fastum fasto reprobas. Quasi diceret maiorem fastum habes, ò Socrates me publice de hac reprehendendo & hunc ornatum publice respuendo: quam ego habeam illũ permittendo. Ita sane, in multis vi-

Obediẽtia debet esse humilis.

Luc. 1.

videas quod actus obedientiæ externus factus magis dicendus sit, quam contemptus honoris, quem contemptum obedientia sonat, & includit. Diuus August. pro eodem habet superbiam, & inobedientiam, humilitatem, & obedientiam. 14. de Ciuitate Dei cap. 13. sic dicens: *Bonum est sursum habere cor, non tamen ad se ipsum, quod est superbia, sed ad Dominum quod est obedientia, quæ nisi humilium esse non potest*, sic ille.

August.

Pro complemento istius materiæ maiorique obedientiæ excellentia cognoscenda, restabat aduertere, ac recensere aliqua miracula quæ Deus omnipotens in fauorem tantæ virtutis patrauit, & subdditi ad illam ardentius animarentur. Sed hoc singulatim facere supernacaneũ duxi, cum plenæ sint historiæ Sanctæ infinitorum miraculorum in eius fauorem à Deo factorum videas in vitis Patrum, & alijs libris, ac chronicis. sæpius homines in ignem iniectos, illæsos exire ob virtutem obedientiæ quæ illos ad id compulit. Videas arida ligna, imo & semiusta terræ immersa, & per obedientiam irrigata, reuirescere, videas ferosissima animalia iussu obedientiæ quæsita, & vocata, tanquam agnos mansuetos acquiescere: videas Basiliscos occisos: mortuos suscitatos, & infinita alia effecta miracula virtute obedientiæ. In quibus illud solum aduerto: quod queãd modum ad confirmationem Fidei Catholicæ in principio Ecclesiæ necessarium fuit vt Deus tot, ac tanta patraret miracula: eodem modo considero, tantæ esse excellentiæ obedientiam, vt in illius confirmationem, ac necessitatem Deus optimus maximus tot mirabilia fecerit, ac faciat: vt in hoc obedientia cum fide valeat quodammodo comparari.

In fauorẽ obediẽtiæ multa sũt petrata miracula sicut pro confirmatione Fidei.

Hoc vnum non prætermittam, vt quoniam, obedientiæ excellentiam declarauimus, pro religiosorum instructione: ad eundem finem dicam breuiter quantum peccatum sit inobedientia. Et hoc quidem iam ex dictis aliquo modo clarum relinquitur: si enim obediẽtia tam excellens bonum est. Necesse est vt oppositum illi peccatum, scilicet inobedientia sit grauissimum malum. Infertur hoc ex eo quod Aristoteles dicit 3. Eth. cap. 10. scilicet: *Illud est melius cuius contrarium est peius*: Quod dictum si conuertas, ac mutes, dices è contra. *Illud est peius, cuius oppositum est melius*. Si ergo vidimus tam excellens bonum esse obedientiam: recte colligitur, quod eius oppositum vitiũ inobedientiæ erit pessimum.

Inobediẽtia quam graue peccatum sit.

Vnum

1.Reg.15. vnum exemplum huius rei habemus præclarum 1.Reg.15. vbi postquam Samuel acriter Saulis inobedientiam increpauerat, subdidit hæc verba. *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Considera quæso qualibus peccatis inobedientiā comparat, peccato scilicet ariolandi, seu magiæ, quæ est contra religionem, principalem virtutem inter morales: & comparat etiam idololatriæ quæ opponitur Fidei Catholicæ. Causam vero comparationis scrutantes, dicimus hanc forte esse: quia scilicet is qui contempta prælati voluntate, quæ etiam voluntas Dei est, suam propriam voluntatem sequitur & colit, quasi contempto Deo, suaque voluntate diuina præfer, & adorat suam propriam voluntatem: & fit quasi idololatra. Præterea iste talis quasi idololatra suæ voluntatis, est etiam quasi Ariolus. Nam Ariolus iuxta Isidor. lib. 8. Ethimol. cap. 9. Intuebatur viscera, & corda animalis mortui, vt per illa sciret quid faciendum esset. Ita etiam sequens propriam voluntatem, nihil aliud attendit nisi cor proprium, & viscera propria, & comodum proprium vt illis tantum ducatur in illis quæ agenda sibi sunt: & proinde inobediens quasi Ariolus, & idololatra nuncupatur. Sufficiat audire Paulum ad Roman. 5. dum ait: *Quod per vnius hominis inobedientiam peccatores facti sunt omnes homines*, ab illo via naturali descendentes. Considera quot peccata, quot miseriæ sunt in humano genere: hæc omnia mala, teste Paulo, nullam aliam habuerunt originem quam vnum actum inobedientiæ. Et sic proportione sua omnia mala religiosi possumus dicere, quod ab inobedientia causantur. Ionam inobedientem iubet Deus iactare in mare piscis ventre inclusum eo fere modo quo parricidæ corio cum animalibus ibidem clausis iaciebuntur in mare, & fluuios. In prima parte Chronicorum nostri Ordinis dicitur quod quendam fratrem inobedientem iussit Pater noster Franciscus viuum sepeliri sub terra solo capite extra manente. vt ex asperitate, & rigore supplicij liceret conijcere grauitatem culpæ. Nec minus, imo multo, maius supplicium fuit illud quo Deus Genes. 19. vxorem Loth puniuit ob violatam obedientiam, qua illi præceperat ne retro aspiceret. Illam nanque conuertit in statuam quandam, quæ prima facie videbatur mulier: re tamen vera non erat, cum iam vita priuata esset. Sic possumus dicere quod reli-

Inobediēcia comparatur magiæ & idolatriæ.

Rom.5.


Per inobedientiam peccatum in mundū intrauit.

Gen.19.

religiosus inobediẽs adeo punitur morte spirituali, quę maior est corporali Et prætereca manet ibi statua monachi, quæ tamen re vera monachus non est: non enim vere monachas est qui obedientia caret: cum careat porta,& fundamento religionis quod est obedientia. Diuus Bernardus sermone 20. supra Cantica vocat inobedientiam facere plura opera pænitentiæ sine licentia prælati dicens. *Non sufficit vobis regulare ieiunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplinæ, priuata præfertis communibus? Qui vestri curam nobis semel tradidistis quid rursum de vobis vos intromittitis?* Hæc ille quomodo quereretur de inobedientia in actibus relaxantibus manifeste? Permittat ille Deus qui pro nobis factus est obediens vsque ad mortem Phil. 2. vt obedientiam quam illi promisimus simpliciter, celeriter, & humiliter impleamus, vt illius retributionem hìc consequamur per gratiam,& in alia vita per gloriam, Amen.

EXHOR-






EXHORTATIO VII.

AD SERVANDVM VOTVM PAVPERTATIS.

Sic ergo, omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Luc.14. Lucæ cap.14.



PAVLO ante hæc verba posuerat Dominus duas parabolas seu comparationes. Prima fuit de homine volente turrim ædificare, ad quod ædificium prius deberet habere pecuniam ad sumptus necessarios: Secunda regis volentis alteri Regi bellũ inferre, ad quod necessarias copias debet præparare: & tunc subdidit verba nostri thematis. Quæ licet non videantur cohærere cum positis comparationibus: sic tamen debent intelligi. Quemadmodum turris ædificatór non habens sumptum necessarios, turrim ædificare non potest: & Rex non habens necessarias copias bellare nequit: sic omnis ex vobis qui non renũtiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Et quidem hæc verba possunt de omnibus christianis intelligi, quoad affectum vt sit sensus, eos teneri saltem affectu, & voluntate terrena relinquere, id est, illa non præferre Deo, neque illa plusquam Deum æstimare. Secundo possunt commodius exponi de solis religiosis: vt sit sensus: nemo potest meus esse discipulus perfectus scilicet,

Explicantur breuiter duæ parabolæ ædificãtis turrim, & Regis bellũ illa turi.

qua-

quales erant Apoſtoli cæterique Diſcipuli, niſi renunciauerit poſſeſsionibus terrenis, animo ſcilicet, & voluntate, & opere, ſeu effectu: & hoc faciunt religioſi, amplexi in hoc conſilium euangelicum paupertatis voluntariæ, de qua nobis eſt hic ſermo. Cauſa vero cur Chriſtus Dominus hoc conſilium voluntariæ paupertatis dederit hominibus ad maiorem perfectionem aſpirantibus, eſt quoniam paupertas homines reddit expeditiores, ac magis quietos, & liberos vt virtuti ac Deo poſsint perfectius inhærere: diuitiæ vero ad hoc maximum ſint impedimentum.

Pro quo conſidero quod Math.29. Chriſtus Dominus videns triſtem adoleſcẽtem quendam eo quod Chriſtus Dominus eidem conſuleret pro perfectione aſſequenda, vt ſua vẽderet, & daret pauperibus: ſubintulit illã rigidam ſententiam. *Facilius videlicet eſſe Camelum tranſire per foramen acus, quam diuitem intrare in Regnum Cælorum.* Ad quem locum Theophilatus per Camelum non intelligit animal gibboſum: ſed funem craſſum, quo nautæ naues religant, vel in mare proijciunt: quæ explicatio licet non ſit communis, ad noſtrum intentum magis inſeruit: nam ſicut funis ille craſſus in illa craſsitie tranſire, & colari non poteſt per foramen acus: ſed vt poſsit tranſire neceſſe eſt vt diſſoluatur, & in filos tenuiſſimos redigatur quo poſsit intrare foramen: ita diues in illis diuitijs incraſſatus, & impinguatus anguſtam cæli portam commode, nequit intrare niſi ſua terrena bona, diſſoluat, & in paruas portiones diuiſa pauperibus diſtribuat propter Deum. Concinit cum iſta doctrina dictum illud Bern. in ſermone, ſeu colloquio Petri cum Chriſto: *Ecce nos reliquimus omnia*, ſtatim poſt initium, vbi cauſã aſsignãs, quare diuus Petrus cum ſuis ſocijs omnia reliquerit dicit. *Nimirum quia exultauit vt gigas ad currendam viam, nec currentem ſequi poteras oneratus.* Senſus eſt. Cum Chriſtus Dominus Pſal.18. dicatur gigas, qui magna cum exultatione viam tantæ perfectionis in hac vitã cucurrit Et hunc Gigantem Chriſtum tanta perfectione, & celeritate currentem, Apoſtoli ſectari deberent ipſum ſequentes, non poterat Petrus diuitiarũ impedimẽto onuſtus Chriſtum currentem ſequi: ac proinde reliquit omnia. Hoc idem conſulitur omnibus religioſis, eũdem Chriſtum ſuo modo in ſtatu ſuæ religionis ſequentibus vel ſequturis, vt ſcilicet renuntient omnibus terrenis, quo-

Math. 19.

Camelum intrare per foramen acus quid?

Diues quo modo pauperibus erogare debeat.

Pſal. 19.

Diuitiæ Chriſtũ ſequi nos nõ ſinunt.

rum possessio, & amor maximũ onus est, & impedimẽtum: status prefectæ paupertatis subsidium grande est ad Christi Domini sectenda vestigia. Vix nãque potest euenire vt diuitiæ, cæteraque terrena possideantur, sine eo quod animum à virtute distrahant, & à Deo auocent, & multarum perturbationum causæ existant. Confitetur hoc de se diuus Gregorius Papa in epistola quæ est ante lib Moralium, sic scribẽs de se decepto quando in sæculo versabatur. *Aperiebatur mihi iam tunc de æternitatis amore quod quærerem: sed inolita me consuetudo deuinxerat ne exteriorem cultum mutarem. Cũque adhuc me cogeret animus præsẽti mũdo deseruire, cæperunt multa cõtra me ex eiusdem mundi cura succrescere vt in eo mente retinerer.* Sic ille. Quod adhuc clarius, & elegantius idem sanctissimus Papa docuit ad illa verba Luc. 8. vbi Dominus diuitias vocauit spinas, quæ suffocant diuinum semen, diuinasque inspirationes ne crescant, supprimunt. Ad quæ verba, citatus Pater Gregor. hom. 15. in Euangel. sic scripsit de diuitijs. *Spinæ sunt quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, & cum vsque ad peccatum trahunt quasi inflicto vulnere cruentant.* Sic ille: quo nihil elegantius, & verius dici potuit de diuitiarum, respectu virtutis, impedimento. Denique videas etiam sanctum Patriarcham Iacob fratrem suum Esau fugientem, Genes. 33. Cum iam diues valde, & vxoribus, filijs, ac pecoribus esset onustus, inuitatus ab Esau iam pacifico vt simul per viam incederent, respondit se impeditum esse filijs, vxoribus, pecoribus, &c. Nec posse tanta celeritate viam arripere. Tales sunt qui diuitiarum, & cæterorum terrenorum affectu onusti sunt: inuitat illos Dominus sæpe per inspirationes vt gradiantur simul, & Deo vacent in oratione, & similibus sanctis operibus: illi autem si non voce, saltem opere respondent, non possum simul tecum ambulare præpeditus sum terrenis istis, quæ me viam perfectionis aggredi non patiuntur.

Diuitiæ distrahũt à Deo.

Gen. 33.

Iacob diues impedimentũ patitur.

Econtra vero paupertas expeditos nos, ac celeres reddit quo possumus cum Christo viã perfectionis currere. Notauit hoc Mellifluus Bernardus serm. 4. de aduentu Domini, vbi alludens ad illud Christi Domini dictum Math. 5. *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum Cælorum:* Sic inquit Bernardus. *Magna quidem penna est paupertatis qua tam cito volatur in regnum Cælorum. Nam alijs virtutibus, quæ sequũtur, promissio futuro tempore indica-*

Paupertas est penna, seu alæ ad Cælum.

dicatur, paupertati non tam promittitur quàm datur. Vnde & præsenti tempore enuntiatum est, quoniam ipsorum est regnum Cælorum, cum in cæteris dicatur, hæreditabunt, consolabuntur, & similia. Sic Bernar. ex cuius sententia vides paupertatē pennas, seu alas habere, ac proinde pauperes quasi alatos esse vt nimia celeritate post Christum non solum vadant, sed volēt Facit pro eodem illud Isay. 60. *Qui sunt isti qui vt nubes volant?* Quod communiter exponunt Doctores de Christi Domini Apostolis pauperibus, in Euangelij prædicatione totum ordem volatu celerrimo peragrantibus. Qui videlicet Apostoli omnia relinquętes quasi alatæ volucres redditi sunt ad Christum Dominum sequendum, eiusque diuina mandata peragenda. Præclare denique rem vtramque de diuitijs, & paupertate exposuit Chrisostomus homil. 18. super epist. ad Hebr. vbi primo quidem dicit: *Diuitem facilem esse vt captiuetur:* Illumque comparat homini qui multis funibus oblongis constrictus sit, eosdemque funes post se trahat: hunc enim facile quis poterit cōprehendere. Huiusmodi funes in diuite esse ait, seruos, vxores, filios, aurū, argentum, & decem millia rerū, & decē mille curas (sunt verba Chrysost.) *Multa discrimina, necessitates plurimas quæ omnia illum captiuabilē faciunt.* At de paupertate, statim sic subdit *Est enim manu ductrix quædam in via quæ ducit ad Cælum, vnctio athletica, exercitatio quædam magna, & admirabilis, portus tranquillus.* Sic ille. Vt iam necesse non sit in hoc amplius immorari.

Isay. 60.

Apostoli pauperes quasi alati

Diues cōparatur homini ligato funibus oblongis.

Paupertatis laudes.

Sed tamen omnino aduertendum duxerim, quod vt paupertas hæc nos reddat expeditos, ac lætos ad perfectionem sectandam, non tantum res terrenas exterius religiosus dimittat oportet verum etiam, ac multo magis, relinquat necesse est terrenorum affectum, ac desiderium: hoc enim retento, & non relicto, nihil omnino fecisse dicendus est. Pulchre Bernardus hoc expresit illo tract. de Petri colloquio cum Christo. *Ecce nos reliquimus omnia*, sic dicens. *Omnia sane dixerim, non tantum possessiones, sed etiam cupiditates, & eas maxime, plus enim concupiscentia mundi, quam substantia nocet.* Vide quomodo vir sanctus doceat plus nocere, & plus homines perturbare appetitum diuitiarum, quam ipsas diuitias. Multi nanque Sancti diuites fuerunt & cum ipsis diuitijs non turbabantur, quoniam illorum affectu carebant: & è contra multi pauperes cruciantur ac turbantur quoniam diuitiarum affectū

Plus affectus terrenorū quā terrena sunt relinquendi.

Diuites aliqui quieti, & pauperes inquieti.

I 2 non

non exuerunt. Qua de causa Bernardus ibidem paulò post subdit. *Age ergo qui relinquere vniuersa disponis te quoque inter relinquenda numerare memento, &c* De eadem re Diuus Gregorius 5. Moral. cap 6 sic scribit. *Praua mentes tumultus intra se versare non cessant etiam cum vacant, seruant enim in cogitatione depicta. qua amant. & quamuis nihil faciant exterius apud se tamen sub pondere inquieta quietis laborant.* Quibus verbis quid pulchrius dici potuit ad exprimendam segnitiem ac teporem multorum religiosorum qui nescio, si se, cum suis reliquerint. Hi nanque in sua quiete religionis inquieti sunt, & cum uacant in religionis portu turbantur. Quia scilicet non se reliquerunt. Idem sanctissimus Pater super cap. 31. Iob. lib. 21. de eodem intento sic loquitur. *Magna est securitas cordis, nihil concupiscentia habere sacularis: nam si ad terrena adipiscenda cor inhiat, securum, tranquillumque esse nullatenus potest: quia aut non habita concupiscit vt habeat, aut adepta metuit ne amittat.* Sic ibi Gregorius Quod ipsum clara comparatione sic illustro. Forte ignis combussit siluam multis arboribus, ac virgultis consitam, ita vt nihil penitus viride remanserit. Eodem anno videas iterum plantas, & arbusta reflorescere, vt totam terram iterũ cooperiãt. Si vero causam nouæ productionis inquiras, videbis id mirum non esse: nam licet ignis ille præteritus, quod supra terrã inuenit abraserit, radices tamen arborũ, & arbustorum quæ sub terra erant, non cõsumpsit, & ab his radicibus denuo plãtæ & herbæ, & virgulta pullulãt. Vnde & qui seminare triticũ parat in terra siluestri prius non solum trũcos, sed etiã intimas radices eradicat, ne postea possint reuirescere. Ad eundem modum videas aliquos in professione tantillæ deuotionis feruore permotos, omnia terrena exterius relinquere, & ablegare: qui tamen post paucos dies ad terrena inhiant, procurant, & sæpe obtinent contra votum paupertatis: neque hoc mirum si illos videas iterum siluescere, quia in tali professione radices malas, id est affectus ipsos malos, non reliquerunt: ex quibus affectibus, vt radicibus illa inquietudo, & terrenorum procuratio renascitur. Introeat ergo quisque religiosus sui cordis secreta, & videat si se quietum, & ad diuinum opus, vitamque perfectam expeditum, ac lætum inueniat: quod si sibi deesse sentiat, timeat profecto quod nec se perfecte dimisit, nec proinde vere pauper effectus est.

Religiosi inquieti loco quietis.

Affectus diuitiarũ sunt radices arborũ reflorescentium.

Hæc

Hæc est fratres charissimi euangelicæ paupertatis norma, & modus quo à religiosis debet suscipi,& obseruari. Quod vt tenacius, & solidius fiat duo loca sacræ Scripturæ vtile fuerit semper ante oculos habere. Primus sit ex Lucæ 9. vbi Christus Dominus, cuidam se sequi volenti dixit. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem Hominis non habet vbi caput reclinet.* Mirum exemplum, & religioso semper considerandum, qui Christum pauperem sequi promisit. Neq; vero est, quod dicat religiosus, Christum Dominum ita se rebus terrenis spoliasse quia Deus erat. Imo,& quia Deus erat neque votum paupertatis emiserat iuxta veriorem sententiam Theologorum,&ad talem paupertatis rigorem non tenebatur: multo magis ad id obligatur religiosus qui votum paupertatis emisit. Secundus locus considerari poterit ex Paulo 2. ad Corint. 8. vbi sic ait de Christo Domino: *Propter vos egenus factus est cũ esset diues vt illius inopia vos diuites essetis.* Si ergo Christus Dominus cum esset adeo diues, ad talem se paupertatem demisit propter nos,vt nos ditaret: quid mirum si religiosus propter Deum pauper efficiatur, non vt Deum ditet, sed vt se ipsum diuitẽ faciat? Neque vero huic rei desit testimonium

Luc. 9.

Paupertas Christi D. vrget nos.

2. ad Cor. 8.

Seraphici illius, & pauperrimi Patris nostris Francisci, qui in sua regula fratres ad paupertatem exhortans de paupertate sic loquitur cap. 6. *Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis quæ vos charissimos fratres meos hæredes, & reges regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimauit. Cui dilectissimi fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub cælo habere velitis.* Hæc ibi Seraphicus Pater: quibus verbis omnia quæ hactenus diximus clarius,& deuotius explicantur, ac manifestum relinquitur quomodo votum paupertatis sit obseruandum à professoribus illius.

Paupertas dita nos.

Quibus non obstantibus,ego dubito, seu potius credo multis nostri sæculi religiosis posse applicari plurima dicta, seu querellas quas iam dudum multi religionum primates contra paupertatis transgressores pronunciarunt. Diuus Ieronimus epistola ad Nepotianum, sic quæritur. *Nonnulli sunt ditiores monachi quã fuerant ante sæculares: qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallaci diabolo habere non poterat.* Et iterum: *Natus in paupere domo, & tugurio rusticano, qui vix milio, & cibario pane rugientem satiare ventrem poteram, nun similam, & mella fastidio Noui & genera, & nomina piscium & saporibus auium*

Religiosi aliqui ditiores in religione quam forent in sæculo.

discerno prouincias. Sic ibi Ieron. O mirum Doctorem, ô futurorum religiosorũ pro nostro etiam sæculo, scrutatorem intimum, seu potius Prophetam. Consonat Bernard hom 4. supra missus est dicens. *Video quidam quod sine dolore videre non debet, post aggressam Christi militiam rursus implicari sæcularibus rursus terrenis cupiditatibus immergi Sed contra sui imperatoris dictum concupiscere aliena & sua cum lite repetere, ita nec se mũdo, nec sibi mundum crucifixerunt: vt qui antea vix in suo vico vel oppido cogniti fuerunt, modo circum euntes prouincias, & curias frequentantes regũ notitias, principum familiaritates assecuti sunt.* Sic Bernardus monachus, tãquam domesticus Quod si mihi respondeas multos religiosos non procurare terrena. neque ad pecunias anhelare sed rebus communitatis contentos esse: de illis adhuc timendum est voto paupertatis perfectæ contraire, si impatientes sint quando aliquid illis defuerit. Bernar. hoc monuit serm. 4. de aduentu Domini dicens *Videmus autem multos pauperes qui si veram haberent paupertatem non adeo pusilanimes inuenirentur, & tristes. Sed hi sunt qui pauperes esse volunt eo tamen pacto vt nihil eis desit & sic diligunt paupertatem vt nullam inopiam patiantur* Sic ille. Quod magis idem mellifluus Pater considerans, notans, & exemplificans serm. 30. super Cantica ad suos monachos sic ait *Quid vero prodest temperare à voluptatibus. & inuestigandis diuersitatibus complexionum, ciborumque varietatibus exquirendis quotidianam expendere curã? Legumina ventosa sunt caseus stomacum grauat, lac capiti nocet; potum aqua non sustinet pectus. caules nutriunt melancholiam, coleram porri accedunt pisces de stagno mea penitus complexioni non congruunt. Parũ est hoc vt in totis fluuijs agris & hortis, cellarijsue reperiri vix possit quod comedas? Puta te quaso monachum esse nec medicum, nec de complexione iudicandum, sed de professione.* Sic deuotus, ac zelosus Bernardus. Quod vero attinet ad vestium paupertatem idem sanctus Bernardus in Apologia ad Guillelmum sic ait. *Quaritur ad induendum non quod vtilius, sed quod subtilius inuenitur, non quod repellat frigus sed quod superbire compellat: non denique, iuxta regulam, quod vilius comparari potest sed quod venustius imo vanius ostentari. Heu me miserum qualemcunque monachum, cur ad hoc viuo videre ad id deuenisse ordinem nostrum, &c.* Sic ibi.

Religiosi plus vrbani & vrgi in ordine, quam forent in sæculo.

Religiosus inquietus quãdo defuit necessaria, non est vere pauper,

Religiosorum querelæ de cibis cõmunitatis.

Pauperras in vestitu religiosorum.

Sed adhuc videas alium modum transgrediendi paupertatem, & statum proprietarij monachis nimis vsitatum, vt videlicet rebus communibus quieti viuant, neque magna, & præciosa con-

conquirant:nihilominus paruis, ac vilibus rebus ita adhærent tenaciter, vt difficilimum sit, & quasi tormentum illis minimis spoliari, considerauit hoc eloquentissimus ille Cassianus qui collat. 4. cap vltimo sic Danielē Abbatem inducit *Vitium auaritiæ, & cupiditatis, quod erga species pretiosas exercere non possunt circa viliores materias retinentes, non abscidisse, sed commutasse se probant pristinam passionem. Nam nimia deuin cti diligentia erga curam psiathij sportellæ, sauelci, codicis, mattæ aliarumque similium rerum quamuis vilissimarum, eadem tamen qua antea libidine detinentur. Quæ etiam tanta æmulatione custodiunt atque defendunt, vt pro ipsis aduersus fratrem commoueri eos, ac litigare nō pudeat.* Hæc ibi. De eodem etiam idem Cassianus collat. 1. cap 6 sic scribit *Nam & plerique nonnulli tanto zelo codicem seruēt, vt eum ne leuiter legi quidem, vel contingi ab aliquo patiantur. Cumque omnes diuitias suas pro Christi amore dispersérint: pristinum tamen cordis affectum in rebus minimis retentantes, &c.* Sic ibi. Quod quidem præterquam quod peccatum proprietatis redolet, est etiam adeo indecorū, ac fædum viro religioso, magna spernanti, & in minimis superato vt de hoc specialiter diabolus glorietur. De quo non pigeat audire Eusebium emiss. homil. 5. ad Monach. sic dicentem. *Inde est quod de rebus paruissimis interdum excitamur, & pro vilium rerum appetitu vilissimas intentiones mouemus. Et inter hæc quomodo exultat aduersarius noster quando nos videt maxima contempsisse vt in minimis deformius vinceremur &c.* Deniq; de monachis multa, ac superflua vsualia pro vsu congregantibus specie necessitatis, conqueritur citatus Cassianus lib. 4. Instit. cap. 15. dicens. *Quibus non solum cistellæ, vel sporta, sed ne arca quidem armaria ad ea quæ congerimus, vel quæ egressi de sæculo reseruauimus condenda sufficiunt.* Hæc su'ficiāt ad indicandos modos seu vias quibus à professoribus hoc votum frangitur, de quibus quasi diffidentibus de diuina prouidentia, cui se specialius commiserunt, & quæ monachis specialius assistit, optime conqueritur Abbas Piamon apud Cassianū, collat. 18. cap. 8. sic dicens *Isti vero non solum in crastinum, sed etiam in multorum annorum spatio infidelem solicitudinem prorogantes, aut mendacem Deum, aut inopem credūt, qui promissam quotidiani victus, atque indumentorum sufficientiam præbere eis, aut non posit, aut nolit.* Et recte quidem in hoc Cassianus: si enim Christus Dominus adeo sæcularium solicitudinem taxauit Math. 6 dicens: *Nolite soliciti esse dicentes, &c.* Multo magis

Propietarij sunt aliqui religiosi ex tenaci retentione minimorum.

Diabolus gloriatur quādo monachos vincit in minimis.

paupertas læsa super fluis.

Religiosus nō pauper est iniuriosusque diuinæ prouidentiæ.

illam in religiosis reprehendet, quibus diligentiori cura prouidere tenetur, eo quod ipsi, terrena propter Deum despicientes se totos diuinæ protectioni comiserunt. Hi vero qui solicite vel superflua, vel minima tenaciter procurant, iuxta Cassianum, vel innuunt Deum cui se commiserũt, necessaria illis præbere non posse, vel non valere.

Restat dicamus quãtum peccatũ sit proprietas, quæ est peccatum oppositum voto paupertatis. Pro hoc habemus sufficientissimum testimonium in illo mortis supplitio quo diuus Petrus Act. 5. *Puniuit Ananiam, & Saphiram vxorem eius*: Propterea quod partem pecuniæ ex agro vendito sibi retinuerint, ibi enim illos peccasse contra votum factum, de rebus temporalibus relinquendis, & Apostolis tradendis, concors est Doctorum sentẽtia ad illum locum: ac proinde illorum peccatum post illud factum votum, peccatum proprietatis dici potuit, quatenus cõtra votum, sibi aliquam pecuniam appropriarunt Ecce igitur à posteriori collige quale peccatum


Act. 5.

Ananias fuit proprietarius

sit vitium propietatis quod ab Apostolo Petro miti, ac misericorde morte repentina punitur Diuus Basilius cap. 35. constit. monach. comparat hoc peccatum cum furto Iudæ Iscariotis. Et bene quidem sicut enim Iudas postquam omnia reliquerat, & quasi votum paupertatis emiserat, loculos habebat, & parvas monetas ex oblatis elemosinis suffurabatur: sic religiosus professus post votum paupertatis emissum aliquid clanculum sibi retinens, & appropriãs, alter Iudas immerito poterit appellari. Denique constat Ecclesiam matrem non nisi ob grauia, & atrocia peccata fideles suos Ecclesiastica sepultura priuare. At constat illam monachos proprietarios in tali peccato decedentes à sepultura Ecclesiastica excludere, vt habetur expresse titulo de statu monach. cap. 2. & cap. 4. in Decretalibus, cap. 6. in quo refertur diuum Gregorium Papam idem fecisse cuidam monacho cum peculio morienti, quem in Sterguilinio iussit sepeliri.

Proprietas in religioso est peccatũ Iudas Iscariotis.

EXOR-



EXHORTATIO VIII.

AD SERVANDAM CASTITATEM.

Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte. Thræn. cap. 4. Thren. 4.

HÆc verba communiter à Doctoribus explicantur, & applicãtur Religiosis trium votorum professoribus: & in illis, cum reliquis sequentibus citato cap. Thren. dicunt aliqui contineri tria vota maxime Viegas Apocalyp. cap. 9. comment. 2. sect. 2. Ego pro voto castitatis seu pro castitate sola prædicta verba propono: præmittoque, mire contra hoc castitatis votũ Lutheranos furere, & verbo, & opere. Verbo quidem, multa sophistica & falsa argumenta obijcientes, vt probent illud vouere non esse licitum: & simul opere, quia ipse Lutherus, vxorem duxit, multæque Moniales eius hortatu: quorum hæreticorum confutationem legat qui volet apud Bellarmin. tom. 1. lib. 2. de Monach. cap. 22. Nos cum matre Ecclesia dicimus & votum hoc sanctissimum esse; nostræque Ecclesiæ Monachos ad castitatem teneri. Imo & in hoc excedere Nazaræos veteris legis, de quibus nõ inuenio quod castitatem seruauerint. Sanson enim, & Samuel qui fuerunt Nazaræi Iudic. 13. & 1. Reg. 1. vxores habuerunt: ac proinde castitatem non vouebant, saltem perpetuam. Nostri vero Religiosi, rigidiores Nazaræi perpetuæ castitatis voto se astringunt, per quam castitatem ostendo illos fieri candidiores niue, & nitidiores

Castitas à Lutheranis impugnata.

Iud. 13 & 1. *Reg.* 1. Nazaræi non seruabant votũ castitatis.

res lacte: suppono enim tanquã notissimum per albedinem & cãdorem significari castitatem, vt inter alios docet D. Ambrosius lib de instit virginis cap. 15. & alij quos longum esset referre.

Castitas cur comparetur albedini.

Non vacat ergo mysterio quod castitas seu casti viri comparentur albedini; imo, non vni tantum rei albæ, sed duabus niui & lacti, quæ inter albas vidẽtur albedinem habere maiorẽ? ego sequentes causas subijcio. Prima, quia color albus cæteris coloribus melior est: & est oculis iucundior, & acceptabilior, & signum lætitiæ semper fuit, de quo multa Lorinus super Acta Apost. ad cap. 1, super illa verba: *Astiterunt in vestibus albis*. Hac de causa apparitiones Angelorum, vt plurimum factæ dicuntur in vestibus albis. Et quod in particulari, albedo sit color afferens lætitiam, & iocunditatem præ omnibus, ego probo ex Logica; in qua cõmuniter dicitur, quod albedo disgregat visum, id est, dilatat visum. illumque spargit, & quasi lætabundum facit spatiari: cum cæteri colores ab albedine recedentes visum congregent, & quasi tristem faciant ad se colligi. Cum ergo castitas albedini comparatur, innuitur quod sit in oculis Domini iucũdior, lætior, & acceprabilior cæteris virtutibus moralibus. Non

Albedo lætificat præ omnibus coloribus

dico quod sit melior (vt comparatio petere videretur, dicens albedinem esse meliorem colorẽ cæteris, comparationes enim nõ tenent in omnibus:) sed dico quod ante Deum sit gratissima, illique acceptabilissima. Hoc in primis liceat intueri, eo quod castis, & virginibus albis indutis, adeo speciales fauores à Deo exhibentur, taliaque priuilegia cõceduntur, vt illa alijs Sanctis, etiam maioribus, non legamus exhiberi. Hac de causa videas Apocalyp. 14. de virginibus illa particularia dici, quod scilicet Agno cantabant canticum nouum; & quod nemo poterat dicere canticum illud, nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Illi etiam ibidem dicuntur sequi Agnum quocunque ierit; & esse primitias electas inter cæteros homines, & multa alia quæ de alijs Sanctis non leguntur Et Apocalyp. cap 3. de illis, qui non inquinauerunt vestimẽta sua dicitur. Ambulabunt mecum in albis quia digni sunt. Vt possimus forte exponere, quod illis promittatur, ambulaturos in cælis albis indutos, id est, inter castos, & admittendos ad illos particulares fauores, & particularia priuilegia quæ proxime recensuimus, quia digni sunt, propter vitæ suæ puritatem Hinc videas Ecclesiam fœminas virgines

Casti multis fauoribus á Deo donãtur.

nes illo tam insigni titulo decorare, vt illas Christi sponsas in officio publico vocet, dicens, Veni sponsa Christi. Denique videas, causam, ob quam gloriosus Apostolus Ioannes Euangelista à Christo Domino sit specialiter dilectu, & ad particulares fauores admissus, ab Ecclesia non reddi maiorem ipsius virtutem aliam præ cæteris, sed solā castitatem & virginitatem, in quinto enim responsorio matutinalis officij illius diei: sic ait: Diligebat autem eum Iesus, quoniam specialis prærogatiua castitatis ampliori dilectione fecerat dignum. Fortaßis enim D. Petrus in dilectione & in charitate Dei maior illo erat, cum ab eo Christus Dominus Ioan. 21. ter inquireret, & quasi iuberet, vt se Christum præ omnibus illis diligeret. Ecce quam grata & quam iucunda. Hinc tam præclara præconia de castitate sancti Doctores protulerunt, qualia de cæteris virtutibus dicta non inuenias Nobis sufficiat deuotißimus, & castißimus Bernardus tum alibi, tum maxime epistola 42. vbi sic ait: *Quid castitate decorius quæ mundum de immundo conceptum semine de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit? Sola est castitas quæ in hoc mortalitatis, & loco & tempore statum quendam immortalis gloriæ repræsentat.* Sic ille. Quod ipsum fere iam dixerat Cyprianus Martyr, in lib. de habit virg. sic virgines alloquens: *Quod futuri sumus iam esse cepistis, vos resurrectionis gloriam in hoc sæculo iam tenetis, per sæculum sine sæculi cogitatione transitis, cum castæ perseueratis & virgines: Angelis Dei estis æquales.* Mitto multa alia castitatis encomia quæ paßim apud Doctores inuenientur: mitto multa commoda illam comitantia, ob quæ sola digna erat vt eā omnes tenacißime, & auidißime sectarentur.

Ioan Euā gelista ob castitatē præcipue dilectus fuit à Christo.

Ioan. 21.

Castitatis præconiū

Secunda causa ob quam castitas albo colori comparatur, est, quoniam albus color citius, & facilius maculatur, & sordidatur quam cæteri colores: Rubeus enim, ac viridis color, & sic de alijs, etiam si aliquātulas sordes admittant, non statim maculantur, neque in illis illud aduertitur, quemadmodum adnotatur in albedine, quæ ex eo quod minus permista est cæteris coloribus, est quasi purior, ac delicatior, vt ita dicam. Duo hinc applico castæ puritati, quod scilicet purior est & delicatior, & cæteris virtutibus periculosior in conseruando. Est castitas vitrum, quod solo oculorum maleuolorum intuitu frangitur. Eleganter hoc docuit Ambrosius lib. 3. Epistolarum epist. 25. sic dicens·

Castitas plus penelitatur cæteris virtutibus.

Castitas est vitrum solo aspectu. & vrbanitate perditur.

dicens: *Quoniam & ipso aspectu virginitatis violatur sanctitas.* Imo & solis verbis vrbanis (vulgo *comprimentos*) violari virginitatem aliquo modo, ait Ambros. lib. 2. de virgin. dicens: *Teritur officijs pudor (id est comprimentos) modestia soluitur dum affectatur vrbanitas* Sic ille. Nonne solo aspectu, & Bersabet intuitu, violata est castitas Dauidis & ipsius fœminæ visæ, & impudicorum senum Susannam spectantium? Hac forte de causa etiam Christus Dominus Matth. 25. decem illas virgines dixit habuisse lampades in manibus suis: quasi diceret, virginitatem ac castitatem, in manibus portandam tanquam vitreas lampades, frangi faciles. Ad eundem finem de castitate videtur Paulus dixisse 2. ad Corinth. 4 *Habemus autem thesaurũ istum in vasis fictilibus.* Re enim vera thesaurus est castitas, & virginitas: absconditus tamen, & inclusus in luteo ac fragili corpore. Hac denique de causa Doctores dicunt non decuisse Christum Dominum in deserto de castitate tentari: quanuis enim etiam in illa tentatione foret insuperabilis sicut in alijs: voluit tamen nos docere quam vigilãter has tentationes debeamus effugere, quãtum periculum nobis ex illis immineat, quia raro ex illis tentationibus aliquis sine

Matth. 25

2. Cor. 4.

De castitate nõ fuit Christus Dominus tentatus, & cur?

peccato aliquo saltem veniali euadit? Idque docet Cyprian. serm. de tentation. Christi sic dicens: *Honestius cum spiritu (id est peccatis spiritualibus) quam cum carne luctamur, quia carnis fœdus complexus exhalans nebulas, eum qui sibi adhæserit aliqua ex parte contaminat, nec libidinum morsus quisquam illæsus euasit.* Hæc ille satis docte & eleganter. Ratio huius rei esse potest: quia scilicet natura nostra tanto, ac tam innato impetu fertur & inclinatur ad actum generationis, vt raro sibi id repræsentetur quin modo aliquo in actum leuem exeat appetitus: & magno diuino auxilio opus sit, vt omnino cõtineat se ab actu vetito Secundũ quod consequenter dico, de re alba citius sordidata, quam alia colorata; est dependens ab illo primo, videlicet quod sicut castitas honorat, ac decorat castos viros, ita vt hæc virtus præ cæteris, honorabiles faciat omnes, tam fœminas quam viros: ita é contrario oppositum luxuriæ vitiũ plus cæteris peccatis dedecus afferat & sordidet, & maculet authores suos. Hac de causa Paulus multis in locis luxuriam vocat non immundam, sed ipsam immunditiam, quia scilicet sordidat nimium puræ castitatis vestem 1. ad Thessalon. 4. cum dixisset: *Hæc est voluntas Dei vt abstinentis*

Luxuriæ vitiũ plus maculat cæteris omnibus vitijs.

Luxuria est immũditia ipsa, 1. Tim. 4.

ſtinentis à fornicatione,&c. ſubdit. *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem,* quem locum Caſsianus lib. 6. inſtit.cap 15.legit Non enim vocauit nos Deus in ignominiam ſed in ſanctificationem. Et ad Rom.1. *paſsiones carnis vocat Paulus paſsiones ignominiæ.* Ecce quomodo ſi caſtitas pura & alba, coram oculis Domini ſpecioſa, & grata virtus eſt Nihilominus tamen tam facile,& periculoſe per oppoſitum vitium vel amittitur, vel ſordidatur, vt tædium ſit Deo & Angelis vir non caſtus, & inhoneſtus: quemadmodum in fœtida terra Sodomæ poſſumus intueri. Si autem hoc vitiũ tanta ignominia afficit etiam ſæculares: Quanta, proh dolor, afficiet Religioſos, qui vt veri Nazaræi candidiores niue, ac lacte debẽt eſſe in populo? Hoc eſt vere fratres. hoc eſt illud vitium quod pluſquam omnia alia Religioſos, imo & ſuas Religiones infamat: Hoc eſt quod ſæculares clamare facit, & indignari, quando eos, quos caſtitatis exemplum eſſe oportet, dare de ſe exemplũ huius prauitatis vident. Quod præcipue ſcandalum in eo fundamentum habere video, quia videlicet ſingularis & particularis puritas caſtitatis in ſacerdotibus requiritur præ cæteris, ſiquidem ad tremendum Chriſti Domini ſacrificium accedunt quotidie, ad quod Angelica puritas requirebatur. Et quoniam notiſsimum eſt de hoc ſæculares magis ſcandalizari in Monacho, & eius ſcandali cauſam tetigimus remedium inculcemus

Rom. 1.

Luxuria nimis maculat Religioſos.

Quo ergo Religioſi hoc ſcãdalum vitent, ſuaſque animas, & corpora in niuis ac lactis candore caſto conſeruent ſiquidẽ ſunt Nazaræi albis induti caſtitatis veſtibus: conſiderent qua circũſpectione gradiantur illi qui alba veſte induti ſunt ac precioſa. Nam illi qui portant veſtes rubri, viridis, fuſci, ſeu luridi coloris, non adeo ſordes timent, neque pericula vitant, atque illi qui alba, & pretioſa veſte ornantur: hos namque circunſpectiſſimos eſſe oportet ad quanuis paruiſsimam guttulam, puluerẽue vitandum ſcientes exinde ſtatim veſtem illam maculam incurſuram. Tales nempe oportet eſſe Religioſos: nam ſæculares quidem qui voto caſtitatis non aſtringuntur, neque adeo per luxuriam infamantur, ſi deſides ſint in hoc vitio fugiendo non adeo mirandum eſt: At Religioſos, qui illo voto vinciuntur. & tanquam Nazaræi candidiſsimis caſtitatis veſtibus amiciuntur, oportet omnino circumſpectiſſimos in ſuis conuerſationibus verſari, & tenuiſsimas etiam occaſiones

Caſtitas magnam circũſpectionem requirit.

casiones effugere, ne maculam in animo, & in propria fama, & in tota religione dedecus magnum incurrant. Considerét pro hac obligatione, quod Exod. 28 inter alias vestes Sacerdotis, vnam quandam tunicam illum Deus portare iubebat, quæ erat candida, & prætereà tali artificio contexta, vt tota quasi oculis vndique depicta esset, vt exponit ad eum locum Oleaster iuxta quorundam sententiam, & refert Arias Montanus lib. de antiq. sac. ser. In quo quidem habemus descriptum totum quod hucusque diximus, imprimis enim Sacerdos alba veste indui iubebatur, in signum castitatis & puritatis, quam præ cæteris seruare debebat: deinde in illa oculorum multitudine mone batur multis oculis eum circum spicere debere ne illum puritatis candorem amitteret. Quinimo, & per multos illos oculos in veste depictos significari arbitror, illum monitum fuisse omnium sæcularium oculos ipsum Sacerdotem continuo intueri. Id quod vel maxime ex eo ipsis considerandum est, quod sciant multos esse sæculares, qui in toto anno ad Monachorum virtu tes non attendant, sed sola ipsorum peccata & scandala etiam occultissima diligenter obseruant, vt irrideant, vt taxent, &

Exod. 28.

Tunicã sacerdotũ alba, & oculata.

clament. Sunt hi sæculares similes omnibus hominibus, qui in tota vita solem directe non aspiciunt neque considerant quot ab illo beneficia continuo recipiunt lucis, creationis rerũ, &c. Quod si accidat vt sol eclypsetur, & defectum patiatur, mirũ est quomodo omnes senes, ac pueri, vetulæ, & puellæ illum intueantur ac notent horam, minutum, figuram &c. ibi accidétia. Sic sæculares non curant in toto anno quot bona exempla, & commoda à Religiosis recipiant. At si casu accidat aliqué in hoc vitio claudicare; mirum est quot oculis inspiciant, etiam minuta, & inhonesta verba ab ipsis prolata: quomodo clamét, & insurgant, non solum aduersus peccantem, sed etiam contra omnes domi, & in Religione manentes. Videat ergo quot oculos gestare debeat, qua circunspectione in hoc peccato vitando viuere. Mirum hac de re nobis Christus Dominus reliquit exemplum, cũ enim Matth. 9. vocatus esset à principe quodam ad resuscitandam filiam eius, ingressurus domum, vbi iacebat mortua puella, quæ vt apparet ex textu, erat secretior aliqua domus. Ingressurus Christus Dominus vbi fæmina mortua erat, eique manum prehensurus, id facere noluit nisi præ-

Sæculares non attẽdunt virtutes, sed minima vitia Monachorum.

Matth. 9.

sentibus

Exemplũ Christi D. & Apostolorum in materia castitatis.

sentibus & patre, & matre eiusdem puellæ mortuæ: quod nempe ad vitandum scandalum fecisse videtur,& vt ne minima quidem suspicio posset oriri de illo etiam cum mortua fæmina: Quid ergo sperat Religiosus in trans domos, vbi neque pater, neque mater testes futuri sunt, neque ad fæminam mortuam ingreditur? Addo,quod non solum Christus Dominus in sua propria persona hoc dedit rigidum castitatis exemplum, sed etiam discipulos suos qui primi Religiosi fuerunt, ita in castitatis materia exemplares esse voluit, vt quanuis in illis alios pateretur defectus,& vitia; non est tamen passus,eos in materia castitatis scandalum aliquando populo præbere. Dissimulauit aliquando Christus Dominus in Iuda auaritiam,& proditionem; in Petro negationem: in filijs Zebedæi appetitionem dextræ, & sinistræ: & in omnibus contentionem, quis eorum videretur esse maior:luxuriæ vero scandalum,neque lego in Apostolorũ, Discipulorũue collegio; neque ipsi Pharisæi tam perspicaces Discipulorum obseruatores,qui eos accusabant quod non lauarent manus cum manducarẽt, illos vnquam tanquam inhonestos accusarunt Quin potius Christi Discipulos adeo huius voti obseruatores, & in exẽplo castitatis circunspectos video vt Ioan.4 cum illi in ciuitate Sichar,relicto Christo Domino ad puteum,intrarent in vrbem ad quærendos cibos,reuersique, in uenirent Christum Dominum cum Samaritana loquentẽ; subdit textus hæc verba: *Et continuo venerunt discipuli eius & mirabantur quia cum muliere loquebatur.* Vide Apostolorum in hac materia cautellam, vt mirentur ipsum Christum cum muliere sola loquẽtem,& in campo, iuxta puteum ad quem probabiliter aliæ fœminæ præter Samaritanã illam,debebant confluere. Ecce fratres,ecce Apostolorum in castitate obseruantiam ecce exemplum quoad sæculares. Eadem omnino obligatio vos tãgit quo ad obseruationem voti, & quo ad exemplum: eandem enim castitatem quam illi seruarunt,vos estis professi voto expresso atque solenni. Neque vos fortasse fallat aut decipiat, peccatum vestrum,seu ingressum alicuius domus esse occultum, nec fore sæcularibus reuelandum: Ad hoc enim memoria retinete illud Christi Domini Matth.10 *Nihil enim est opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non scietur.* Quin potius considerate circa hoc mirabile dictum. Legitur enim Marc.7. quod cum Christus

Ioan.4.

Non potest occultari luxuriosus monachus.

Matth.10

Marc.3.

tus Dominus abiret in fines Tyri & Sidonis. *Ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.* Ecce ipse Christus Dominus volens suum in domum quandam ingressum occultari, id non obtinuit, via scilicet ordinaria (aliàs posset, si vellet.) Quid ergo confidit miser homo suos clanculos ingressus occultandos in tanta oculorum obseruatione? Denique peccati grauitas ipsum deterreat, non enim vnum tantum; sed plura cõmittit, maxime quando cum illo dat scandalum quod semper timere debet. Primo enim peccat contra castitatis naturale præceptum, sicut quilibet Christianus. Secundo contra votũ speciale castitatis. Tertio contra ordinem sacrum si illum habet: in susceptione enim ordinis sacri particularem castitatis obligationem renouat. Quarto, si dat scandalum, vt semper dat, consideret quod si Christus Dominus Matth. 18. tam graue peccatum iudicauit esse, scandalizare solũ vnum pusillum, vt talis scandalizans mereatur cum mola asinaria ad collum appensa demergi in profundum maris: Quid merebitur Religiosus inhonestus qui non vnum pusillum, sed tot fideles scandalizat, tot sæculares tot Religiosos sui conuentus, & suæ prouinciæ, ac Religionis?

Luxuria in Monacho grauior.

Matth. 18

Vt igitur hæ vestes nostri Nazaræi Religiosi & in anima corã Deo, & in fama coram populo candidæ sicut nix, & lac conseruentur, cautella nimia necessaria est, & vigilantia in multis, in conuersatione cum sæcularibus, in verbis, in cibis, & in alijs multis sine quibus castitas non conseruatur. Pro hoc video appositissimam comparationem, ex cæli zodiaco desumptam. Scimus enim quod in illo zodiaco signum, virgo, constitutum est inter leonem, & libram, quæ sunt alia duo signa: quod fortasse mysterio non caruit. Illo enim denotatur seu potius admonemur, quod qui virginitatem, seu castitatem seruare voluerit, inter leonem & libram versari debet: id est debet habere leonis fortitudinem, & tanquam leo debet resistere tentationibus, & occasionibus in quibus castitas periclitari possit: debet præterea semper libram in manu gestare, & in intellectu; qua scilicet libret & ponderet verba, cibos, egressus, & regressus, conuersationem & cæteras circunstantias castitati contrarias, vt eas leonina constantia deuitet, ac fugiat: ab his enim omnibus castitatis conseruatio pendet; quas qui neglexerunt, luxuriæ portæ appropinquarũt.

Castitas est posita inter libram & leonem, sicut signum, virgo in zodiaco.


Et quod

Et quod in particulari attinet ad conuersationem sæcularium vitandam: sufficiat videre optima quæ scribit D. Ieron. epistola ad Nepotianum: inter alia sic dicens: *Si propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo nunquam domum solus introeas. Caueto omnes suspitiones, & quid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita*. Sic ille. De Magno illo Augustino, & Diuo Ludouico Minorita produnt historiæ, quod etiam fæminarum affinium, & consanguinearum vitabant consortia, & conuersationes: quanto magis vitandi erunt illarum aspectus, & conuersationes quæ tales non sunt vt animæ, & famæ candor conseruetur incorruptus? Mirabile dictu est quod multæ fœminæ fragiles ac debiles sibi ipsis mortem aliquo modo intulerunt, ne castitatem perderent. Aliæ namque è tectis, aliæ in flumina præcipites se dederunt, quod videtur esse cōtra charitatis præceptum; & tamen eas Ecclesia celebrat vt sanctas, vt videre est apud Baron in Martyrolog. die 9. Iunij littera D. Et Sixtum Senens. lib. 5 bibl. annot. 253. ex Augustino: quod credibile sit illud eas fecisse ex diuina reuelatione: & hoc fecerūt pro castitate tuenda, quam non leguntur vouisse. Quid non necesse est ergo pati pro castitate non violanda, solenni voto Deo promissa? Lege Ambros Morales lib. 12. cap. 5. histor. Hispanicæ, vbi refert de Monialibus cuiusdam conuentus in Hispania, quæ timentes castitatis periculum à Mauris irruentibus, suas facies diris vulneribus fædarūt, vt sic fædæ apparentes non appeterentur: & ita euenit quia occisæ, & non defloratæ sunt. Imitare ergo mulieres fragiles in hac vita non in illa occisione corporis, sed in occisione appetitus ac tentationum si vis castitatis præmium in æterna vita.

Fæminæ aliquæ quodammodo sibi mortem causarunt ne perderent castitatem.

K EXHOR-





EXHORTATIO IX.

AD FVGIENDA SCHISMATA, ET FACTIOnes, Lusitane, bandos de frades.

Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. 1. Cor. 1.

1. Ad Corinth. 1.

POST trium votorũ obseruationem nihil video de quo magis Religiosi debeant admoneri quam de schismate, ac seditione vitandis: si enim pacẽ non habent, quæ per schisma tollitur, nihil habent, vt infra videbimus. Et ad hoc intentum mihi visa sunt propria citata verba Pauli, quæ ille scripsit 1. ad Corinth. 1. audiens quod inter illos contentiones essent, ac dissidia, alijs pro Paulo, alijs pro Petro, alijs pro Apolo conclamantibus, ac diuisis: quos vt ad vnitatem Christi reducat citata verba scripsit.

Lorinus super Acta Apostolorum ad cap. 1. vers. 15, multis testimonijs nititur ostendere Amorem fraternum quo vnus frater alium diligit esse maiorem, & ante ponendum amori coniugum, & amori patris in filium, præcipue citat ad hoc Quintilianum dicentem de clamatione 321. hoc modo: *Nulla amicitia potest*

Amor erga fratres carnales extollitur nimis.

potest esse tam fælix qua imitetur fraternitatem Quis enim amicior quã frater fratris? Et præterea Hesiodum Poetam qui dixit.

Sed nec Germano quisquã est æquãdus Amori.

Et causam huius rei assignat, nam amor inter coniuges est ascititius, seu aduentitius: amor autem patris in filium non est reciprocus, neque æqualis. At amor fratrum est reciprocus, æqualis; vtpote quia fratres hæc omnia habent æqualia & communia, parentes scilicet, vterũ, sanguinem ortum, educationẽ, domum, rem familiarem, disciplinam,&c. Cum quo tamen stare dicit, vt si fratres dissideant inter se, illorum odium sit maius quam aliorum hominum. Quod probat ex sententia Plutarchi dicentis: *Omnem rem qua à sua specie degenerat abire in deteriorem, quam si eam natura ingenerasset.* Posset hoc probare exẽplo optimi vini quod quo delicatius est, & melius, si acescat fit acetum fortissimum, ac rigidissimum. Hæc sententia de fratrum amore maiore, si vera est multo magis verificabitur inter fratres spirituales Christianos scilicet, qui quanuis sanguinem naturalem non habent cõmunem: habent tamen communem sanguinem Iesu Christi per quem geniti sunt spirituali ter: habent Christum communem parentem, communem matrem Ecclesiam, communem disciplinam, ac mores fidei com mune patrimonium cæli, ac denique communem charitatem Dei & proximi infusas, quod vinculum maius, & fortius est quocunque vinculo amoris fraterni. Hac de causa Paulus petiturus à Corinthijs, vt contentiones, ac schismata deponant, primo loco eos fratres nominat, dicens: *Obsecro vos fratres*, spirituales scilicet, vt memores spiritualis fraternitatis erubescãt cõtendere ac diuidi inter se, quod est signum violatæ charitatis ac fraternitatis. Hoc autẽ applicãs Religiosis dico, in illis adhuc maiorẽ reperiri causam huius fraternitatis spiritualis: in illis enim vltra illam fraternitatem Christianam omnibus fidelibus cõmunem; datur etiam fraternitas Monastica, per quam habent communem parentem fundatorem, Franciscum scilicet, vel Dominicũ: eandem matrem Religionem, cũdem cibum corporalem, eundem vestitum omnino) quod in alijs nec fidelibus, nec fratribus corporalibus inuenies) Eandemque monasticã disciplinã: ex qua monastica communi participatione maioris adhuc amoris vinculũ, ac nodus illos deuincit. Saltẽ P N Francis-

Fraternitas christiana magna est.

Fraternitas Religiosorum multo maior cæteris.

K 2 cus

cus in sua regula cap. 6. docet amorem Religiosorum ad inuicem, debere esse maiorem quã sit amor matris carnalis erga filium. Ait enim ibi: *Quia si mater nutrit ac diligit filium suum carnalem: quanto diligentius debet quis diligere fratrem suum spiritualem?* His non obstantibus timeo ne sit necessarium cum Paulo obsecrare, in multis Religionibus, vt propter nomen Domini Iesu Christi idipsum omnes dicant, pacem seruent, & inter se non habeant schismata. Timeo inquam ne in multis Religionibus inueniatur quod statim Paulus subdit explicans schismata Corinthiorum, dicẽs. Hoc autem dico quod vnusquisque vestrum dicit: ego quidem sum Pauli: ego autem Apolo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Ecce hæc est inter aliquos Religiosos loquutio: Ego sum fullani: ille vero Antonij, iste vero Iacobi & cæt. Hæc est diuisio fratres, hæc est zizania ab inimico homine in Religionibus seminatã quæ omne bonum semen supprimit, & omnino Religiones eradicat, & conuellit.

Schisma ta Religiones destruunt.

Et primo quidem quam grande malum hoc sit in Religionibus ostendo primo ab opposito; quam grande scilicet bonum est vnitas, tanto maius malum est diuisio. Et quidem quã grande bonum sit pax, & vnio in Religionibus, colligunt omnes Doctores ad illum Psalm. 133. *Ecce quam bonum, & quam iocundum, habitare fratres in vnum.* Bona enim quæ ibi repeniantur summatim innuitur vltimo versu illius. *Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vsque in sæculum.* Pluunt benedictiones cælestes inter illos qui in Religione viuunt concorditer: & nomine benedictionis cætera omnia bona possunt intelligi. Ab opposito ergo, ecce quam malum, & quam iniucundum habitare fratres discordes, ac diuisos? poterimus enim timere ac dicere: quoniam illic mandauit Dominus maledictionem & cæt. Nec mirum quod dicamus inter discordes Religiosos timendam diuinam maledictionem, siquidẽ Diuus Ieronymus tom. 9. in regula Monacharum cap. primo. *Monasterium sine pace vocent infernum*: cum enim ibi de charitate prius dixerit, quod illa est quæ facit Monachos, ac Religiosos subdit: *Sine hac monasteria sunt tartara, habitatores sunt Dæmones. Ideo mihi dilectæ filiæ, licet longa vos macerent ieiunia, abiecta, & nigra vestis deformet, si intus desit charitas ad infimum Religionis gradum*

Psal. 133.

Pacis bona inter fratres,

quæ sint. Monasterium sine pace est infernus.

dum nondum peruentum est. Sic Ieronymus. Et paulo infra eodem capite. *Nulla vita pro certo est deterior quam simul degere corpore, & non mente, & vere infælices sunt quibus non est vna sed diuersa voluntas.* Et tandem in fine capitis, de concordibus Religiosis ait: *Hæc vere vita Dei non diaboli: vere monasterium, non infernus, vere vita Religiosa, non diabolica.* Videsne qualiter D. Ieron. toties monasterium vocet infernum, & vitam schismaticā, vitam diabolicam? Non inuenit ille inimicus homo Matth. 13. maius malum quod posset Agricolæ illi facere, *quam superseminare zizania super triticum.* Quid enim sunt contentiones, & seditiones Religionum nisi zizaniæ superseminatæ supra tot ieiunia, supra tot vigilias, supra tot diuina officia. & orationes, vt forte ista omnia bona propter zizaniam suffocentur. Diuus Gregorius Nazianzenus schisma vocat fumum ignis inferni: cum enim is videret Ecclesiam Constantinopolitanam propter quorundam Episcoporum ambitionem diuisam esse, orat. 14 dixit: *Equidem vereor fratres ne præsens rerum status ignis illius in spectatione positi, fumus quidam sit.* Sic ibi. Et reuera fumus inferni schisma dici potest. Quemadmodum enim multis ad ignem sedentibus si ex igne immo licus fumus consurgat, sedentes cogit surgere, & sic illos diuidit, ac dissociat: eodem modo contentiones, & schismata in Religione à diabolo igne inferni accenso seminatæ, sanctos alias, ac Religiosos viros lædit, dissociat, atque disiungit. Denique non potest amplius exagerari hoc malum quam considerando, quod schisma in Ecclesia æquiparetur hæresi: schismaticus enim, & hæreticus in bulla cœnæ ferme pro eodem reputatur; & sic proportionabiliter de Religionum schismate iudicabitur. Vide præterea quanta damna & incommoda Ecclesia Dei patiatur quo tempore schisma in illa perdu at in electione Summorū Pōtificum: quot Concilia generalia coacta sint ad schismata reprimenda? Eademque mala respectiue in Religionibus propter seditiones, & schismata cogita reperiri. Ac denique tunc locum habet in Religionibus quod supra Lorinus dixerat ex Plutarcho, Religiosorum scilicet maiorem amorem. verti, ac declinare in maius odium, eo modo quo vinum melius, ac generosius vertitur in acrius acetum. Tunc vere possumus cum Ieremia lamentari Thren. 4. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus*

Matth 13.

Schisma, est zizania super triticum seminata, & fumus inferni.

Schisma, & hæresis paum dirant.

Tren. 4.

tus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij? Et vere quando in Religione non viget charitas, obscuratur aurum, quia aurum significat charitatem: quando item Religiosi sine pace viuunt, ac diuisi sunt, dispergi ac diuidi dicuntur lapides sanctuarij, id est, electi lapides Ecclesiæ quales sunt Religiosi: electi inquam lapides non angulares, sed lapides aliàs multis tunsionibus ac pressuris laborum, propter Deum expoliti: qui tamen per schismata disperguntur, & dissociantur à vera Christi charitate: & tunc, quemadmodum, quando in corpore humano ossa aliqua à suo loco, & iunctura diuisa, & dislocata sunt, magnus dolor & clamor corpus occupat: eodem modo quando Religiosi dispersi, ac diuisi sunt, proh dolor, quantus dolor in tota communitate, maxime vero in timoratis, ac iustis Religiosis? adeo vt etiam sæculares tangat, eosdemque eiusdem doloris & participes faciat, & eiusdem vitij seueros merito taxatores.

Lapides sanctuarij sunt Religiosi.

Quæ vero personæ in culpa sint horum schismatum in Religione; dico Diuum Paulum hoc loco culpam assignare solis subditis, & inferioribus inter Corinthios; hi namque inferiores, ignorantibus Petro & Paulo, contentiones illas excitabant, ducti ex eo quod se obligatos sentiebant suis baptizatoribus & vnusquisque suum baptizantem caput constituebat: idque videtur colligi ex illis verbis Pauli: Nunquid in nomine Pauli baptizati estis? Et reuera plerunque ita euenit vt subditi, & inferiores, maioribus placere volentes, & ab illis sperantes, eisdem maioribus deferunt, ac referunt quid agatur, quid agendum: eosque stimulant ad honores assequendos, vt bene sibi sit propter illos. Habemus exemplum huius rei notissimum Numer. 11. vbi cum Eldad, & Medad in castris prophetarent, quidam puer cucurrit, & nuntiauit Moysi, putans fortasse id præiudicare Moysi, indeque aliquid sperans. Quo audito etiã Iosue filius Nun minister Moysi, ait: *Domine mi Moyses prohibe eos.* Idem video fecisse discipulos Ioannis Baptistæ Ioan. 3. qui cũ viderent Christũ Dominũ baptizantẽ, & à turbis quæsitũ, & veneratum, (ait text.) *Venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Vides descriptos hodie multos subditos de minoribus, qui similes omnino sunt his discipulis. Hi namque

Schismatum autores qui.

In Religione subditi aliquãdo sunt autores schismatis.

Num. 11.

Ioan. 3.

que Ioannis diſcipuli putabant adhuc, Ioannem ſuum præcepto rẽ eſſe maiorẽ Chriſto Domino credebant fortè hoc, videntes vitam auſteriorem Ioannis, &c. putabant forte exinde præiudicium Magiſtro ſuo fieri, ſi alter ab illo baptizaret; & famam haberet in populo: ea de cauſa Magiſtro nunciarunt quaſi dicentes, vt honori ſuo proſpiceret. Ecce deſcriptos hodie multos Religioſos qui maioribus, quibus ſeruiũt, & à quibus pendent, deferunt quid faciãt æmuli, & oppoſitores; putãtes in hoc ſe cauſam propriam, ac maiorũ ſuorum agere, cum quo & lites ſuſcitant, & animos ſtimulant ad odia & ſeditiones cauſandas. Ego autem addo, non ſolũ ſubditos, & inferiores eſſe cauſam harum diſſentionum modo prædicto; verum etiam ipſos maiores, & prælatos, cauſam eſſe diſſentionum, quatenus videlicet familiam, ac miniſtros comparare volunt ſuo lucro, intento, & ambitioni deſeruituros. Et culpa illorum in hoc conſiſtit quod inferiores, & amicos volunt ſibi eſſe bene affectos, imo & ſibi eos volunt magis affectos quam Ieſu Chriſto. Non ſunt hodie hi ſicut Paulus & Barnab. Act. 14. qui cum viderent populum eos adorare, & velle illis ſacrificare, eoſque Iouem & Mercurium appellare propter ſanatum claudum: Duo Apoſtoli non curantes ſuum honorem, ſed Ieſu Chriſti, conſciſsis tunicis exilierunt in turbã clamantes, & dicentes: *Viri quid hæc facitis, & nos mortales ſumus, &c.* Non inquam ſic faciunt maiores videntes ſe fere adorari ab inferioribus, & ad æmulationem incitari, non illos prohibent, non veſtes ſcindunt: imo potius iſtis denunciatoribus fauent, illos remunerant, illos ad officia, ſi poſſunt, promouent.

Schiſmatis authores etiam maiores in ordine, & prælatos.

Si autem quæras quæ cauſa finalis moueat hos tam inferiores, tam ſuperiores ad lites has, & diſſentiones excitandas, & ſuſtentandas? Reſpondeo cauſam magis ordinariam ac finalem eſſe, ambitionem qua feruẽt. Hoc imprimis experientia teſtatur, tũ in vniuerſali Eccleſia, tum etiam in particularibus: ſemper enim ſchiſma ex ambitione in electionibus originem habuit. Ambitio nempe eſt ventus qui conturbat mare, & eius aquas diſpergit, & ad ſcopulos allidit. Ambitio nempe fuit quæ primam fecit diuiſionem & ſchiſma in cælis: appetitus enim honoris Luciferi qua concupiuit ſimilis eſſe Altiſsimo, cauſa fuit vt mali Angeli à bonis diuiderentur, & prælium inter illos contentioſum fieret. Illi Doctores, qui dicunt

Ambitio cauſa ſchiſmatis.

Ambitio Angelis ſchiſma cauſauit.

vipreã pariendo mori; hanc causam assignãt, quia scilicet paruu li filij in ventre, eo quod nimis sunt gulosi, auidi, ac rabidi, & exire iam desiderant, præ rabida gula maturum tempus partus non expectant, sed scindũt miseram matrem, eiusque ventrem diuidunt, ac corrodunt donec primus erumpit; & quia omnes præire cupiunt, secundus primũ exeuntem dentibus apprehendens illum occidit; & idem facit tertius secũdo, & quartus tertio. Atque ita misera mater scissa moritur, & omnes filij simul moriuntur, excepto illo qui vltimus prodijt, hic enim solus viuit, quia non habuit alium mordentẽ se. Optima est, & appositissima cõparatio. Ecce quomodo ambitio causa est scissionis, ac diuisionis Id ipsum docuit D. Chrysost. homil. quinquagesima prima ad popul. Antioch. in qua egit de concordia, ibi enim volens illi populo explicare causam discordiæ dixit: *Inter feras illas viuere solitarias, & diuisas, neque viuere gregatim, quæ sunt crudeles immites, & auidæ, seu carniuoræ.* Quod ego magis sic explico, inter volucres videbis illas quæ de rapina nõ viuunt, multas gregatim viuere & consocias, verbi gratia, vides multitudinem carduelium, turdorum, perdicum, & passerũ similium simul iunctos, & socios

Vipera pariendo moritur: & hoc ad ambitionem, & schisma accommodatur.

Feræ rapinæ intendentes viuunt solitariæ non gregatim.

volare greges ac pasci. Accipitres vero, aguilas, miluos, falcones, & similes de raptu viuentes, non videas multos iunctos, sed diuisi, ac singuli tantum versantur, separati ab auibus suæ speciei: cuius causa est, quia cũ prætendunt semper prædam capere timent societatem suorum similium, ne præda multis insufficiens sit: ac proinde diuisi ab inuicem versantur. Idem fere accidit in hominibus: illi enim qui nihil prætendunt, in simplicitate & charitate Christi, læti, vnanimes conuersantur in vnitate spiritus ac voluntatis. Qui vero prædam honoris auent, & appetunt, timentes ne sibi, & alijs insufficiens sit diuisionem, ac schisma faciunt, singulariter viuunt: & spiritu, atque voluntate diuiduntur suoque exemplo malo deijcientes tertiam partem stellarum totum conuentum turbant, & religionem inquietant. Tantam vero turbationem, & inquietudinem causant vt merito suspirare possimus desiderãtes tempus illud, & quietem illã Monasteriorũ eremi, de quibus D. Ieron. testimonium perhibet in regula Monacharum tom. 9. cap. o. sic scribens: *de Monasterijs charitate plenis Sic simplicia & humilia corda obediẽtia, & humilitatis innitebantur vestigijs, vt quasi quorundam Philosophorum videretur*

Ambiẽtes diuiduntur in charitate.

tur in eis verificari opinio, qui vnam ponunt in hominibus vniuersis animam solam. Nam & Abbates, & patres nihil omnino velle sciebant, nisi illud quod subditi: & subditi antea conabantur iussa implere quam forent emissa, & quibusdam quodammodo indicijs nitebantur prophetare de voluntate mandantis. Sic Ieron. O fælix tempus, ò fælices conuentus, in quibus sicut refertur aliquando tria millia monachorũ viuebant teste Augustino lib. 1. de moribus Eccles. cap 31. & in tot monachis vna anima videbatur tantũ illos informare propter voluntatum amorem, & vnitatem, iuxta illud Act. 4 *Quando credentium erat cor vnum, & anima vna.* Hodie vero videas paucos monachos in cõuẽtu adeo propter terrenorum appetitus inquietos, vt in illis non vnam animam sed in singulis mille animas, mille voluntates liceat intueri. Vt multis competat illa D. Bernar. querela in epist. ad Guillelmum Abbatem dicentis. *Fusi sumus exterius & de Regno Dei quod intra nos est relictis veris ac perennibus bonis quærimus vanam consolationem de vanitatibus ac insanijs falsis: ac iam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus sed nec speciem retinemus* Sic Bernardus. Et nos maiori iure de nostris temporibus dicere possumus. Vidimus satis quam graue malum sit schisma religionum: & à quibus personis caufetur: restat iam de remedio moneamus.

Act. 4.

Quod ergo attinet ad primos inferiores scilicet, quos ex mente Pauli diximus controuersias, & lites causare, deferendo ad maiores: illis Paulus de remedio prouidens hoc loco, & illos arguẽs, dixit. *Nũquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Quasi dicat: conclamatis pro Paulo, quia forte illi vos debitores agnoscitis ob baptismum ab illo receptum & ideo seditionem excitatis: quare non recognoscitis vos magis debere Christo, qui pro vobis crucifixus est, & qui est principalis baptizans, vt illi tantum, & non hominibus placere velitis? Hoc inquam subditi meminisse debent ne ad maiores cum delationibus recurrant, eorum animos exarcebãdo, eorumque nomina conclamando, meminisse inquã debent se soli Christo debere, & non hominibus, vt propter homines Deum offendere præsumant. Hoc idem eleganter videtur docuisse Paulus ad Rom. 13. dum dixit. *Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis* O miram doctrinam! præmiserat ibi in proxime præcedentibus verbis: *Reddite ergo omnibus debita, &c.* Sed subdit quod diximus: *Nemini quidquam debeatis nisi vt diligatis inui-*

Schisma-tis reme-diũ recog-noscere plus debe-ri Christo quam ho-minibus.

Rom. 13.

inuicem. Id est: ita vos agnoscite hominibus debitores vt hoc debitum diligendi semper proximũ cætera omnia illa debita antecellat: & ita cætera debita reddite, vt non detrahatis, neque lædatis amorem proximi cui detrahitis. Quinimo illi amico maiori, cui querelas defertis amorem nõ impenditis sed illum conturbatis spiritualiter, & corporaliter inquietatis Quod deinde attinet ad maiores, qui & inferiores auscultant deferentes sibi querelas, quæ sunt iurgiorum, & dissidiorum causæ, illos oportet omnino Moysem sanctissimum, & mitissimũ imitari citato cap. 11. Numer. qui illi puero, Iosue denuncianti, indignans ferre sic respondit. *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum*. Hæc est responsio danda à maioribus: *Quid emulamini pro me*: Nolite pro me contentiones, & conclamationes assumere: vtinam omnes prophetent, & æquales mei sint. Dicant etiam quod Ioan. Baptista cit. 3. Ioan. cap. dixit discipulis suis: *Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Illum oportet crescere, me autẽ minui*. In quibus se, vt par erat, inferiorem agnouit: ac discipulos suos ad Christum amandum erudiuit. Dicant denique quod Paulus hoc loco schismata rescecans respondit: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis*: quasi dicere. O homines, ne me plusquam Christum diligatis, nam illi magis debetis Ecce quomodo Ioannes, & Paulus suos discipulos deterrent ne se plusquam Deum diligant: sed soli Christo Domino deseruiant Recordentur magnates, & maiores illius Psal. 71. vbi dicitur: *Suscipiant montes pacẽ populo, & colles iustitiam*. Videlicet illi qui montes, & maiores sunt in Ecclesia, debent sibi, ac populo pacem suscipere, & procurare, seu prouidere ne sui causa in populo pax turbetur. Debent & maiores, & magnates inter se inuicẽ dicere illud Genes. 13. quod Abraham dixit Loth, cum enim simul ambo habitarẽt, nec terræ angustia vtriusque numerosos greges capere posset, Abrahã cõseruandæ pacis gratia, videns iurgia quotidie oriri inter pastores vtriusque, dixit ad Loth. *Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus*. Vide humilitatem, & mansuetudinem Abraham, cum esset ipse senior, & potẽtior, ipse prior cessit, & optionem dedit Lot Iuniori, vt vel dexteram terræ partem, vel sinistram eligeret vt uitarentur iurgia ac seditiones inter pastores vtriusque: & pro causa solum assignauit hoc: *Fratres enim sumus*: O pulchram causam,

Maiores nõ auscultent inferiores delatores.

Num. 11.

Ioan. 3.

Psal. 71.

Maiores debent pacem procurare minoribus.

Genes. 13.

ſam & omnibus religioſis conſi derandam, ac reddendam. Vt cū ſcilicet occaſio turbandæ pacis offeratur maioribus, vel inter ſe, vel inter amicos ſuos: is qui maior eſt vel potentior, dicat: elige dexteram vel ſiniſtram, ne ſit iurgium inter nos, fratres enim ſumus ac religioſi tot ex titulis obligati pacem, & amorem conſeruare. Ad hoc tendit illud Pauli 1. ad Corinth 6. dicentis: *Frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles. Iam quidem omnino delictum eſt in vobis quod iudicia habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Sic Paulus.

Fraternitatis recordatio debet pacem cōſeruare.

1. ad Cor. 6.

Denique ad hoc vitium ſeu peſtem ſeditionum, ex religione tollendam conſiderent omnes religioſi maiores ſimul, ac minores quod dæmones inter ſe non ſunt diuiſi, hoc expreſſe colligitur ex eo quod Chriſtus Dominus docuit Luc. 11. cum Phariſæorum calumniam retunderet, dicentium ſe in Beelzebu eijcere dæmonia. Vna enim ex rationibus quas pro ſe Chriſtus Dominus attulit, fuit: quod Sathanas non pugnat, neque eſt diuiſus cōtra alium diabolum: dicens. *Si autē & Sathanas in ſe ipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius?* Ecce quomodo diabolus à diabolo diuiſus non eſt: & tamen homo ab homine, chriſtianus, & frater monachus à fratre ſpirituali diuiditur, ſicut cœlum à terra. Congruit cum hoc dictum Auguſtini 12. de Ciuit. cap. 22 dicens: *Quod beſtiæ eiuſdem ſpeciei inter ſe non dimicant*, & tamen homines inter ſe ſunt crudeliores beſtijs. Verba Auguſtini ſic habent. *Hominum genus ex vno eſt ad concordiam propagatum, neque enim vnquam inter ſe Leones, aut Dracones, qualia homines bella inter ſe gerunt.* Recordentur etiam omnes illorum animaliū quæ Deus Geneſ. 11. introduxit in Arcam Noe, qui per vnum annum integrum ibi cōmorantia, illa quæ carniuora erant, neque cum alijs pugnarunt, neque carnem commederunt ſed in maxima pace vixerunt vt citato capite oſtendit Benedictus Pereira diſput. 13. Quid enim ſunt monaſteria niſi quædam Arca Noe? Ad monaſterium tanquam ad tutiſſimam Arcam gratia euadendi mundi aquas, ac tumultus adducit Deus vnum ex vna ciuitate, vnum ex alia diuerſa, alium ex alia, & aliquando ex diuerſis regnis, omneſque differētes, ſanguine, & moribus, & aliquando prauis moribus aſſuetos tanquam feras, omneſque in arca monaſterij claudit a foris, eo modo quo animalia ad arcam Angelorum miniſterio adduxit ex remotiſſimis regnis, Leonem ſcilicet, Elephantum, Lupum, & ſimilia: quid

Pacem inter ſe dæmones ſeruant.

Luc. 11.

Beſtiæ eiuſdē ſpeciei pacē ſeruant.

Geneſ. 11.

Animalia in Arca Noe, neq; pugnarūt, neque carnē comederūt per annum.

Monaſterium Arca Noe.


quid ergo minus speretur ab hominibus quam à bestijs: Hæ ibi cum essent irrationales carniuoræque cum essent multæ, & alijs inimicæ, feritati, & auiditati pepercerũt, tranquillæ fuerunt, eo quod illuc diuino ministerio sunt aductæ. Quid non idem faciant homines rationales diuinis inspirationibus in arca monasterij propter Deum inclusi? Recordentur denique illius facti Ezech. 37. cum Ezech. in campo vidit multa ossa arida, diuisa, & dissociata adinuicem, & vnũquodque extra iuncturam suam, quibus cum Dei nomine dixisset: *Ossa arida audite verbum Domini &c* Statim subdit tex: *& accesserunt ossa ad ossa vnumquodque adiuncturam suam &c.* Idem fere accidit quando in aliqua communitate iurgia vigent, & schismata regnant: homines illius, ossa arida dici possunt, arida sine succo charitatis: & dura quia inspirationibus Dei resistunt: & præterea dissociata sunt ista ossa, & vnumquodque est extra suam iuncturam, & suum statum. His ergo dico in nomine Domini. *Ossa arida, audite verbum Domini*: Hoc nẽpe verbum Pauli, quod verbum Dei est *Obsecro vos per nomen Domini nostri Iesu Christi vt non sint in vobis schismata.* Faciat idem Christus Iesus, vt per gratiam ipsius, & per considerationem omnium quæ supra adduximus, accedat vnumquodque, ad iuncturam suam, & vt amoris vinculo vniti omnes religiosi cõsurgat corpus communitatis pulchrum hìc per gratiam & postea per gloriam. Amen.

Ezech. 37

Monachij diuisi sunt ossa arida Ezech.

EXOR-





EXHORTATIO X.

VT EVITENTVR OBLIGATIONES PARENtum, atque cæterorum sæcularium.

Domine permitte me primum ire, & sepelire patrem meum. Iesus autem ait illi: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Math. cap. 8.

Math. 8.



NARRAT Mathæus cap 8. quod quidam ex Christi Discipulis, prædictam licentiam ab illo postulauit: eique negatiue proximis verbis fuisse responsum. D. Chryst. ad hunc locum cum Abulens. & alijs credunt patrem huius discipuli iam fuisse mortuum, illo scilicet tempore, quo hæc licentia petita est. Alij vero vt Theophilatus Lucæ 9 credunt nondum fuisse mortuum: sed fuisse senem ac moribundum: & hunc Discipulum petijsse licentiam, vt moraretur cum Patre suo illius, ac domus curam agens, eoque defuncto rediret: quodcunque fuerit, historia multum inseruit intento in titulo proposito: quod sic applico.

Mortuos sepulturæ tradere adeo moritorium est, vt magnus ille Tobias senior ea partim ex causa, Deo fuerit aceptus, & ab illo remuneratus: sicut eidem ab Ange-

Sepulturæ mortuos dare, meritorium est

Angelo Raphaele fuit declaratum. Tobiæ cap. 12. dicente. *Quãdo orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos*: & paulo post. *Et mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas, ego obtuli orationem tuam Domino.* Et Act. 8. viri illi qui sanctum Stephanum sepelierunt vocantur, *viri timorati.* Quod si, hoc facere viris extraneis, & non consanguineis, meritoriũ & quasi debitum fuit: id facere parentibus videtur magis debitum, ac meritorium Hac de causa profecturo Iacob in Ægyptum ad videndum Ioseph, dictum est à Domino quod ipse Ioseph clausurus esset in morte oculos ipsius Iacob, vt habetur Genes 46. quæ erat cæremonia facienda morienti ab eo qui sibi in vita foret dilectior. Et infra cap. 50 Genes. miro apparatu, ac flectu, & sumptibus ipse Ioseph cum fratribus patris Iacob exequias, & sepulturam curarũt. Quæ cum ita sint videretur fortasse hic Christi Discipulus iustum quid â Domino postulasse. Iustior autem ipse Christus Dominus respondit: *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*: Qua si diceret, non decet, vt postquam aliquis ad meum discipulatum, & sequellam admissus est, iterum de parentum rebus, aut vita curet. Credo, nullibi aliud maius exemplum reperiri ad erudiendos religiosos, qui immodice, & absque necessitate ad parentum, & consanguineorum res curandas post professionem reuertuntur. Dico absq; necessitate, quia si parentum necessitas fuerit extrema, faciendũ erit quod Theologi docẽt: de patre autem huius Discipuli non narratur extrema necessitas: si enim iam mortuus erat, non indigebat extreme. Si autem uiuus, forte diues erat, & habebat vnde aleretur. De religiosis vero absque necessitate parentibus, & consanguineis addictis dicturus, imprimis referam dicta Sanctorum Patrum, circa hanc materiam, deinde causas eiusdem rei assignabo ad maiorem doctrinam.

Act. 8.

Oculos claudere morienti solebãt illi qui magis chari fuerũt in vita

Gen. 46.

Gen. 50.

Parentes, & sæculares vitandi à religioso

Primo ergo occurrit præclarum hac de re illud dictum ac responsum Abbatis Apollo apud Cassianum collat. 24. cap. 9. in monasterio eremi digentis Ad quem, cum quidam eius frater sæcularis veniret, petens vt é monasterio exiens nocte veniret secum, ad euellendum bouem é cæno cui inhærebat, quia illum solus non poterat eruere Abbas Apollo quæsiuit ab illo. *Cur ait, maiorem fratrem nostrum etiam sæcularem, quem propiorem habebas preteristi, qui te potest ad hoc iuuare? Quem cum iam mortuum frater retulisset, neque illum se potuisse è sepulchro euocare: Abbas Apollo sequentia*

tia verba respondit. Ignoras ergo me quoque ante annos viginti huic mundo fuisse defunctum, nullaque iam posse de huius cellæ sepulchro, quæ ad præsentis vitæ pertineant statum, tibi conferre solatia? Quem in tantum Christus ab intentione mortificationis arreptæ, vel modicum ad extrahendum bouem tuum non patitur relaxari, vt ne breuissimi quidem momenti inducias pro patris indulserit sepultura, quæ multo vtique celerius, honestius, & religiosius fuerat exhibenda? Sic ille ibi. Hunc primum locum afferre volui quia nostrū thema citat, & explicat: & nostro proposito est valde accōmodus: vbi videas in quibus sæpe nostri consanguinei nos occupent, in bouibus scilicet eruendis eluto. & in similibus illorum angustijs quæ omnes cænosæ, ac luteæ sunt. Quibus cum citato Abbate debemus dicere nos religiosos iā mortuos esse, nec proinde opem ferre posse, maxime cū neque ad sepeliendos Patres Christus Dominus licentiam nobis indulserit Nec profecto minorem doctrinam, & exemplum continet factum ab illo religioso alterius monasterij de quo idem Cassianus refert lib. 5. de cænobiorum institutis cap. 32. qui cum post annos quindecim multas epistolas recepisset à patre, matre, & amicis ex prouincia ponti: accipiens grandem fasciculum litterarum, diuque apud se voluens: *Quantarum inquit cogitationum erit mihi causa harum lectio? quæ me vel ad inane gaudium, vel ad tristitias infructuosas impellent quot diebus horum recordatione qui scripserunt intentionem pectoris mei à proposita contentione reuocabunt: post quantum temporis digerenda est hæc mentis cōcepta confusio si semel animus litterarum permotus affectu eorum recensendo sermones, ac vultus quos tanto tempore dereliquit iterum eos reuisere ipsisque cohabitare & animo, ac mente cœperit interesse:* & paucis interiectis subdit. *Itaque vt eum constrictum, susceperat, igni tradidit concremandum Ite, inquiens, cogitationes patriæ pariter concremamini, nec me vlterius ad illa quæ fugi, reuocare tentetis* Sic ibi. Conferamus hoc cum multis huius sæculi religiosis, qui non solum parentum, & consanguineorum; sed etiam vanorum amicorum nuntios, & epistolas solius vrbanitatis gratia expectant, & per cursores ordinarios à remotis regnis procurant, etiam cum expensis, ex quibus nuntijs, & epistolis, solas curas, & vanas cogitationes hauriunt, per quas cor sæculare induunt, & sæcularibus curis ac cogitationibus distrahūtur. Non recordantur hi verborum illorum quæ Christus Dominus Ioan 2. dixit Sanctissimæ Matri suæ Deiparæ: *Quid mihi, & tibi est mulier?*

Exemplū optimum de vitādis cōsanguineis.

Exemplū aliud de vitantis parentibus

Ioan 2.

lier? Quibus adeo dilectam, & sanctam parentem allocutus, docuit quomodo religiosi ad Dei sequellam iam vocati se gerere debeant cum suis parentibus. Sic enim citatum locum exponit Bernardus serm. 2. Dominicæ 1. post oct. Epiphaniæ, in quo suos monachos sic alloquitur. *Vt quid ergo fratres, vt quid sic respondeat prius? vtique propter nos, vt conuersos ad Dominum iam non solicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illæ non impediant exercitium spirituale* Sic ibi. Et paulo infra subdit *Optime ergo nos docuit Dominus ne soliciti simus super propinquos carnis nostræ plusquam religio postulet, quando ipse matri, ac tali matri respondit: Quid mihi, & tibi est mulier?* Et ibidem ad idem citat Bern aliam responsionem similem Christi Domini Marc. 3. qui cum in concionando esset occupatus, illique nunciaretur: *Ecce Mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te*: Respondit. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei:* Quasi docens religiosum, patrem, ac matrem, & fratres sæculares ignorare debere. Quem locum explicans Chrysostomus hom. 38. in Ioan dicit: quod cum parentes spiritalia impediunt, ne cognoscendi quidem sunt Et quidem cum ab illis petita, legi Dei vel regulæ religionis contradixerint: tunc illis maxime dicendum est Quod Christus Dominus dixit diuo Petro carnali sibi affectione persuadenti, ne pro hominibus pateretur Math. 16. *Vade post me Sathana, scandalum es mihi.* Idem vero Chrysostomus citatus à Granat in Silua locorum ver. renunciatio acrius, & clarius cum monacho agens sic inquit *Quid quæris patrem, quid quæris matrem? Aut Christiana est mater aut non est christiana aut sancta est, aut peccatrix: Si sancta est gaudet quod seruis Domino: si peccatrix dimitte illam quia mortua est.* Sic ibi. Nec minus expertus, ac monachorum instructor Ieron. in epistola ad Fabiolam, hoc idē nostrum thema citans de monachis sic inquit. *Multa nos facere cogit affectus, & dum propinquitatem respicimus corporum, & corporis, & animæ offendimus Creatorem Discipulus ad sepulturam patris ire desiderans Saluatoris prohibetur imperio: quanti monachorum dum patris, matrisque miserentur suas animas perdiderunt?* Hæc Ieron & re vera ita sæpe euenit vt affectus carnalis parētum ad multa nos impellat, quæ sunt contra legem Dei, ad iram scilicet, iniurias illis factas recordantes: ad complacentiam de malo, ad auaritiam, ad vanam gloriam, & similia quæ vitare oportet eos qui illos reliquit.

Iam vero quæ causa, & ratio mouerit Christum Dominum vt huic

Marc 3.

Parētibus aliquādo dicitur, vade Satana

Math. 16.

Parentum affectus multorū animas perdidit monachorum.

huic Discipulo sepeliendi patrem licentiam denegaret, tangitur à Chrysostomo hoc loco hom. 28. vt scilicet occasiones peccandi illi abscinderet. *Oportebat nanque, ait Chrysostomus, illum sepulturæ patris intendemtem testamenti, legatorisque exequi iussa, & voluntatem, præterea hæreditatis possessionem vel sibi optare, vel alteri tradere.* Et subdit Chrysostomus: *Deinde in aliud ex alio quasi vndarum fluctibus distractus procul à portu salutis iactaretur, quæ ne illi acciderent secum esse ipsum Christus iubet &c.* Sic Chrysostomus itaque mēs illius est, Christi Domini intentionē fuisse etiā in opere illo, vt videbatur pio, fugiendas, ac vitandas omnino sibi esse occasiones cadendi. Et re vera quis est qui in occasionibus positus fortis sit, ac se contineat: vt illas effugere non debeat sicut ipsum dæmonem? Primum mihi occurrit ipsius nominis interpretatio; occasio enim ab, occìdo deriuatur, quod significat interficere: aut deducitur ab occìdo, quod significat cadere: & à quocunque descendat manifestum periculum secum inducit, aut perimendi, aut cadendi. Et quidē homo qui in mala occasione positus. sperat se liberū euasurum, ea que cōfidentia talem occasionē arripuit meo iudicio, miraculum petit, aut sperat sibi fieri. Habemus hoc ex Ecclesiastico 21 vbi de homine qui diues existens: *Non abijt post aurum, nec sperauit in pecuniæ thesauris:* Habente scilicet occasionem abeundi, & sperandi, dicitur: *Quis est hic, & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua: qui potuit transgredi, & non est trangressus, facere mala, & non fecit, &c.* Ecce quomodo dicitur facere mirabilia homo qui in occasione positus, & potens transgredi non est transgressus: & sic miraculum expectat à Deo qui malā occasionem amplectens se non casurum confidit. Pulcherrimum & appositissimum huius rei, ac periculi exēplum habemus apud Augustinū lib. 6. confess. cap. 8. vbi narrat de amico suo Alipio, qui omnino ludos gladiatorios abhorrebat: ab amicis tamē persuasus, solicitatus vt illos ludos adiret, ne illos contristaret; proposuit ire: ita tamen in illis asistere corpore, vt animo longe abesset. & ita corpore asistere decreuit, vt oculos corporeos omnino clauderet ne illos videret: quod & fecit: cumque ibi clausis oculis moraretur: contigit vt in quodā pugnæ casu, grandis populi clamor illum pulsaret, qui statim curiositate victus, quidnam illud esse scire appetens, oculos aperuit Et verba elegantia Augustini sunt hæc *Aperuit oculos, &*

Sepeliendi patrem licentiā cur Christus Denegauit

Occasiones peccādi omnino vitādæ, & nemo in illis fortis est,

Ecclef. 21

Occasionem non euitans & confidens victoriam se assecuturū, sperat miraculū.

Exemplū optimum de periculo occasionum.

percussus est grauiore vulnere in anima, quam ille in corpore quem cernere concupiuit : & aliquibus in teriectis inquit : *Quid plura, spectauit, clamauit exarsit : abstulit in de secum insaniam qua stimularetur redire non tantum cum illis à quibus prius abstractus est. sed etiam præ illis, & alios trahens.* Sic Augustinus. Ecce re vera quod multis accidit occasionibus se ingerentibus: sæpe nolentes accedunt, & cum firmo proposito, vt sibi videtur, non consentiendi: sed proh dolor in illis constituti, non solum consentiunt, & delectantur, sed etiam pro illis postea suspirant, & ad illas non solum accurrunt, sed etiam alios trahunt, & inuitant. Hac de causa, Christus Dominus de occasionibus vitandis loquens Math 19 rigurosum illum modum loquendi adhibuit, *vt etiam oculum, manum, ac pedes amputandos*: & abscindêdos esse dixerit si nobis scandalum, & peccandi occasionem præbuerint. Quo loco D. Ieronimus ad nostrum hic intentû, nomine pedis, manus, &c. cognatos, & propinquos intelligit. dicens: *Si quis ita est tibi coniunctus vt manus, pes, &c.* & paulo post: *Melius est, vt & propinquitate eius, & emolumentis carnalibus careas, quam dum vis lucrifacere cognatos, & necessarios causas habeas ruinarum.* Hæc Ieronimus.

Math. 19.

Secûda causa ob quam Christus Dominus lientiam hanc ad sepeliendum patrem denegarit, esse potuit, ne forte amorem Discipulus diuidiret, cum Deo scilicet, ac patre. Deus enim zelotes in amore consortiû non patitur. Hac de causa diuus Paulus 1 ad Corinth. 7. quanuis matrimoniû sanctum sit, & Sacramentum, nihilominus ad illud non inuitat, sed magis illi virginitatem præfert : & causam reddit quia homo coniugatus diuisus est: sic enim ait. *Qui autem cum vxore est solicitus est quæ sunt mundi, & diuisus est.* Ecce quomodo obligationes sanctæ, & matrimoniales diuidunt à Deo, cum homo propter vxorê, relinquere teneatur, & patrem, Math. 19. quantû ergo diuident religiosum à Deo, obligationes voluntariæ erga parentes quos iam reliquit propter Deum? Huc pertinet illud vulgatissimum Augustini dictum in confess. *Minus te Domine, amat, qui tecum aliquit amat quod propter te non amat.*

Deus non patitur cô sortium in amore.

1. Cor. 7.

Math. 19.

Voluit item Christus Dominum Discipulum, & nos admonere, sæpe diabolum virtutis specie latens peccatum velle occultare, & sic sub illa pia specie succurrendi parenti, parabat illi insidias cadendi, vel à Christo discendi. Et hoc vsitatum valde est in tentationibus, vt nunquam diabo-

Peccatum sub virtutis speciei vitandum.

diabolus peccatum ipsum nudũ ob oculos proponat, sed alicuius virtutis specie ornatum. Sic Pharizæis, ac Scribis Christi Domini mortem nudam non obiecit: sed sub specie boni communis, & quietis publicæ Ioan.11 *Expedit vt vnus moriatur, ne veniant Romani, & tollant locum nostrum, &c. quæ ibi concionatores solent aduertere.* Ita vt verum sit illud Iuuenalis Satyra 14.

Ioan.11.

Fallit enim vitium specie virtutis, & vmbra.

Quod si, vt hucusque vidimus, parentum obsequium adeo religioso nociuum, & à Deo interdictum est, quanto magis id illi prohibitum erit cum aljis sæcularibus plus debito conuersari, qui neque parentes sunt, neque consanguinei? Audiatur tantum Casianus lib.11.instit.ca 7 vbi dicit: *Religiosis valde periculosum esse, etiam Episcopis adhærere.* Eius hæc sunt verba. *Quapropter hæc est antiquitus patrum permanens nunc vsque sententia, (quam proferre sine mea confusione non potero, qui nec germanam vita repotui, nec Episcopi euadere manus) omnimodis monachum effugere debere mulieres, & Episcopos, &c.* Occurrit mihi exemplum admirable Patris nostri Francisci de quo prima parte Chronicarũ nostrarum dicitur, quod cum aliquibus diebus Romæ moraretur in domo Cardinalis sãctæ Crucis viri sanctissimi eiusque deuotissimi, idque facere nolens, & omnino à Cardinali sollicitatus suæ consolationis gratia: quadam nocte eius in domo à dæmonibus fuit acerbissime cæsus, & flagelatus Pater Seraphicus: quod sequenti die narrans Cardinali, attribuit id sibi â Domino: *Iussum fieri eoquod relictis fratribus ipse cum Cardinali in pallatio versaretur.* Si autem Seraphicus Pater tanquam Angelus in dicta domo viri sanctissimi immorans talia passus est: quid dicemus de religiosis, qui se adeo sæcularibus addicunt, vt eorum rem familiarem ferme velint tanquam villici curare, & procurare? Mitto multa quæ de hoc maxime Bernadus, & Ieronimus docent, & clamãt. Hoc tantum dico quæsiuisse aliquos Philosophos causam quare inter septem Planetas cæli, sola Luna maculosa sit, & sæpius apparet maculis, & quasi sordibus fæda; alijs Planetis lucidissimis absque labe apparentibus. Et non defuerunt qui dicerent, eius rei causam esse maiorem vicinitatem quam habet terra cum Luna: nam é terra quasi ascendunt vmbræ, exhalationes, & quasi sordes quæ Lunam

Sæculares etiam Episcopi, vitãdi à religiosis.

Pater N. Frãciscus verberatus à dæmonibus propter assistentiam in domo Cardinalis santissimi.

Religiosi aliqui vt villici sæcularium.

Luna cur sola inter planetas maculosa appareat?

nam obfuſcant: ſaltem quo ad noſtrum conſpectum: cæteri vero Planetæ quia remotiores à terra ſunt, ſimiles maculas non patiuntur. Ecce quomodo etiam Lunam terræ vicinitas, & conuerſatio maculat, & fædat. Idem accidit in religioſis: quo magis terræ, & ſæcularibus fuerint vicini, & cum illis verſati, eo plures in anima ſordes, ac maculas contrahent, quibus religioſa puritas, ac ſplendor maculetur, ac deperdatur.

Sæcularium vicinitas ſordidat monachũ.

Non omittam hic aduertere quod & Chryſoſtomus notauit homil. 28. citat. ad hunc locum: videlicet hunc Diſcipulum ob denegatam ſibi à Domino talem licentiam, non fuiſſe conqueſtum, non dieceſſiſſe à Christo, ſed cùm illo manſiſſe. Verba Chryſoſtomi ſunt: *Illud mihi ſolet videri mirabilius quod cum ſibi negatum eſſet quod petebat, non grauiter tulit ſed æquo animo cum Ieſu, veluti iubebatur, permanſit.* Sic ille. In quo forte vides notatos multos religioſos qui eo ipſo quo illis à prælatis quæuis licentia denegatur, & aliquando iniuſte petita, ſtatim illis prælatis infenſi ſunt: eoſdemque ſibi inimicos nominant. Hi nempe ſunt qui ſuas conſolaciunculas à Filo ſuſpenſas trahunt: illiſque denegatis, ſibi vitæ vſum ſentiunt denegari. Non recordantur huius Diſcipuli patienter ferentis ad ſepeliendum patrem licentiam non indultam. Quibus hoc tantum occurrit dicendum: quam iuſte de medico queri poteſt infirmus eo quod ſibi vetet ne comedat cibos nociuos, neve ad locum contagioſum accedat? Et hoc etiam ſi aliquando medicus imprudenter faciat, id eſt cum exceſſu id prohibeat; quis contra illum odium concipit? Eadem conſideratione religioſus armetur, & credat prælatum de ſua ſalute magis vigilantem, ea ſibi interdicere quæ ſpirituali ſaluti proſpicit non conuenire.

Religioſi indignati ob licẽtias ſibi denegatas.

Reſtat ergo pro huius rei complemento, generalique exhortatione, vt religioſus in hac materia imitetur vacas illas 1. Reg. 6. *Quæ cum implauſtro iungerentur ad portandam arcam Dei, vituloſque paruulos domi relinquerent: illæ ſub iugo mugientes, & pergentes ibant in directum, & non declinabant neque ad dexteram neque ad ſiniſtram* Sic ſe debet habere bonus religioſus iugo regulari ſubiectus pergat, & mugiat: mugiat affectus carnalis ſolicitet, & trahat, ſed ratio pergat in directum iuxta regulam ac legem Dei, non declinando ad

1. Reg. 6.

Religioſus vadat via recta gemens non declinans ad dexterã nec ſiniſtram parẽtum.

Psal. 124. ad dexteram, vel sinistram meminerint dixisse Dauid Psal. 124. *Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem:* Qui enim religiosus ad sæcularium obligationes declinat, iam ad sinistram declinat. Meminerint Nazaræis in lege veteri prohibitum fuisse pollui super patre, aut matre mortuis De quo Viegas super Apocalyp. fol. 424. videant de hoc à suæ religionis habitu illos admoneri. Nã cæteri sæculares in parentũ obitu, vestes lugubres, ac tristes assumunt, ad ostendendum mærorẽ ex illorum morte conceptum: hoc autem religiosis omnino interdicitur, quibus in parentum morte vestes mutare non licet, in testimonium, quod ab illorũ obligationibus iam liberentur.

Habitus monachi monet nõ curandos parentes.

Claudat denique rem præsentẽ sanctũ illud ac virile pectus sanctæ Paulæ, quæ in superando cõsanguineorum carnali affectu extitit omnino admirabilis, & religiosis exẽplum mirificum De illa narrat diuus Ieronimus epist. 27. quæ est ad Eustochium in epitaphio Paulæ. Ibi narrãs quomodo Paula Roma discedens ad visenda loca sancta, cum proposito vitæ monasticæ, & nauim iam vellet conscendere, videns quatuor filios quos Romæ sine patre, & matre relinquebat, & inter illos Ruffinam iam nubilẽ, omnesque prout par erat colacrimantes: inuicta fæmina talibus lacrymis, ac pignoribus à sanctæ vitæ proposito non deterrita (ait Ieron) *Et tamen illa siccos tendebat ad cælum oculos pietatem in filios pietate in Deum superans: nesciebat se matrem vt Christi probaret ancillã. Torquebantur viscera & quasi à suis membris distraherentur, cum dolore pugnabat, &c.* Et paulo infra: *Sulcabat interim nauis mare, & cunctis qui cum ea vehebantur littora respicientibus, ipsa aduersos tenebat oculos ne videret, quos sine tormento videre non poterat.* Sc Ieron. Discat ergo religiosus vir à tanta fæmina, discant & religiosæ moniales quomodo erga parentes, & sæculares amicos se debeant habere, quos reliquerunt. Quod si fecerint assequentur promissum præmium, gratiam, & gloriam, Amen.


Exemplũ S. Paulæ pro vitandis consanguineis.

EXHORTATIO XI.

CONTRA MVRMVRATIONES ET DETRACTIONES.

Si quis autem putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.

Ioan. 1. Iacobi Canon, cap. 1.



Eligiosa profecto sententia, & vt videtur, in religiosos præcipue directa, cum nomen religionis ibi bis ponatur. Idque rigorosius adhuc videbitur si meminerimus, murmurationis vitiũ adeo generale, & cõmune esse, vt Gloss. ordin. super illud Prouerb. 24 *Cum detractoribus ne cõmisceris,* dicat hoc modo *Hoc specialiter vitio periclitatur totum genus humanarum.* Quod ergo generale est diuus Iacobus verbis specialibus applicat religiosis: nisi forte velis ibi nomine religiosi quemlibet intelligi christianum.

Igitur pro tanto vitio, ac tam generali effugiendo primo occurrit dicendum theologice claritatis gratia. Murmuratio, seu detractio, (pro eodem enim hîc accipiũtur hæc duo) diffinitur à Nauar. in Summa Latina cap. 18. numero 17. in hunc modum. *Est significatio alicuius mali cuiuspiam hominis, directa, vel indirecta, qua læditur, vel periclitatur eius fama.* Hæc est clarior difinitio quam hac de re inuenerim, eius particulas clare apud illum vide explicatas. Ego claritatis gra.

Murmuratio quid sit?

gratia præter ibi dicta, ex diuo Thom. 2.2 q 73. art.1.& 2.sequẽtia noto: primo non quodcũque dictum, vel factum lædens famam proximi, esse peccatũ: quia vt bene ibi Nau. aduertit, quãdo quis in iudicio legitime percontatus vere lædit famam proximi non peccat imo meretur, si vera, debito ordine testificetur. Ponit ergo D. Thom. citato articulo primo ad 3. quatuor modos cõmuniores quibus murmuratio, sit peccatũ mortale, directe. Primo quãdo alteri falsum imponit. Secundo quando peccatũ suis verbis auget. Tertio quando occultum reuelat. Quarto quando id quod est bonum dicit mala intẽtione factum Indirecte vero, dicit ibidem posse eandem famam mortaliter lædi, vel negãdo bonũ alterius: vel maliciose illud reticendo, vel illud diminuendo. In quibus omnibus si notabiliter fama lædatur peccatur mortaliter, iuxta mentem D. Thom. ego vero adderem, quod etiam idem peccatũ mortale incurritur si rẽ paruam contra famam proximi dixeris cum animo tamen notabiliter nocendi: quod adeo verũ puto, vt etiam credam peccare mortaliter illum qui narrat virtutem aliquam alterius, putans illã ex concurrentibus circunstãtijs illũ notabiliter infamare, id que in animo intendit. Quod vero murmuratio prædictis modis sit mortale, vltra Doctores citatos, & alios cõmuniter, colligitur ex grauissimis suplicijs à Deo murmuratoribus inflictis Num. 21. & 16. & 12. & alibi sæpe Et confirmat Paulus 1. ad Corinth. 10. dicens: *Neque murmuraueritis sicut quidam eorũ murmurauerunt, & perierunt* Dixi in omnibus modis prædictis peccari mortaliter, quod intellige nisi excuset paruitas materiæ, honoris læsi, vel inaduertentia, &c.

Murmuratio quatuor modis potest esse mortalis.

Murmuratio etiam est dicere virtutẽ alterius cũ malo animo.

Num. 21.

1. Cor. 10.

Porro idem D. Thom. citata q. art. 2. C. dicit, quod ad bonum necessariũ poterit cũ debitis circunstantijs dici, seu reuelari peccatũ proximi, sine vitio murmurationis: eius rei exempla non ponit. Ego cõmuni conclusione dicerem, id licere quãdo in tali peccato seu vitio reuelando maius bonũ prætenditur quã sit fama læsa ipsius proximi. Exempla sequentia sumito: primo quãdo solum prætẽditur euitatio diuinæ iniuriæ, & effectus rationabiliter speratur. Tũc enim erit actus zeli honoris Dei. Secundo quando prætendo euitare malũ mihi impendẽs, vel proximo alicui, ideoque de alterius defectibus fugiẽdis vel impediendis dico. Tertio ad bonũ ipsius cuius famã lædo, agendo scilicet cũ aliquo de modo quo emendabitur. In omnibus enim citatis modis finis præten

Modi quibus potest peccatum alienũ detegi absq; peccato.

tensus, est licitus, & honestus: & est maius bonũ quam honor læsus. Et sic ad arbitriũ prudentis viri poterunt iudicari alij casus quos ad longũ persequi non est meum institutũ. Ex hoc iam manifestũ erit quomodo murmuratio ordinaria sit peccatũ mortale vel veniale iuxta supradicta. Illa enim murmuratio ordinaria, & quotidiana, indignabunda, &c. Cũ non fiat ob aliquem finem bonũ proximi scilicet remediãdi, vel alterius similis, sed solum, ob consuetudinẽ, ob impatientiã, &c. Genere suo peccatum est primo contra patientiã qua iubemur proximi defectus tolerare. & præterea cõtra charitatem: *Quæ operit multitudinem peccatorũ* 1. *Petr*. 4. Est etiam contra iustitiã quia per illam læditur bonũ proximi, videlicet fama. Quãuis enim in ordinaria murmuratione videatur prætendi zelus: ibi tamen indiscrete agitur de zelo, cũ ex tali murmuratione ordinaria neque emendatio speretur, neq; in illa proponatur. Re igitur theologa pro nunc dimissa: ad nostrũ intentũ monasticũ reuertamur.

Cant. 4.

Et quidẽ præter quam quod vt diximus, citato in themate, religiosi specialiter carpantur eosdem: tanquam ad idẽ vitium propensiores videtur notare Bernardus in ser paruis ser 63. ibi enim religiosis applicat illud Cant 4.

1. Petr. 4.

Dentes tui sicut grex tonsarum: Multisque de causis, & comparationibus probat religiosos assimilari dentibus intra os. Vna ex illis causis est, quoniam sicut dentes vniti sunt, & in ordine dispositi, & nihil sordis morari intra se patiuntur, quin statim causetur dolor, & clamor, & molestia: ita religiosi, ait Bernardus, nec modicum offendiculũ tolerabile putant, aut intra se aut in conscientijs singulorum. Quod quidem si solius Dei, & animi intuitu debitis bonis circunstantijs faciunt zelus erit vt supra diximus: & forte hoc ibi etiam intendit Bernardus, qui videtur agere de æmulatione animæ per confessionẽ, & correctionem fraternã: licet verba eius sequẽtia id non indicẽt. Et citata à nobis verba possint ad murmurationem applicari: alia tamen verba Bernardi videbimus infra. Quia tamen ex alijs Bernardus locis vt videbimus, & ex alijs Doctoribus ac praxi constat aliquos religiosos ad hoc esse procliues, rem per capita cõmuniora digeramus: primo contra murmurantes de prælatis. Secundo contra murmurãtes de alijs religionibus. Tertio contra murmurantes de alijs fratribus. Quarto contra murmurãtes de sæcularibus.

Religiosi propẽdẽt ad murmurãdũ plus cæteris.

Quam grauiter ergo Deus ferat cõtra prælatos proprios murmura-

Psal,104. murare, habemus Psalm. 104. illis verbis. *Nolite tangere christos meos:* Id est vnctos, prælatos iue. Et inter omnes expresit Dauid, 1. Reg. 24. etiam circa Regem suum malum Saul, de quo tam iuste poterat conqueri, & tamen in omnia sacra Scriptura maxime 1. Reg. non inuenio locum in quo Dauid contra Saulem videatur murmurare etiam venialiter. Quinimo citato cap. 24. cum serui Dauid illi persuaderent vt Saulem in antro tuto occideret, respondit: *Propitius sit mihi Dominus ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini.* Et tamé sciebat Saulem vltra quã quod esset Rex pessimus, erat sibi inimicus, & seipsum conquirebat ad mortem iniuste · imo & ibidem percusit cor suũ, eo quod partem vestis ipsius amputauerat. Quod factum D. Gregorius 3. parte pastoralis eleganter applicat ad subditos erga prælatos. Verba Gregorij sunt *Quid per Saulem nisi mali rectores: quid per Dauidem nisi subditi designãtur: quem Dauid ferire metuit, quia pia subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes præpositorum vitam nullo lingua gladio percutiũt, & de imperfectione reprehendunt.* &c. quæ applicat eleganter. Imo & cum Act. 23. Paulus iussus esset percuti in os à principe Anania, & ob id illum yocaret Paulus parietem dealbatum: reprehensus Paulus à circunstantibus quod contumeliose respóderet Principi Sacerdotum: respondit: *Nesciebã fratres quia princeps est Sacerdotum. scriptũ est enim, Principem populi tui non maledices.* Sic Paulus pœnitens de maledicentia in prælatum, quam iuste potuit dicere. Et hæc causa fuit cur Christus Dominus Ioan. 18. expostulauerit cum illo suo percussore, eo quod alapam sibi inferret dicens: *Sic respondes Pontifici:* cui Christus Dominus serio causam reddidit, quomodo non iniuriose respondisset. Voluit enim Christus Dominus in illa sua satisfactione purgare se ab opinione falsa, quam ille conceperat, se iniuriose respondisse Pótifici Et hoc bene considerauit D. Cyprian. epist. 55. dicens: *Cũ tempore passionis alapam accepisset à seruo Sacerdotis, cumque ei dixisset: sic respondes Pontifici? Aduersus Põtificem Dominus contumeliose nihil dixit ne quidquam de Sacerdotis honore detraxit, sed innocentiam suã magis asserens & ostendens & cæt.* Est etiam ad rem præsenté exemplum præclarum Michaelis Archangeli apud epistolam Canonicam Iudæ. Cum enim ibi altercaretur cum Diabolo de corpore Moysis non reuelando Nõ est ausus *Michael Diabolo inferre blasphemiam;* id est illi contumeliose

Murmuratio contra prælatos est grauissima.

Act, 23.

Erga prælatũ malũ Paulus summissus & Christus Dominus.

Ioan. 18.

Christus de malo prælato Pontifice non murmurauit.

Michael Archangelus de Lucifero nõ murmurat, eo quod fuerit eius prælatus.

liose respondere: quo loco cõmuniter Doctores intelligunt illum Dæmonem fuisse Luciferum. Et aliqui Doctores maxime Gagneus super 2.Petri epis. cap.2. dicunt, causam ob quam Michael contumeliose Lucifero non responderit, fuisse, quia in cælis Lucifer ante peccatum ratione excellentioris naturæ, cæteris omnibus Angelis fuerat prælatus: & sic recordatus Michael in præsenti altercatione, Luciferum sibi fuisse prælatum, adhuc illum reueritus est, neque est ausus illi exprobrare. Ecce quam reuerentiam malis prælatis exhibent Dauid, Christus Dominus & D. Michael, vt neque illis detrahere tantillum audeãt. Iam vero si humani corporis structuram inspiciamus, inuenimus ipsam naturam mutam hoc nos edocere, quanuis enim in corpore naturali caput languidum sit, multisque ægritudinibus, ac miserijs grauatum, nunquam cætera membra de ipso queruntur, nunquam illud abscindere procurant; semper illi fauent, ac deseruiũt. Quod multo magis in membris rationabilibus expetendum fuerat circa suum caput morale prælatum, vt scilicet, quanuis malum illum sine murmure tolerarent. Porro si accidat quod murmurationes de prælato sint circa cibaria nõ abunde ad manducandum ministrata, taliter murmurantes comparat D. Bernard. serm. 47. ad sororem, filijs Israel in deserto, *qui tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis*, Psal. 77. verba illius audiamus. *Christum tentat qui in monasterio superflua requirendo murmurat.* Et paulo ante sic dixerat: *Quisque seruus Dei debet pensare in corde suo, quam malum magnum incurrit si pro rebus temporalibus murmurat: virtutes enim perdimus si pro cibo vel potu murmuramus.* Sic ille.

Omnia membra reuerẽtur caput.

Psal. 77.

Murmurantes ob defectum cibi & potus.

Veniamus ad murmurantes de alijs Religionibus. Videndus erat pro hoc D Bernard. in Apologia ad Guillielmum Abbatẽ, in quo mire lamentatur, referẽs querelam prædicti Abbatis, dicentis, aliquos Monachos Diui Bernard. murmurasse de Monachis ordinis illius Abbatis. Cui querimoniæ respondens Bernar. primo laborat negare, secundo ex suppositione si ita fuit, tales murmurantes de alia Religione, vocat lupos rapaces, pulices mordentes, tineas demolientes aliorum bonam vitam: imo & quod maius est, vocat illos Pharisæos superbos dicentes cum Pharisæo templi: *Non sum sicut cæteri hominum, &c.* Sed verba Bernardi non fastidiamus audire. *Alijs ordinibus (inquit) derogare dicuntur,*

Murmuratores de alijs Religionibus taxantur.

dicuntur, & suam iustitiam volentes solam constituere iustitiæ Dei nō sunt subiecti: quos profecto (si qui tamen huiusmodi sunt) nec nostri, nec cuiuspiam esse ordinis verius dixerim: quippe qui etsi ordinate viuētes superbe tamen loquentes ciues se faciunt Babylonis, &c. Et paulo infra. *Qui in regula gloriamini cur contra regulam detrahitis?* Sic ille. Et cum paulo infra referat modum particularem murmurandi videlicet, quod prædicti Religiosi Guillielmi, mollibus vestirentur, & tria vel quatuor pulmentaria vna die admitterent, & carne vescentes essent pinguissimi. Respondet illis Bern. vt recordentur, dixisse Christum Dominum, *Regnum Dei intra vos est: hoc est, non exterius in vestimentis aut alimentis corporis, sed in virtutibus interioris hominis.* Et Paulus ad Rom 14. dixit: *Regnum Dei non est esca, & potus sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto* Hæc omnia ibi Bernar. Meminerint quoad hoc Pauli ad Roman. 14. dicentis: *Is qui manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet: Deus enim illum assumpsit, &c.* Fæda namque omnino res est Religiosos, qui vnanimes in domo Dei habitare debent, tanquam cooperatores ad vnum finem, & ad vnam messem, sibi inuicem inuidere, sibi inuicem detrahere. *Nunquid diuisus est Christus?* idem nempe Christus Dominus omnes Religiones instituit pro totius Ecclesiæ commodo, ac salute. Qua de causa omnes inter se seruare debent, illud quod D. Gregor asserit de quouis concionatore, vt scilicet, *quilibet optet, vt veritatem quam solus loqui non sufficit ora cunctorum sonent.* Debent esse in domo Dei sicut Martha & Maria: ambæ sorores, licet vna actiua & altera contemplatiua: vna meliorem partem eligens, altera inferiorē: sed tamen Martha conquesta, hoc solum optabat vt soror Maria illam adiuuaret. Eodem modo licet in Ecclesia Dei aliæ Religiones actiuæ sint, aliæ contēplatiuæ: aliæ meliores aliæ minores, omnes tamen sorores sunt, & ad summum illarum querelæ hæ solum esse deberent, quod à se inuicem non adiuuantur. Dicant illud Num. 11. *Quis tribuat, vt omnis populus prophetet & det eis Dominus spiritum suum?*

Rom. 14. Perfectio Religiosi non stat in cibo, & potu, vel vestitu.

Religiones se debent omnes inuicem adiuuare.

Num. 11.

Tertio Religiosos oportet admoneri vt à murmuratione inter se inuicem abstineant; fæda namque & pessima est. D. Bern. illo serm 63. inter paruos sermones hoc adnotauit manens in illa comparatione qua Religiosos dentibus comparauit. Vbi sic ait: *Non est dolor sicut dolor eorum (id est dentium) quia nihil tam*

Murmuratio de Religiosis mala est nimis.

tam horrendum, & horribile est sicut murmur & dissensio in congregatione. Sic Bernardus. Vbi vocat murmurationem Religiosorum horribilem, & horrendam. Huius ego rei causam assigno, quia & murmurant de fratribus suis, & de sacerdotibus Domini. Et quidem, quam horrendum sit fratribus detrahere constabit ex initio exhortationis nonæ in supra dictis vbi diximus fratres spirituales, quales sunt Religiosi, arctiore vinculo amoris deuinciri, quam fratres carnales: ac proinde quo magis se tenentur diligere, eo illorum murmuratio ad inuicem charitatem violans, fædior, peior, & horribilior est: sicut dolor dentium. Potest id colligi ex supplicio illo lepræ qua Deus respersit totam Mariam sororem Moysi, eo quod contra fratrem suum Moysem murmurauit Num. 12. eleganter hoc docuit D. Ieron. tom. 1. ad illum versum Psal. 119. *Domine libera animam meam à labijs iniquis, &c.* vbi sic inquit: *Non ergo putēt Monachi se debere esse securos, & dicant interim: grandia crimina non facimus in monasterio, non adulteror, non furtum facio, non homicidium facio non parricidium facio, &c. quæ grandia vitia non sunt. Grande scelus est quando detraho fratri meo, lingua mea fratrem interficio, qui enim odit fratrem suum homicida est. Grande vitium est detrahere fratribus, tacere non posse, circuire cellas, alijs detrahere: ego peccator sum, ille peccator est, quid ad te?* Et paulo infra. *Ruina fratris timor tuus esse debet, non exultatio. Responde mihi, frater cecidit, aut lætus es, aut tristis? si lætus es, vt quid in alterius ruina lætus es? si autem tristis es, quid circuis, quid alijs narras? tristitiam tuam Deus videat, & ipse frater sentiat, nō fratrum aures audiāt.* Hæc optime Ieronymus. Quæ libuit extensius referre, quia de Monachis in particulari loquutus est. Neque huic rei defuit iterum Bernar. qui Monachorum mores optime noscens, ac depingens serm. 24. super Cantica modos aliquos murmurandi referens. Primo dicit, esse aliquos *qui ineunt familiaritatem ad maledicendum, & sunt concordes ad discordiam: conciliant inter se inimicissimas amicitias, & antea inimici, fiunt amici ad murmurandum, ac detrahendum, quemadmodum Herodes & Pilatus olim fecerunt in morte Christi Domini.* Secundo modo fratrum murmurationem accidere refert Bernar. verbis sequentibus quæ non possum nō hic transcribere: sic vero se habent. *Alij autem quodam simulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiā quam retinere non possunt adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum grauitate,*

Num. 12.

Psal. 119.

Modi peculiares murmurandi inter fratres narrantur à Ieron. & Bernar.

Murmuratio sub virtutis specie.

uitate, & tarditate, vultu mæsto, dimissis superciliis, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur, ab his qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu, quã maliciose proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere illum. Et alius, mihi quidem, ait, bene compertum fuerit de illo istud, sed per me nunquam innotuisset: at quoniam per alium patefacta res est, veritatem negare non possum: dolens dico: reuera ita est. Et addit grande damnum: nam aliàs quidem pluribus valet, cæterum in hac parte vt verum fateamur, excusari non potest. Sic ibi Bernardus. Ex quibus iam liquet quam graue sit fratribus eo quod fratres sint detrahere, & quibus modis id fiat communiter. Secundo principaliter, vt dicebamus, fratrum murmuratio grauissima est ex eo etiam capite, quod fiat vt plurimum contra Sacerdotes Domini. Potest hic applicari illud Psalmi 104 *Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Sacerdotes enim christi sunt id est vncti in sacra ordinatione consecrati Hoc ipsum prohibuerat Deus Exod. 22. *Diis nõ detrahes*, vbi cum constet, non prohiberi murmurationem falsorum Deorum gentilium quos Deus iubebat abominari: nec loqui de tribus Personis diuinis, hæ namque sunt vnus Deus, nõ vero dii clarum est loqui de sacerdotibus, quos reuerentiæ causa Deos appellat, vt non audeat quisquam illis detrahere. Video ipsum Deum Sacerdotum peccata quodammodo magis dissimulare, & saltem illa in publico non punire. Nam cum Aaron Exod 32. *Consentiret in vitulo aureo conflando* & Numer. 12. *cum sorore Maria simul de Moyse murmuraret*, & *vtrobique vt videtur peccaret*: vtrobique tamen Deus, & populum, & Mariam puniuit, impunito manente Aarone: fortasse quia respectum etiam habuit Deus ad honorẽ, ac reuerentiam Sacerdotis. Alludit ad hoc etiam Christi Domini factum Ioan. 8. cum enim Pharisæi Sacerdotes sibi mulierem adulteram præsentarent, eamque Christus Dominus vellet absoluere: digito scribebat in terra. Et tamen nescitur clare hucusque quæ verba in terra ibi scripserit. Est autem communis expositio cum D. Ieron ibidem quod ibi scripsit in terra peccata Sacerdotum illorum, vt ipsi soli ea legentes desisterent à punitione minoris peccati in illa fœmina. Qua expositione admissa duo ibi considerare licet. Primum, quod Sacerdotes nec ipse Christus directe & publice voluit

Murmuratio contra Sacerdotes taxatur.

Psal 104.

Exod. 22.

Exod. 32.

Num. 12.

Ioan. 8.

Christus Dominus cum digito scripsit in terra quid docuerit.

luit reprehendere,sed indirecte, & occulte. Secundo quod illa

Sacerdotũ peccata magis tegenda.

peccata Sacerdotum scribens in terra, significauit super peccata Sacerdotum terram esse inijciẽdam, ac silentium imponendũ.

Eccles.7.

Ecclesiastici 7. non potuit Deus magis commendare Sacerdotũ reuerentiam & amorem : quam quod simul cum Dei amore, ac reuerentia, commendet amorẽ & reuerentiam exhibendam Sacerdotibus. Sic enim ibi dicitur: *Honora Deũ ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes. & propurga te cum brachijs*. Denique Seraphicus Pater N. Frãciscus, in suo testamento mirifice hoc ipsum docuit de Sacerdotibus sic dicens: *Nolo in eis considerare peccatũ quia filium Dei discerno in ipsis, & Domini mei sunt.* Vide ergo quã sit extra mentem,imo & contra mentem Seraphici Patris Sacerdotum peccata detegere,seu taxare, qui neque peccatum quidem in illis volebat considerare.

Denique quod attinet ad murmurationem de sæcularibus, videtur inseruire illud Pauli ad Galat. 6.

Galat. 6.

Fratres & si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, vide quomodo infirmorum,& sæculariũ delicta, non corripere, sed instruere iubet in spiritu lenitatis:

Murmuratio de sæcularibus interdicta Religiosis.

& ad hoc illos teneri probat, ex eo quod magis spirituales sint. Quo enim magis tales fuerint, & plus diuinum spiritum participauerint,eo similiores debent esse Deo in proximorum miserijs subleuandis. Meminerint minus Deum expectare à sæcularibus, quam à Religiosis. Et Ioannes Baptista militibus prædicans Luc. 3. multo minora ab illis expetijt, *contentus dicere. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.* Recolant etiam quod licet videant sæculares mollius vestiri & delicatius mãducare, ac terrenis exterius occupari: in interiori tamen homine poterunt multis Religiosis esse perfectiores, iuxta illud Christi Domini Matth. 21. dictũ Pharisæis de sua maiori religione cõfidentibus. *Amen dico vobis, quia Publicani, & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Neque vero hoc latuit Patrem N. Franciscũ qui cap. 2. suæ regulæ sic fratribus loquitur. *Quos moneo & exhortor ne despiciant, neque iudicent homines quos viderint mollibus vestimentis & coloratis indutos, vti cibis & potis delicatis: sed magis vnusquisque iudicet & despiciat semetipsum.* Sic ibi. Denique pro eodẽ poterunt inseruire dicta à Bern. Apologia ad Guilliel. Abbatem, vbi sic de fratribus loquitur. *Tunicati*

Luc. 3.

Matth. 21

Sæculares multi possunt præcedere Religiosos licet delicate vestiant & manducent.

Tunicati, & elati abhorremus pellicias, tanquam non melior sit pellibus inuoluta humilitas, quam tunicata superbia. Et paulo infra: *Repleti deinde ventrem faba, mentem superbia cibis damnamus saginatos quasi non melius sit exiguo sagimine ad vsum vesci quam ventoso legumine ad ructum ex saturari.* Sic Bernardus.

Murmuratio præ cæteris trahit nos & conturbat.

Pro compleméto adhuc omnium supra dictorum aduerto sequentia, primum sit Nescio quo modo peculiariter hoc murmurationis vitium nobis adhæreat, & nos trahat vt mirum sit, considerare quomodo in primitiua illa Ecclesia Apostolorū, & Discipulorum Christi, tot persecutiones tolerata sunt, tam stricta rerum abdicatio fuit inuenta, tot vigiliæ, tot orationes, tamque præstantes virtutes; cū his tamen omnibus præsidijs nō potuerunt resistere murmuri inter ipsos exorto. Act. cap. 6. Græcorum scilicet contra Hebræos, quod adeo sanctissimum illud collegium conturbauit. Ita videas Religiosum onustum virtutum, ac meritorum cumulis, ab hoc vitio sæpe superari. Secūdum sit hoc vitium ob sui grauitatem, & damnum quod infert, multis, fædisque nominibus in sacra Scriptura appellari: dicitur enim murmurator & detractor comedere carnes illius, cui detrahit Psal. 26. *Dum appropiant super me nocētes, vt edant carnes meas,* dicitur *venenum aspidum lingua dolosa. laqueus linguæ, lingua serpentis &c.* quæ passim reperies apud sacram Scripturam; vnde facile sit grauitatem, ac fæditatem ipsius considerate. Et communiter hoc tantum vitium ex odio & maleuolentia nascitur, vt notauit August. lib. 50. hom. hom. 2. dum explicat illa verba Psalm. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris* Nascitur etiam murmuratio ab hypocrisi, vt dicit idem Augustinus serm 26. ad fratres in Eremo, & denique oritur communiter ex ambitione, vt experientia testatur cum magna religionum iactura. Claudo præsentem materiam duobus dictis, alterum est D. Ieron. ad Moniales, alterum D. August. ad Monachos. Ieron. epistola ad Demetriadem virginem sic ait: *Nūquam detractio ex ore virginis procedat, vilium satis hominum est, & suam laudem quærentium, alios viles facere. quia alterius vituperatione se laudari putant; & qui suo merito placere non possunt placere volunt in comparatione peiorum.* Nil puto potuit dici præstantius hac de re, vt videas vltra fæditatem culpæ, etiam vrbanitatis notam, ac defectum incurrere murmuratorem. Dictum August. ad fratres in Eremo serm. 26. sic habet.

Actor. 6.

Psal. 26.

Murmuratio nascitur ex odio vt plurimum, & ab hypocrisi, & ex ambitione.

Vide quid est se laudare cum infamia alterius.


bet. *Dedit nobis præcepta vt toto corde Deum diligamus & proximum, sed quomodo diligere eum possumus si susurrones & detractores in Eremo facti sumus. O quam pestis misera, & mortalis est ipsa murmuratio; o quam venenosa. Hæc enim est quæ conuentus clericorum, & ciuitates multas destruxit.* Sic ille. Quod autem murmurans, directe vel indirecte nil aliud prætendat quam famam alterius minuere: expressit Bernardus sermone 24. in Cantica dicens: *Omnis qui detrahit primum quidem seipsum prodit vacuum charitate: deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is cui detrahit veniat in odium vel contemptum ipsis apud quos detrahit?* Sic Bernardus. Faxit Deus opt. Maxim. vt omnes Monachi naturam & conditionem imitentur illius Religiosi de quo narrat Cassianus lib. 5. instit. cap. 19. *Quod quoties, & quam longo tempore collationi, sermonibus spirituali, seu diuino interesset, nunquam dormiret, sed vigil assisteret. Si quis vero detractionis verbum seu otiosum dicere tentabat in somnum protinus concidebat: ac sic nec vsque ad aurium quidem eius pollutionem virus obloquij poterat peruenire.* Hæc ibi.

Murmurans saltē indirecte prætendit alternam famam minuere.

Monachus quidam semper dormiēs quādo murmurabatur.

EXHOR-





EXHORTATIO XII.

PRO OTIO A MONACHIS FVGIENDO.

Multam enim malitiam docuit otiositas.
Ecclesiastici cap. 33. Eccles.23.

HÆc verba habentur citato loco Ecclesiastici, vbi agitur in verbis proxime præcedentibus de seruo maleuolo: de quo consulitur, vt opere, ac labore, exerceatur; nam otiositas est causa malitiæ. Hæc nos applicabimus Religiosis pro otio fugiendo quod aliquibus multa incommoda solent afferre.

Valde notatu dignum est, quod postquam Deus Adamum creauit extra paradisum, postea posuit illum in paradiso vt operaretur vt custodiret illum Genes. 2. vbi communior expositio explicat illa verba, *vt custodiret illum*, id est, vt bene operando custodiret sibi paradisum ne illum per peccatum amitteret. Sic explicat D. Thom. 1. part. q. 102. articulo 3. Notatu inquam dignum est, quod primum hominem tot præsidijs gratiæ, iustitiæ orig. virtutum, ac scientiæ infusarum, noluit in illo fælici statu otio vacare, sed in paradiso constituit, vt ibidem operaretur. Intellexit nempe Deus opt Max adeo periculosam rem esse otium, vt etiam in paradiso terrestri, loco adeo securo, & homini sic munito posset officere: ac proinde finis ad quem illum ibidem posuit, fuit vt operaretur ibi. Quæcunque Religio paradisus terrestris est teste Antonino 3.p tit. 16. cap. 10. §. 11. idque ob causas quas forte in sequentibus

Gen. 2.

Otiũ res periculosa.

M attinge-

attingemus. Ille igitur quē Deus de mundo auocatum, in hoc paradiso Religionis locauerit, intelligat, non ad otiū, sed ad laborem vocari. imo potius magnum ibidē periculū imminere, nisi operando otium fugiat: cū dicat citato loco Ecclesiasticus, multā malitiam ab otio causari. Quæ vero mala in particulari causet otiositas in Religiosis. Religiosissimus, & Monachus Augustinus explicuit clarius, & proprius cæteris omnibus ser. 17. ad fratres in Eremo sic scribēs: *Per otiositatem fratres rigorem sanctæ solitariæ Religionis fastidimus: per hanc eremum sæpe exire tentamur, per hāc accendimur frequenter ad luxuriā: per hanc animamur ad superbiam per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicate pasci, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba sæcularia ducimur libenter audire. Hæc est illa otiositas pessima, quæ frequenter conuentus Sanctorum destruit, generans omnia quæ sunt opera carnis.* Sic August. Hoc solum sufficiebat ad probationem, explicationemue thematis, quod scilicet otiositas causet multam malitiam. Causam huius rei mihi videor inuenisse apud D. Bernar. licet aliud agentem. Hic in lib. Meditat. c 9. comparat intellectū nostrum cum molendino: ponā prius eius

Otiositas quæ mala causet in Religiosis

Intellectus noster est molendinum.

verba de intellectu sic dicentis, quæ sunt sequētia, nā etiā possūt huc inseruire. Sic ergo ibi scribit: *Sicut enim molendinum velociter voluitur, & nihil respuit, sed quidquid imponitur molit: si autē nihil apponitur se ipsum consumit: sic cor meum semper est in motu, & nunquam requiescit siue dormiam, siue vigilem, somniat, & cogitat quidquid ei occurrit, &c.* Sic ibi. Cum ergo intellectus noster sit molendinum, & nō possit quiescere, ita vt etiam in somno aliquando discurrat: oportet omnino vt de foris optimum granum, boni scilicet operis externi illi continuo inijciatur, per quod occupetur ac detineatur. Secus si fiat, & nihil de foris illi apponatur, intra se voluetur, & de suo moliet. idque consumet, quod illi magis naturale, & ad manum fuerit. Cum ergo nihil nobis magis naturale, & ad manum sit quam nostræ passiones naturales, inclinantes ad multa vitia: inter has passiones se voluet, & reuoluet, de his cogitabit, in his occupabitur, in his consumetur, & proinde incidet in illa omnia quæ proxime diximus ex Augustino. Hac de causa multi Sancti mira contra otium inane dixerunt. D. Chrysost. hom 35. super Acta Apostol. *Pulchre vocat otiositatem rubiginem*

Otium est rubigo animæ.

nem animæ dicens de otiosa anima: Rubigo enim quædam apprehendit illam, & consumit splendorem, ac alia omnia. Quam comparationem forte inde desumptam, eleganti carmine illustrauit Baptista Mantuanus de otiositate sic decantans.

Ferrum si transit in vsus
Assiduo splendore micat, vultuque nitenti
Audet, ad argenti decus aspirare superbum.
At si longa quies ierit, fuscatur, & atram
Vertitur in speciem, celerique absumitur æuo.

Et vere quidem: sicut enim ferrum si in continuo exercitio sit, nitet, ac splendet, vt argentum videatur: si vero in angulo sit, & nihil omnino operetur ipsa rubigine denigratur, & breui consumitur. Eodem modo anima qualicunque boni operis exercitio exercita, splendet coram Deo, & in virtutibus proficit. Si vero otio torpescat, reuera torpescit, vitijs per otium contractis nigrescit, & spiritualiter consumitur Diuus Ieronymus lib 5. super Ezechielem cõparat otiosum agro syluescenti, ob defectũ culturæ, ait enim: *In desiderijs est omnis anima otiosi, quia videlicet semper aliquid agendum est, ne ager pectoris nostri cessante manu malarum cogitationum sensibus occupetur.* Hæc ille. Vide quæso agrum cui agricolæ, neque cultoris manus vnquam accesserit, quot sentibus, spinis, ac virgultis syluescat: quot colubris, ac serpentibus abundet, ita vt non agrum, sed merito syluã illũ dixeris Talẽ cogita Religiosi otiosi pectus quod nõ aut orationis, aut honesti operis externi exercitio excolitur. Sylua est, non pectus, sylua in quo & innumeræ cogitationes terrenæ pullulant: varijque serpentum, & colubrorum affectus inhabitant. De illo potest intelligi oppositum illius Psalm. 23. *Qui non accepit in vano animã suã.* Otiosus enim, dici quodãmodo potest in vanum animam accepisse: eo quod illius anima non laboret, neque operetur conueniẽtia opera ad gloriam assequendam ac proinde potest de otioso verum esse quod quidam Philosophus dixisse fertur; esse nempe aliquos homines in quibus anima, solum se habet admodũ salis in carne. Nam quemadmodum sal in carne, nullum alium effectum operatur, quam conseruare illam, ac præseruare â putredine: caro enim salita nullum actum vitalem habet. Ad eundem modum videas homines adeo desides, & otiosos, vt illorum animæ salis tantum operationem in illis habere vi-

Otiosus est sicut ager syluescens.

Psal. 23.

Otiosi anima in corpore, est solũ sicut sal in carne.

re videatur; vt scilicet, eorum corpora solum conseruent, & à corruptione liberent: reliquas enim virtutum operationes neque operãtur, neque exercẽt. Denique vt sciatur quantæ malitiæ causa & Magistra sit otiositas, nõ potuit amplius illud exprimi, quam quod dicatur iniquitas Sodomæ ab otio prodijsse: sic habetur Ezech. 16. vbi dicitur: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia & otium ipsius.*

Otiositas est iniquitas Sodomæ.

Ezec. 16.

Neque vero leue malum illud est, accidiæ videlicet, ab otio genitæ. Nota est accidia vnum ex septem vitijs capitalibus, & septimo loco posita, alio nomine pigritia. Hæc accidia, iuxta Doctorum expositionem, maxime D. Thom. 2. 2. q. 35. artic. 1. 2. 3. & 4. est quædã tristitia, & fastidium de spirituali bono, ita vt animum deprimat, nec præ fastidio sinat vllam rem spiritualem gustare. Et (vt optime dixit Damascenus citatus à Diuo Thoma dicto artic. 1. C.) causa huius rei est, quia illa quæ sunt acida, frigida sunt, quale est acetum, malum citreum, & similia acetosa quæ frigida sunt. Res autem frigida paruæ, aut nullius est operationis. Accidia ergo frigida, iuxta Damascenum sic animum deprimit, vt nihil ei agere libeat. Hæc igitur accidia capitale vitium, maxime in Religioso, seu spirituale fastidium ab otio causatur. Hoc probo comparatione naturali, & euidenti. Nam videmus in hominibus quod otium causat fastidium cibi, sicut è contrario, labor, & exercitium causat famẽ, ac sitim. Cuius ratio est, quia laboriosum exercitium consumit humores, & facit puram & vegetam potentiam appetitiuam respectu cibi. E contra vero per otium humores generantur grossi, per quos appetitus, & potentiæ sensitiuæ obtũduntur, & hebetantur. Causat ergo otiositas fastidium corporale; vnde videas otiosos homines multo minus edere, quam comedant laborantes. Ad eundẽ modum otiositas spiritualis, seu carentia sanctarum occupationum, causa est huius spiritualis fastidij seu accidiæ, reddentis animum fastidiosum: ita vt iuxta D. Thom. citato artic. 1. de tali dicendum sit, quod omnem escam (spiritualem scilicet) abominata est anima eorum Psalm. 106. Et citat D. Thom. citato artic. 4. ad 1. Aristotelem 10. Eth. dicentem, eos qui non possunt gaudere in spiritualibus delectationibus, transire ad corporales delectationes. Quod item accidia capitale vitium ab otio generetur,

Otiositas causat accidiam.

Accidia quid sit.

Accidia frigiditas animæ.

Otiũ causat fastidiũ corporis & animi.

Otiosus abominatur omne spirituale. *Psal.* 106

generetur docuit Cassianus col lat. 4. cap. 3. sic dicens, ibi ad vnũ Monachum causam accidiæ interrogantem. *Et de negligentia quidem, cum nostro vitio, tempore præcedente incircumspecte nosmetipsos, & remissius exhibentes, & per ignauiam, & desidiam noxijs cogitationibus pacti, &c.* quod idem clarius docuit in lib. 10 instit cap. 6 Porro quanta mala patiat in Religioso hæc spiritualis accidia ex otio nata, mire, & ad viuum præ cæteris omnibus descripsit idem Cassianus eodem lib. 10. cap. 2. Et quoniam ibi dicta valde necessaria sunt, & quotidiana, & digna vt à Religiosis euitentur; neque omnes ad manum citatum librum habent. Non fuerit iniocundum, illius verba hìc transcribere. Sic ergo habet citato 2. capite circa vitium accidiæ. *Cum miserabilem obsederit mentem horrorem loci fastidium cellæ, fratrum quoque qui cum eo, vel è minus commorantur tanquam negligentium, ac minus spiritualium asperationem gignit, atque contemptum. Ad omne quoque opus quod intra septa sui cubilis est, facit desidem & inertem; non eum in cella residere, nec operam sinit impendere lectioni, nihilque proficere tanto tempore in ea commorantem crebrius ingemiscit, neque habere se fructum aliquem spiritualem donec fuerit illi consortio copulatus, conqueritur, atque suspirat, & ab omni se dolet spirituali quæstu inanem, in locoque vacuum consistere, vtpote qui cum posset alios regere, ac prodesse plurimis nullum ædificauerit, nec quenquam institutione sua doctrinaque lucratus sit. Absentia, longeque posita magnificat monasteria, loca etiam illa magis ad profectum vtilia, & saluti congruẽtiora describit, consortia quoque ibidem fratrum suauia: & plena suaui conuersatione depingit. E contra, vniuersa quæ habentur in manibus aspera, & non solum nullam ædificationem esse in fratribus qui morantur in loco, sed ne ipsum quidem victum corporis absque ingenti labore conquiri. Postremo non posse saluari putat in eo loco durantem, nisi relicta cella cum qua sibi, si adhuc in ea fuerit remoratus, pereundum erit exinde semetipsum quanto eius asportauerit. Deinde lassitudinem corporis, cibique esuriem quinta, sextaque hora tantam suscitat, vt velut longo itinere grauissimoque labore confectus sibimet. lassusque videatur, aut quasi refectionem cibi biduano, triduanoque distulerit. Tũ præterea huc, illucue anxius circũspectat, & nec fratrem sibi quempiam aduentare suspirat, sæpiusque egreditur, & ingreditur cellam, aut solem velut ad occasum tardius properantem crebrius intuetur. Et ita quadã irrationabili mentis confusione velut tetra suppletur caligine, omnique actu*

Otiositas quot mala in Religiosis causet, fuse, & ad vnũ exponitur.

actu spirituali redditur otiosus ac vacuus, vt nulla re alia tantæ oppugnationis remedium quam visitatione fratris cuiuspiam, seu somni solius solatio posse æstimet inueniri. Deinde honestas idem morbus ac necessarias suggerit salutationes fratribus exhibendas visitationesque infirmorum vel è minus, vel longius positorum. Quadam etiam pia, ac Religiosa dictat officia illos, vel illas debere parentes inquiri, & ad salutandos eos crebrius properari: illam Religiosam deuotamque Deo fæminam omni præsertim parentum præsidio destitutam magnum esse opus pietatis frequentius inuisere, ac si quid ei sit necessarium, quæ à proprijs parentibus negligitur, atque despicitur, sanctissimum procurari: magisque oportere in his operam pietatis impendi, quam infructuose, ac sine vllo profectu in cellula residere. Hæc omnia ibi Cassianus. Neque veniam peto tædij dati ob longam illius transcriptionem, nullibi enim apud alium Doctorem, quẽ viderim, elegantioribus, & magis proprijs verbis descriptam inuenies accidiam Religiosi, nec magis ad viuum reperies depictum otio vacantem Religiosum. Quandiu porro in hoc frigido vel tepido statu Religiosus manet vere sibi timere poterit, ne illi à Domino dicatur illud Apocalyp. 3. dictum: *Vtinam aut frigidus, aut calidus esses: sed quia tepidus es, incipiam te euomere, &c.* Timeat & illud Psalm. 118. *Dormitauit anima mea præ tædio*: moraliter enim loquendo, necesse est vt hominis otiosi anima præ tædio spirituali, dormitet, & cadat, & sæpius corruat.

Apoc. 3.

Psal. 118.

Pro conclusione prædictorũ malorũ quæ nobis otium parit, est adhuc aliud propriũ otiosi, quod scilicet otiosus multo plus à Dæmone tentatur, quã debito exercitio occupatus. Id quod non omisit dicere Cassianus ille citato lib. 10. c. 23. vbi sic scribit: *Vnde hæc est apud Aegyptum ab antiquis patribus sancita sententia: operantem Monachum dæmone vno pulsari, otiosum vero innumeris spiritibus deuastari.* Sic ibi. Et ratio naturalis comparatiua hoc edocet. Nam videmus venatorem nunquã, aut raro, vel difficile sagittam emittere in auem, seu cuniculum dum volat, aut currit. E contra vero quando auis, aut animal quieta sunt & immota, facillime sagitta confodiuntur. Eodem modo dum Religiosus honesto operis exercitio detinetur, raro ac difficile à Dæmone impetitur. Secus si vacãtem, & otio torpentem inueniat: tunc enim possumus de illo dicere illud Psalmi 10. *Pluet super peccatores laqueos.* Pluit inquam super otiosum laqueorũ, & tẽtationum variarum imber. Et potest

Otiosus magis tentatur à Diabolo, quam occupatus.

Auis otiosa & manens immota facilius configatur sagitta.

Psal 10.

Et potest forsasse ad hoc intentũ applicari, quod Christus Dñs Luc.11 dixit de Dæmone primo expulso, quod scilicet iterũ domũ pristinam intrare attentans: *Assumit secũ septem spiritus nequiores se, & inuenit illam scopis mundatã* & quasi otiosam, & vacãtem.

Luc.11.

Visis malis quæ otiositas gignit, & dicturi de remedio pro illis euitandis opere scilicet externo honesto: primũ aduertẽdũ duxi, duplex opus à nobis fieri posse, alterũ spirituale, & internũ qualis est cõtẽplatio, & meditatio; & cũ hac cõiungi potest vocalis oratio. Alterũ opus manuale & externũ est quod fit quauis operatione externa, siue fiat lingua, siue manibus, siue pedibus ambulãdo, siue vigilãdo, siue oculis legẽdo, & similibus. Vnde qui legũt libros deuotos qui cõcionãtur qui de Deo loquũtur, &c. manibus operari dicentur. Et per quodcũque opus ex his duobus euitabitur otiositas, si per tale opus spiritale vel corporale illa vitari intẽdatur. Quod merito addiderim, cũ sequẽti tamẽ declaratione: quod scilicet aliquando aliqua opera externa Religiosi dicẽtur otiosa quãdo scilicet, vilia, inania, & futilia sunt, Religioso statu indigna maxime si per illa particularẽ sibi finẽ cõmodi proponat: tũc enim etiã si occupatus sit, otiosus tamẽ dicendus est: ac de tali vana occupatione dictũ illud Salomonis intelligitur 1. Eccles. cũ dicit: *Hanc occupationẽ pessimã dedit Deus filijs hominũ, vt occuparẽtur in ea.* Quod specialiter intelligitur de curiositate sciendi vana, & curiosa quæ ad rem nõ pertinẽt. Adnotauit hoc ad nostrũ intentũ B. Vincentius Ferrer, serm in Septuagesima, ad illa verba: *Quid hic statis tota die otiosi*, dum ait: *Quod otiosus est non solum qui nihil operatur sed etiã qui inutiliter operatur.* Potest etiam & ad hoc optime applicari dictum Senecæ epist. 1. ad Lucillũ vbi sic habet de otio in quo vita trãsit. *Turpissima tamen est iactura quæ per negligentiam fit: & si volueris attẽdere magna vita pars elabitur male agẽtibus, maxima nihil agẽtibus, tota, aliud agentibus.* Vbi vides quod omnẽ illã vitã vocat per negligentiam, idest otiũ elapsam, quæ vel transigitur male, aut nihil agendo: vel aliud agendo, idest, operãdo sine fructu Et idẽ Seneca li. de breuitate vitæ c.12 postquã narrauit de hominibus immodice occupatis in ornatu corporis, maxime in comæ, criniũue curiosa creatione attõsione, & similibus occupatis, sic subdit. *Nõ habẽt isti otiũ, sed iners negotiũ.* Vbi nõ solũ vanas occupationes otiũ vocat, sed etiã turpe negotiũ, seu occupationẽ pessimã Pulchrũ huius rei inuenio exemplũ apud Casia-

Otiositas vitatur duplici opere.

Otiosus aliquãdo dicendus est qui occupatur opere externo.

Eccl. 1.

Otiositas est male, & vane operari.

Casia-

Exemplũ optimũ vt probetur vanũ opus esse otiosum.

Casſianũ collat 9.c.6. vbi refertur, quod quidam Monachus in sua cella laborabat, ac sudabat in quodã opere superfluo; cũque è minus pertransisset quidã Monachus senex & antiquus, illũque laborantẽ Monachũ conspexisset defatigatũ in saxo quodã cõterẽdo, vidit ille senex trãsiens, Æthiopẽ quendã astantẽ illi Monacho laborãti, & vna cũ eodẽ laborantẽ, ictũ mallei iunctis, consertisque manibus illi dentẽ eũque ad operis illius instantiã ignitis fascibus instigãtẽ. Et volẽte Monacho laborãte iã quiescere, & opus finire: rursus Æthyops animabat, & vrgebat op⁹ resumere Quod vidẽs senex, & tãta ludificatione cõmotus, accessit ad laborantẽ Monachũ, ad cellã fratris accedẽs, eũque salutãs sic affatus est. *Quid est frater istud opus quod agis? At ille: laboramus, inquit, cõtra istud durisſimũ saxũ vixque illud potuimus aliquãdo cõterere. Ad hæc senex. Bene dixisti, vix potuimus, non enim solus eras cũ illud caderes, sed fuit alius tecũ quẽ nõ vidisti, qui tibi in hoc opere, non tam adiutor quã violentisſimus impulsor astabat.* Hæc ibi. Ecce quomodo aliquãdo Religiosi corporali opere detinẽtur, per quod nõ otiũ vitãt sed nõ solũ otiãtur, sed peccãt ratione scilicet mali finis intẽti, ad quod opus dæmonẽ incitantẽ, & adiuuantẽ habẽt. Sit fortasse exemplũ in eo qui otij fugãdi gratia occuparetur in fabulis degẽdis, vel audiẽdis, vel similibus rebus futilibus auscultandis, nõne hũc Religiosũ otiosũ dixeris? D. Tho sup. 1. ep. ad Timoth. c. 4. explicãs illa verba Pauli, ad sua desideria coaceruabũt sibi magistros prurientes auribus, sic inquit. *Pruritũ dicitur habere in pedibus qui non vult quiescere in auribus vero qui sẽper audire vult noua inaudita curiosa, & quãdoque noxia: sicut Atheniẽses ad nihil aliud vacabãt nisi aut dicere, aut audire aliquid noui, vt dicitur Act. 17.* Sic D. Tho. pruritũ ergo habet in aurib⁹ Religiosus qui noua audire suspirat, fabulosa, & noxia scire desiderat. *Act. 17.*

Viso dãno, & modis otiositatis, dicturi de eius remedio, prius admoneo, quod si Christus Dñs Matt. 20. adeo taxauit sæculares otiosos, & in foro, vt illis illa verba dixerit: *Quid hic statis tota die otiosi?* Quãto magis taxabit, & reprehẽdet monachũ in Religione otiosũ cũ Religio locus sit orationi, ac sãctis exercitijs deputatus? Hoc ergo nẽpe remediũ est vnicũ pro fugando otio, operari opus Dei, id est, quodcũque op⁹ virtuosum, & honestũ. Hæc est mẽs D Chrysost hom. 38 in Matt. dicẽs: *Vis ergo nõ esse otiosus, ieiuna nõ inuideas, &c.* Ad idẽ præcipue inseruit ratio, ac deniq; quodcũque opus manuale seu corporale asſũptũ pro isto honesto fine fugandæ scilicet otiositatis. Si e- *Math. 20.*

Contra otium remedium.

nim opus corporale fiat absque hoc fine, sed ob lucrũ vel aliũ finẽ terrenũ, quale videtur fuisse illud opus proxime relatũ de Monacho ab Aethyope adiuto, iam nõ erit vitatio otij, sed actio mali negotij. Hoc igitur opus corporale debito ac Religioso fine assumptũ cõmendarunt maxime Patres, & Sãcti antiqui, pro tãta otij peste vitãda. Hoc maximé cõsuluit D. Ieron. epist. ad Rusticũ Monachũ in medio instruẽs illũ de viuẽdi forma, sic dicẽs: *Ne vacet mẽs tua varijs perturbationibus quæ si pectori insederint dominabũtur tui, & te deducẽt ad delictũ maximũ: facito aliquid operis vt te diabolus sẽper inueniat occupatũ, &c.* Sitq; pro hoc sufficiens exẽplũ occupatio illa sancta, & cõtinua simul cũ oratione, apud ãtiquos illos Monachos eremitas Aegypti, & similes, in sportis texẽdis hortis colẽdis, libris scribẽdis, quibus omnes post orationẽ erãt intẽti, idq; que præcipue ad otiũ fugiendũ. Ita vt lib. 10. instit. c. 24. referat Cassianus de probatissimo illo Abbate Paulo, quod antrũ suũ seu cellã implebat folijs palmarũ ad sportas scilicet conficiẽdas: cũque antrũ plenũ aliquãdo haberet, neque emptores suppeterẽt ob lõgã vrbiũ distantiã, vniuersũ opus à se laboriose factũ cõburebat, & iterũ aliud incipiebat idq; ait Cassianus: *Nequaquã exigebat fieri victus necessitas sed pro sola purgatione cordis, & cogitationũ soliditate, ac perseuerãtia cella vel acidia ipsius victoria & expugnatione faciebat.* Modũ autẽ, ac finẽ in hoc opere corporali pro otio effugãdo, præscripsit optime P. N. Franciscus c. 5. suæ regulæ sic dicẽs: *Laborẽt fideliter, & deuote, ita quod excluso otio animæ inimico, sancta orationis, & deuotionis spiritũ nõ extingãt cui debẽt cætera tẽporalia deseruire.* Ecce quomodo, & quo fine laboribus debet Religiosus intẽdere, nõ ex principali intẽtione vt laboret, nec finẽ terrenum sibi proponat, sed vt otiũ effugiat, & aptior ad orandũ euadat.

Opus quodcũq; agendũ in bonũ finẽ ad otium vitandum.

Paulus Abbas pro vitãdo otio, sportas iã factas cõburebat, & alias texebat.

Finis quẽ in operando debet religiosus proponere.

Ad finẽ tandẽ nõ fuerit otiosũ & inutile, sed necessariũ aduertere, hæreticos antiquos, & recentiones neq; in hoc nostris religiosis parcere; quidã enim dicũt religiosos nõ debere laborare opere corporali pro victu acquirẽdo: sed in sola diuina prouidentia debere cõfidere. Alij per oppositũ contendunt religiosos teneri manibus laborare pro victu quærendo, nec proinde illis licitũ esse mẽdicare eleemosinas: in quibus maxime fuit Lutherus, & Brentius recentiores qui acertime Ordines Mendicantes impugnarunt. Quã materiam late, & docte tractat Bellarminus to. 1. lib. 2. de monachis à c. 41. & sequẽtibus illorũ argumẽta acute confutans

Hæretici damnant religiosos & vacãtes.

confutans. Ex dictis vero ibidē à Bellarmino hæc nobis summa decepta sufficiat videlicet, laborare manibus nō esse præceptū in Euangelio: sed esse consilium tantū: ac proinde cū sit consiliū, nō obligat monachos laborare: est tamen consilium sanctum, & proinde licitū, ac medium honestissimū vt per laborē monachi carentes victu annuisq; redditibus, & operādo vitent otium, & panē, ad sustentationē acquirāt. Si vero hoc medio laborandi vti nolint, poterūt etiā eleemosinas ostiatim quærere, absq; peccato imo & cum magno merito: ac proinde & laborantes, & non laborantes licite, & honeste viuunt. Vide latius Bellarm.

EXHORTATIO XIII.

AD SECTANDAM ORATIONEM, MAXIME IN choro, & chorum frequentent.

Oportet semper orare, & non deficere. Luc. 18. *Luc.* 18.

HYperbolica, aut saltē nimia cōmendatio orationis hæc est, vt scilicet à nobis nūquā intermittatur. De cuius necessitate in cōmuni sumpta, & quomodo perpetua esse possit, primo dicemus Secūdo de oratione in choro habenda, ad quā Religiosi ex officio, & ordine sacro cōueniūt Ante hæc tamen præmittendum est vanam, & plane falsam fuisse hæresim quorundā hæreticorū (de quibus noster Castr. contra hæres. verb. oratio hæresi 2.) qui dixerūt omnino semper orandū esse, & nunquā ab oratione cessandum, pro quorū confutatione sufficiant ibi dicta à Castro, & à nobis infra dicenda.

Hæretici quidā dixerūt semper omnino orandum esse, absq; cessatione.

Pro necessitate ergo orationis primo considero applicandū ad hoc esse dictum illud Platonis vulgatū quod scilicet homo sit arbor inuersa. quemadmodum enim arbor deorsum versus radices habet in terra defixas; vt per

Orationis continuæ necessitas explicatur comparatione

per illas quasi per spongias è terra secum hauriat pro sui sustentatione. Eodem modo homo radices, intellectum & voluntatem in cælo debet habere hærẽtes, vt inde continuo per orationem à Deo remedium petat pro spiritus, & corporis ærumnis ac malis remouendis: iuxta illud

Psal. 120. Psal. 120. *Leuaui oculos meos in mõtes, vnde veniet auxilium mihi.* Et

Psal. 122. Psal. 122. *Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cælis.* Ad hoc autem continuo faciendum nos mouere debet omnino summa indigentia, & miseria, seu rerum omnium inopia qua plusquam omnia animalia laboramus. Cõsiderat, & quasi dolet Plinius in proœmio lib. 7, naturalis hist. hominis inertiam, & imbecillitatem, super cætera animantia. Hæc enim omnia à natura valde armata & munita, sunt remedijs offensiuis, ac defensiuis, rostro scilicet, vnguibus, alis, pedibus solertia, agilitate & similibus, vt nulli pro sui defensione quidquam deesse consideres. Homo autem, maxime quando nascitur, adeo iners, imbecilis, debilis, & indigens est, vt nihil miserius videatur reperiri posse Huius autẽ differentiæ causa est, quoniã hominem à se tantum voluit Deus pendere, vt à se ipso Deo tantum pro omnibus malis remediũ imploret: ac proinde ad sui defensionem, & offensionem solum gladium orationis contulerit, quo possit in omnibus coram Deo cunctorum remediũ procurare. Hanc orationis necessitatem, & depẽdentiam à Deo quoad animã & corpus, optime explicuit Dauid illo Psal. 62. cum dixit: *Deus Deus meus ad te de luce vigilo, sitiuit in te* Psal. 62. *anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Quasi dicat: vbi primũ mane consurgo, sicut aues & homines ad quærendos cibos, cæteraque remedia conquirenda discurrunt: sic ego Deus ad te statim recurro, considerans quot modis te indigeo: anima enim te indiget, sicut sitibundus aqua; caro autem multipliciter etiã tui indigentiam patitur; si enim cõsideremus solũ ægritudines corporis, mille infirmitates solũ capiti obuiæ sunt; & sic de oculis, & cæteris mẽbris vltra alias necessitates morales; ac proinde pro tantarũ miseriarũ leuamine etiã caro mea sitit te Deũ. Et licet, ibi cũ datiuo tibi ponatur; verbum Hebræũ quod respõdet Latino, sitio, cũ accusati. cõstruitur, sicut docet Genebr. ad citat Psal Sẽsus ergo est quod anima & corpus sitiũt Deũ, ardẽti affectu, tanquã in quo sciãt cõsistere suarũ tantarum necessitatum remedium. Idipsum cõsiderãs Chrysost ser. de Moyse to. 1. necessitatẽ oratio-

nis

Oratio tã est necessaria quam cibus & potus.

nis comparat cum necesſitate cibi & potus; explicans enim ibidem hoc noſtrum thema, quo modo oporteat ſemper orare: inquit, quod quemadmodũ pro reparanda iactura facta à calore naturali in corpore, neceſſarium eſt continuo, ac ſingulis diebus ſumamus cibum, ſic inquit: *Si prætermitti iſta non poſſunt ſine quibus vita iſta non poteſt celebrari: quemadmodum tutus, ab hoſte eſſe poterit, qui quod oportet ſemper, orare contempſit?* Sic ille. Ecce quomodo tanta necesſitate indigemus oratione, quanta & cibo ad corpus reficiendum, quæ ineuitabilis, & quotidiana eſt: vt merito Chriſtus Dominus citatis verbi in themate dixerit quod oporteat ſemper orare, & nunquam deficere. Mitto multa alia orationis encomia, & Sanctorum præconia quibus illam mire extollunt, & nobis commendant.

Oratio attente, & ſine diſtractione facienda, & hoc pluribus oſtenditur.

Hoc tantum circa illam aduertam, ne res adeo neceſſaria fiat inutiliter ac ſine fructu: videlicet, vt cum debita attentione, & aduertentia fiat, ſecluſa animi euagatione: ſic enim facta, nubes penetrat, Deum lenit, cuncta impetrat: ſi vero cum diſtractione fiat, præterquam quod eſt inutilis, etiam vitio aliquando non carebit, paucis, & elegantibus verbis hoc expreſſit Chryſoſtomus tom. 2 ex varijs in Matth. locis, hom. 9. ſic dicens: *Ergo vide quis rogas, quid rogas, quem rogas. Quis rogas, homo: quid. indulgentiam, quem, Deum.* Præ omnibus autem eleganter D. Cyprianus ſerm. de oratione Dominica ſic ad hoc propoſitũ ſcribit. *Quando ſtamus ad orationem fratres dilectiſsimi vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus: cogitatio omnis carnalis, & ſæcularis abſcedat, ne quid quã tunc animus quam id ſolum cogitet quod precatur. Quæ autem ſegnitia eſt, alienari, & capi ineptis cogitationibus & prophanis, cum Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud quod magis debeas cogitare quam quod cum Deo loqueris. Quomodo te à Deo audiri poſtulas, cum te ipſe non audias? vis eſſe Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipſe memor tui non ſis?* Sic Cyprianus. Eodem alludens Caſsianus collat. 23. cap. 7. ſic inquit: *Si enim cum ſublimi homini non dicam pro vita, aut ſalute noſtra, ſed etiam pro alicuius lucri commodo ſupplicamus totam in eũ, & mentis & corporis aciem defigentes, de nutu eius trepida expectatione pendemus, non mediocriter formidãtes, ne quod forte ineptum, aut incõgruum verbum miſericordiam audientis auertat.* Tum deinde: *Si nobis in foro, aut iudicum ſæculariũ tribunalibus conſtitutis, aſsiſtente etiam aduerſario in media perſecutione*

tione tussis, screatus, risus, oscitatio, somnus obrepserit quanta in pernitiem nostram vigilantissimus inimicus seueritatem iudicis commouebit inuidia? Quanto magis cum illi occultorum omnium cognitori pro imminenti perpetuæ mortis periculo supplicamus, præsertim cum ex aduerso calidus seductor pariter & criminator assistat, intenta, atque solicita oratione, iudicantis pietatas imploranda est. Nec iniuste non solum leui peccato, sed etiã grauissimo crimine impietatis astringitur, qui precem Domino fundens subitò à conspectu eius quasi ab oculis non videntis, nec audientis cogitationis improbæ vanitatem secutus abscesserit. Sic ibi Casianus. Iuxta quem orans vagus, ac distractus timere sibi

Psal 108. potest illum versum Psalm. 108. *Et oratio eius fiat in peccatum*: orãdo enim ob voluntariam euagationem, & irreuerentiam peccatum committit. Et sanctus Basilius constit. Monast. c. 2. eodem alludens, de vago orante, ac distracto, dicit: *Qui enim sic facit, is (tantum abest vt impetraturus sit quod petit) perficiet prius vt sibi Dominus irascatur.* Sic ille. Denique pro orationis necessitate, & attẽtione sufficiat intueri Christum Dominũ, qui cũ verus Deus esset, & omnia posset elargi i, pro nostro tamen exẽplo dũ in hac vita mortali vixit: *Erat pernoctãs in oratione Dei*, Luc. c. 6. Et non solum

Oratio vaga peccatum est aliquãdo.

Luc. 6.

noctes aliquãdo in oratione trãsigebat; sed cũ orabat tanta attẽtione, & affectu precabatur, vt in horto orans præ angustia, & efficacia sanguinem sudauerit Luc. 22. Et iuxta Paul. ad Hebr. 5. Luc 22. Hebr. 5.
Supplicationes ad eum qui posset illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, &c. Ecce quomodo Christus pernoctat in oratione: & orans sudat sanguinem, & orat cum lachrymis, & clamore valido, is qui poterat donare omnia. Quid ergo faciet miser homo cui omnia desunt? sic nempe de Christo taliter orante, & homine orationis oblito, dixit quidam Poeta Christianus & Religiosus.

Orat vt accipiat, dare qui bona cuncta valebat:
Omnia cui desunt, quid tibi restat homo?

Sed iam petis qui fieri posit vt homo tot corporis, ac sæculi impedimentis præpeditus semper oret, & nunquã deficiat? De hoc variæ sunt Doctorũ sententiæ & expositiones. Prima sit Chrysost. hom. de fide Annæ, dicentis *illum semper orare qui crebras per interualla orationes Deo offert.* *Ait enim si in longum extenderis verba, cum frequenter parum sis attentus, multam audaciam Diabolo suppeditasti, vt accedat, supplantetque, ac mentem ab ijs quæ dicuntur auocet.*

Oratio quomodo posit haberi sem.

nocet. Quod si frequenter ac subinde, oraueris tempus omne crebris dirimens interuallis, facile poteris esse sobrius ac vigilans vt precationem multa cum attentione persuias. Sic ille. Vnde monachi in Ægypto teste diuo Augustino epist. 121 ad probam solebant raptim per interualla crebras, & breues habere orationes quas iaculatorias vocat Augustinus: idque ob eundem finem proxime citatum à diuo Chrysostomo. Ratio autem quare dictæ sint illæ orationes iaculatoriæ, fuit desumpta ex iaculis in bello, bellatores enim iacula raptim emittunt, & sistunt, vel se retrahunt; nec sunt in continua iaculatione. Eodemque modo faciebant illi monachi: iaculabantur orationes in Deum raptim, & per interualla sistendo, & orando. Et ad hunc morem alludēs sanctissimus D. noster Papa Paulus Quintus in suo diplomate quo reuocauit indulgentias mendicantiū, concessit religiosis certas indulgentias, si haberent certo tempore has orationes iaculatorias. Idipsum refert Cassianus lib. 2. instit. cap 11. de illis monachis eremitis: & rationem reddēs illius moris per interualla orandi ait: *Ideoque vtilius habent decem versus cum rationabili assignatione cātari, quam totum psalmum cum confusione mentis effundi.* Hæc ille.

Orationes iaculatoriæ quæ?

Secundus modus perpetuo orandi esse potest, vt etiam cum opera manualia exercentur, habeatur oratio Hunc modum obseruasse eosdem eremitas refert Cassianus lib. 3 instit cap. 2. dicens de illis operibus corporalibus, quod simul fierent cum orationibus, & sic laborantes semper, semper orabant. Quod non dixerim licitum esse in orationibus obligatorijs, videlicet Officio Diuino, pænitentijs iniunctis soluendis, & similibus: has enim obligatorias orationes recitantes sub mortali tenentur abstinere ab opere externo impeditiuo orationis, vt Theologi morales aduertunt. In orationibus vero voluntarijs etiam corporaliter operari; neque vitupero, neque dissuadeo, cum videā ab illis sanctis monachis eremitis factitatum, & sciam Sotum lib 10. de iust. q. 5. art. 5. prope finem §. quo autem ad rem, dicere in ordine religiosissimo Predicatorum officiū paruum beatæ Mariæ saltem inchoari à fratribus se vestientibus ad portam cellæ, vide illum, toto illo articulo: & propterea ad fugandas tentationes in opere manuali etiam remedium est orationes dicere, quando illæ obligatoriæ non sunt. Consolatoria tamen valde sunt religiosis verba Ieronimi epist. 22. ad Eustochiū dicen-

oratio quomodo possit haberi cum opere manuali.

dicentis: *Quanquam Apostolus orare nos semper iubeat: & sanctis etiam somnus sit oratio &c.*

Tertius modus semper orandi dicitur moraliter intelligendus, vt scilicet oretur omnibus diebus, assidue, frequenter, & sæpe, modo tamen humano dādo locum vitæ necessitatibus, & obligationibus ineuitabilibus.

Act. 10. Sic Cornelius Centurio Act. 10. dicitur: *Deprecans Deum semper.* &

Psal. 118. Psal. 118. *Meditabor in tuis iustificationibus semper.* Et quanuis hæc tertia expositio sit communior, & textui consonantior, ab ea tamen non multum distat quarta sequens quam in finē reseruaui, quia nobis viam aperit ad secūdam partem huius exhortationis de fratribus ad chorum inuitandis. Hæc igitur quarta expositio est D. Ieron citata epist. 22. ad Eustochium. Et Eligij hom. 11. in Cæna Domini, Bedæ super cap. 18. Luc. & aliorum dicentium: *Semper orare, esse certis ac statutis horis dici infallibiliter orare:* quæ sunt horæ Canonicæ Diuini Officij ordine sacro initiatis iniunctæ, & maxime à religiosis in choro solutæ. Itaque de horis Canonicis nunquam suo tempore, seu termino intermissis intelligunt semper orare, & nunquam deficere; & quoniam religiosi in hoc rigida consuetudine certis, ac statutis horis, etiam

Orat semper qui chorū frequētat horis debitis.

nocturnis mirifice se exercent illis peculiariter citata verba cōueniunt, vltra enim citatas horas Canonicas particulares orationes ac vigilias, assumunt in choro & in cella, & sic semper fere orant humano modo possibili. Quia vero inter illas orationes religiosorum, horæ Canonicæ in choro, & præcepto Ecclesiæ, & religionum consuetudine celebriores sunt, ideo ad chorū sectandum, & in illo vigilandum dicti religiosi sunt admonendi, & inuitandi.

Pro quo primo facit quod oratio in Ecclesia facta cæteris paribus fructuosior est, & à Deo citius exauditur, quam facta extra Ecclesiam. Huius rei tres causas assignat diuus Thomas 2. 2. q. 84. art. 3. Prima propter loci consecrationem, ex qua orantes concipiūt maiorem deuotionē. Secunda propter sacra mysteria, & alia sanctitatis signa quæ ibi continentur. Tertia propter cōcursum multorum adorantium, ex quo Deus magis exorabilis fit iuxta illud Math. 18. *Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, &c.* De quo optime Ambrosius lib. de pænit. dicit. *Multi minimi, dum congregantur vnanimes sunt magni, & multorum preces impossibile est contemni.* Et illud Tertulliani in Apologetico cap. 39. *Coimus in cœtum, & congregationē, vt ad*

Rationes inuitantes ad chorum sectandū.

Math. 18.

vt ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Secundo facit pro choro sectando, quod modus ille psallendi ad inuicem, sibi inuicem respondēdo, è cælo datus est, & ab Angelis edoctus: vt enim constat ex Doctorũ sententia, quos late citat Durantus de Ritibus Eccles. lib. 3. cap. 17. B. Ignatius S. Ioan. discipulus, audiuit Angelorum concentum alterna vice decantantium, & sanctissimam Trinitatem collaudantium: & exinde formam illam canendi alterna vice Ecclesiæ Antiochenæ tradidit, quæ tandem in omnes oriētales & occidentales Ecclesias propagata est. Tertio facit etiam ipsius chori ethimologia; chorus enim teste eodem Duranto, de Ritibus Ecclesiæ lib. 1. c. 16. dictus est à corona: eo quod in primitiua Ecclesia clerici ante altare, seu circa altare in modũ coronæ illud cingentes psallebant, in quo forte alludebant ad illud Ecclesiastici 50. vbi sic dicitur: *In accipiendo autem partes de manu Sacerdotum, & ipse stans iuxta aram, & circa illum corona fratrum.* Sic ibi. Itaque chorus à corona dictus est: ac proinde cogitet Monachus, quod quando ad chorum vocatur, ad coronā vocatur; & reuera magna corona est, seu via ad magnam coronam continua chori frequentatio tum ob prædictas iam caussas tum obdicendas. Quarto inseruit pro eodem fine quod Religiosi particulari quadam obligatione ad horas Canonicas in choro dicendas, maxime nocturnas obligantur. Quod vt clarius fiat, suppono notissimum, maxime ex Duranto de Ritibus Eccles. lib. 3. cap. 5. tres Nocturnos, & laudes matutinalis officij instituisse Ecclesiam ad imitationem quatuor vigiliarum, seu quatuor temporum, in quæ olim duces belli noctem diuidebant; cuiuis tempori seu vigiliæ tres horas assignantes. Ecclesia enim quæ Cantic. 6. *Est terribilis vt castrorum acies ordinata:* suos habet milites, qui statis horis nocte inuigilent super custodia Ecclesiæ Dei. Hi milites vigilātes sunt Sacerdotes orantes pro populo: & in primitiua Ecclesia matutinale officium, per tria interualla dicebant in nocte, vt late citato loco Durant. Et latius Durandus lib. 5. Rationalis D. offic. cap. 2. & 3. ita vt etiam coniugati, & vxorati ad illud Matutinale officium nocte confluerent. Porro quemadmodum in aulis Regalibus quādo Rex dormit, illius dormientis custodia committitur selectioribus viris, ac militibus, de quorum fortitudine, ac fidelitate maior habeatur confidentia: & eundem

Regem

per. Cantus psallentiũ ad inuicē in choro, ab Angelis inuentus.

Chorus quid sit? dicitur à corona.

Eccles. 50.

Ad chorũ vocatus, ad coronā vocatur.

Nocturna oratio, inuenta ex vigilijs militum nocturnis.

Cantic. 6.

Sæculares olim ad Matutinũ officium nocte conueniebāt.

Religiosi sunt milites custodientes latus Dei, vel sponsæ Dei.

Regem etiam interdiu custodiunt. Ad eundem modum in Ecclesia Dei Religiosi, tanquam fortiores spiritualiter, & de quorum fide ac probitate plus confiditur, speciali cura inuigilant in custodia Ecclesiæ dei, orationes fundendo in choro maiori impendio, media scilicet nocte, maiori deuotione, ac maiori solemnitate. Religiosi nempe *sunt illi sexaginta fortes qui ambiunt lectulum Salomonis, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Cantic. 3. & vere quidem tales sunt Religiosi qui continuatione chori, de nocte præcipue, custodiunt, & assistunt coram Christo Domino sponso æterno Salomone, nempe coram sacrosancta Eucharistia, astantes, die ac nocte, tum collaudantes, tum custodientes, & ibidem orantes gladios habent, quia orationis gladio Dæmonum incursus tum à se, tū ab Ecclesiæ fidelibus propulsāt: & iuxta ibidem dicta, Religiosi sunt ad bella doctissimi: quia scilicet in bello spirituali exercitati, & in Dæmone, ac tentationibus superandis doctiores sunt sæcularibus communiter, imo & doctissimi. Si ergo Religiosi quasi ex officio habent custodire lectum Salomonis, cur pigebit munus obire suum, & ad horas Canonicas in choro dicendas pro officij ratione accurrere; maxime cum, vt dictū est olim sæculares coniugati eisdem horis nocte intercessent. Moueat tandem quod hac de causa olim aliqui Summi Pontifices in fauorem chori Religiosis officiū diuinum in choro dicentibus particulares indulgentias cōcesserunt. Nā Martinus V. fratribus sancti Ieronymi concessit, vt qui in choro quamlibet horam cū alijs diceret, Matutinū scilicet, primā tertiam, sextam, & nonam, vesperas, & completoriū, pro qualibet sic in choro dicta, lucretur pro qualibet centū dies indulgentiæ, vt habetur in cōpendio priuileg. Mendic. ver. officium, diuinum tertio, §. 1. Et ibidem habetur quod Ioan. 22. concessit fratribus qui deuote se inclinant in choro audito nomine Iesu quadraginta dies indulgentiæ, & quando in choro inclinantur ad gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, alios 40. dies indulgentiæ Dico hos Summos Pōtifices prædictas indulgētias cōcessisse: postea enim sanctissimus Papa Paulus V. illas cū alijs Mendicantium. & Religiosorū reuocauit: inde tamē colligere licet, quantum Summi Pontifices in choro laborantibus fauere studuerint. Meminerint tandem Religiosi quantam molestiam diabolus patiatur quan-

Cantic. 3.

Religiosi habent indulgētias si dicant horas canonicas in choro.

N do videt

Diabolus laborat valde fia tres abducere à choro.

do videt illos in choro, id quod facile colligent ex illo quod refert beatus Gregorius Papa lib. 2 Dialogorum cap. 4. *Sanctum benedictum diabolum in forma pueri Æthyopis extrahentẽ vidiße illum monachum à choro.* Et re vera, diaboli intentum est suadere religiosos ne choro intrent, & ab illo discedant horis debitis.

Attentio circa horas Canonicas qualis.

Dato autem quod nos hùc impulit horarum diuinarum seu canonicarum in choro dictarum meritum, excellentia, & obligatio: non absonum fuerit in re adeo necessaria, & quotidiana explicare modum quo sunt dicendæ: attentionem scilicet, qua debent proferri. Igitur dicta a Doctoribus maxime D. Thom. 2.2. q 83. art. 13. resumentes dicimus triplicem attẽtionem posse quenuis habere in Officio Diuino. Prima est verborum tantum & quasi litteralis, qua scilicet aduertitur tantum ad verba prolata: attendendo scilicet ne in illis erret aliquid omittendo, vel sincopando, vel male pronunciando; sed distincte, & clare, & recte pronuncientur. Quæ attentio cõmunis est, doctis, & illiteratis Secunda est attentio ad res significatas per verba pronuntiata, dicique potest formalis, qua scilicet verborum sensum attendimus. Vt cum scilicet pronuntio hæc verba: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*: Non solum attendo ad vectam, & integram prolationem verborum quæ est attentio prima litteralis: sed etiam mente precipio Deum, eiusque diuinam misericordiam mihi applicari desidero. Hæc vero attentio communiter loquendo solis peritis, & litteratis conuenit, qui tamen si illam non habeant etiam ex industria, non peccãt, sufficit enim prima omnibus communis vt statim dico: quanuis hæc secunda non possit haberi sine prima: non enim possum rem significatam concipere sine eo quod significantia verba aduertam. Tertia est atentio ad finem, in quem dirigitur Diuinum Officium: qui multiplex esse potest. Scilicet, Deus ipse ad cuius laudem dirigitur: vel communis necessitas Ecclesiæ pro qua oratur: gratiam scilicet, fidem, spem, charitatem, gloriam quam speramus, remissionem peccatorum in communi, vel propriorum cuiusque, & similia spiritualia. Ex his omnibus attẽtionibus primo cõuenit inter Doctores communiter, & securius sentiẽtes, obligari sacros ordines habentes, saltem ad vnã ex tribus, quod colligunt ex cap. dolentes de celebratione Missarum, vbi præcipitur in virtute obedientiæ *Vt Diuinum Offibium dicatur studiose, & deuote*: Quod fieri

fieri non poteſt, niſi cum aliqua ſaltem ex tribus attentionibus dicantur. Secundo conuenit inter illos ſufficere vnam tantum ex illis tribus attentionibus: quod expreſsit inter alios Nauar. in Summa Latina cap.25.num.105 conuenit tertio inter illos ſufficere quamlibet ex his attentionibus etiam ſi homo litteratus ſit, vt ibidem ait Nauarrus addens quod ante quam recitet quis officium ſufficit propoſitum virtuale recitandi cum aliqua ex illis attentionibus in recitando habenda qualem habet qui ſumit breuiariũ animo huic obligationi ſatisfaciendi. Conuenit quarto, euagationem mentis naturalem, & inuoluntariam, non eſſe peccatum: quia in noſtra poteſtate non eſt in hac vita fixam. & inmobilem habere cogitationem in re vna, & tunc ſolum euagatio, ſeu inaduertentia erit culpabilis, quando eſt voluntaria: id eſt quando recitans, videt ſe eſſe diſtractum aliud cogitando â Diuino Officio, & nihilominus continuat diſtractionem: tunc enim nõ ſatisfacit: & ſi ſit in parte notabili peccat mortaliter. Non autem peccat ſi ex naturali inaduertentia diſtrahitur, & quãdo aduertit ſe diſtractum, ad mentem, & attentionẽ reddit, & cætera quæ apud Theologos maxime morales poteris inuenire.


Dixi hanc eſſe communiorẽ & ſecuriorem opinionem: quia ſcio Paulum Comitolum è Societate Ieſu recens ſcriptorem, & ſatis Doctum, in ſuis Reſpõſ. moralibus lib.1.q.63 docere, ac defendere non poſſe Eccleſiam obligare ſub mortali dicentes Diuinum Officium ad habendam attentionem, ſeu deuotionem interiorem: pro quo citat Durandum, Palludanum, Antoninum, Aſtenſ. Turrecrem. Silueſt. Angelum, vltra Canoniſtas. Poſſet etiam addere Gabrielem ſuper Canon Miſſæ lect.62. poſt medium: vbi ponit hæc verba: obligatus ad horas Canonicas, dicens illas ſoluit debitum licet mente ad alia ſit diſtractus, ita quod nec actualiter attẽdat, ſiue aduertat voces quas profert, nec ſenſum verborum, ſed cogitet alia incidentia. Hæc ille Itaque ſentiunt hi Doctores ſolum obligare Eccleſiam ne dicens Officium Diuinum faciat aliquod opus externum manuale quod ſit incompatibile cum attentione interiori: quod opus ſi non fecerit, etiam ſi attentione careat ſatisfacit. Nituntur illi fundamẽto, quod ſcilicet Eccleſia, non poteſt præcipere actus interiores vt late ibi Comitolus citat Doctores id affirmantes in materia de legibus. Ego vero hanc opinionem quanuis non ſequor,

neque commendo, eo quod in re adeo graui, & fundata in illo capite dolentes, à tutiore opinione D. Thom. nolo recedere. Nihilominus prædictã opinionem Comitoli non condemno, cum pro se tot habeat patronos. Eam tamen volui recensere ad consolandos scrupulosos in recitando diuino officio; vt nempe videãt quanto debeant procurare quietem, & scrupulorum in hac parte expulsionem, cum tanti Doctores talia dicant, sed de his satis, ne videamur præter intentũ discurrere.

Priuilegiũ Leonis X. pro fratribus recitãtibus diuinum officium.

Duo tantum addo pro complemento præsentis argumenti: vnum quod consolatur, aliud quod terret. Quod consolatur est, Leonem Papam X. nobis fratribus Minor. pro vt habetur in compendio verbo officiũ diuinum primo §. 8.) ad sedandos scrupulos dicentium officium diuinum fecisse amplam & fauorabilem concessionem: nempe quod satisfaciamus præcepto horarum Canonicarum etiam si illud dicamus ambulando, verba male proferendo, vel male â socio audiendo, vel cum mentis distractione, dummodo non fiat ex malitia: Item quod posimus non repetere prædictos defectus malæ pronuntiationis, vel auditionis, propriæ, vel socij, vel alterius chori, & illa quæ in horis Canonicis iubẽtur dici in secreto, ver. gra. Pater noster, Aue Maria, Credo, posimus dicere mentaliter, ne tædio simus alijs. Et alia quæ ibi citato loco compendij videre poteris, quæ cũ non sint indulgentiæ, sed priuilegia, nusquam sunt reuocata. Secũdum quod terret, est quod refert S. Antoninus 2 p. tit. 9. c. 13. §. 3. de quodã Patre sãctô, qui cũ videret Dæmonem in choro in lõga membrana scribentẽ, & multa acumulantem: quæsiuit ab illo, ad quid illud ageret Cui respõdit Diabolus, se ibi scribere syllabas, & verba quæ fratres omitterent, vel deglutirent inter dentes, vel versus inciperent antequam ij cum quibus recitant, suum versum absoluerent, vel male versus pronuntiarent, vt de omnibus in die iudicij illos accusaret. Hæc ille. Similibus nempe visionibus vult Deus admonere Religiosos vigilantisimæ attentionis qua prædictas horas debent soluere, vt præmium hic gratiæ, & postea gloriæ consequantur, Amen.

EXHOR-



EXHORTATIO XIIII.

QVOD FRATRES CONTENTI SINT COMMVNI VITA, ET SINGVLAritates deuitent, ac nouitates.

Noli esse iustus multum, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas. Eccles. 7.
Ecclesiastes cap. 7.

PRædicta verba, applicat D. Ieron. & D Bernard locis infra citandis, ad intentu[m] positum in titulo præsentis exhortationi. Antequam vero de illo dicamus, præmittimus non esse mentem nostram reprehendere Religiosos, qui in suo conuentu in aliqua particulari virtute præ alijs se exercent; verbi gratia, magis ieiunando, magis vigilando, magis à murmuratione cauendo. Negare enim nō possumus id sanctum esse, si debite fiat: & semper in Religionibus alij alios in virtutibus superarunt, maxime fundatores Religionum, qui magis ieiunabāt, orabant, &c. Sed nostra intentio tantum est, primo quod ille modus, & excessus non omnibus conuenit, & multa consideratione est assumendus, & secūdo præcipue prætendimus docere periculosum esse alicui virtuti tenaciter indebito modo, & nouo modo adhærere, ita vt inde

inde vitium oriatur, quod ex dicendis magis constabit pro quo sequentia considero.

Virtutes consistunt in medio.

Notum est ex D. Thom. 1. 2. q. 64 maxime art. 1. & Aristotele ibi citato, quod virtutes morales consistunt in medio, ita quod vnicuique virtuti sit præfixum medium, à quo si recedatur, iam non virtus sed vitium erit (Non est autem hic sermo de tribus virtutibus Theologalibus, fide, spe, & charitate, quæ hoc medio carent.) Exemplum sit, liberalitatis virtus in quodam medio morali consistit, ita vt si ab illo medio per defectum recedas, sit auaritia: si vero per excessum, sit prodigalitas. Vnde ego virtutem considero esse arctam illam viã mediã quæ dicitur esse inter duo illa saxa periculosissima charybdem, & scyllam maris Rhegij seu Siculi, de quibus Virgilius 5. Æneid.

Virtutis mediũ, est via inter scyllam & charybdẽ

Dextrum scylla latus, læuum implacata charybdis
Obsidet.

Et Poeta Aulus in sua poesi dixit hoc modo:

Incidet in scyllam qui vult vitare charybdim.

Est itaque illa via media arctissima, & periculosissima, quia siue ad læuam, siue ad sinistram declinetur in scopulos declinatur: & proinde difficile est mediam illam angustam tenere. Eodem modo quæcunque virtus moralis media est inter duo extrema vitiosa, quorum vtrũque peccatum est: ac proinde si ad dexteram declinaueris per excessum, vel ad sinistram per defectum iam non virtus sed vitium est. Hac de causa Deuteron. 5 postquam Deus illi populo legẽ cum præceptis moralibus sanciuit: illum ad integram obseruationem exhortans. Sic Moyses loquitur. *Custodite igitur & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis, non declinetis, neque ad dexterã neque ad sinistram &c.* Idem habetur ijsdem prope verbis Prouerb. 4. & Esaiæ 30. Idem quoque docuit Gregorius Nyssenus homil. 8. in Cantica dicens: *Virtus media est inter duo vitia, nempe inter defectum honesti, & exuperationem* Hac de causa virtus difficilis esse dicitur, quia cum in medio quasi indiuisibili cõsistat, facile ab illo medio, multisque modis aberratur, modo per defectũ, modo per excessum Hæc igitur etiã causa est quare in citato themate Ecclesiastes cõmẽdat Spiritus sãctus ne simus multũ iusti, id est cũ excessu: nomine enim iusti, seu iustitiæ hoc loco potest etiã intelligi quæcunque virtus moralis: circa quã nobis cõmendatur ne vlli tenaciter, cũ excessu, & modo indebito adhæreamus, iã enim non virtutẽ, sed contra-

Deut. 5.

Prou. 4.
Isay. 30.

cōtrariū vitiū operabimur. Hinc adeo celebratum est illud Prouerbium Terentij in Andria: *Ne quid nimis.* Et adeo laudatū est medium maxime ab Horatio lib. 2. Ode 10.

Est modus in rebus sunt certi denique fines
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Perfectio nostra nō consistit in solis virtutibus moralibus.

Iam vero, præter illud cōmune periculū declinandi à medio virtutis in extremū per excessum, sunt multæ aliæ causæ ob quas in virtutibus moralibus cauendus est, vel non nimis curādus est excessus. Prima causa est quod vitæ sanctitas non est colligenda præcipue ex virtutibus moralibus, verbi gratia, ex austeritate, sed ex fide, spe, & gratia, & charitate: quāuis enim virtutes morales sanctæ sint, & multum ad perfectionē conducant, non illis præcipue perfectio attribuitur, sed virtutibus Theologalibus, quæ non consistūt in medio, & sunt multo perfectiores; exemplū sit vnicū & clarū. Austeritas, & laboriosa corporis afflictio, ad virtutē moralē spectans, sancta est, & ad perfectionē cōducens; nō tamen præcipue ex illa mensuranda est perfectio sanctitatis alicuius. Nā aliās Ioānes Baptista esset sanctior Christo Domino, quia austeriorē vitā habuit, quod est falsissimū. Vnde hac de causa vt bene Suarez aduertit cum D. Thom. & August. quos citat 3. part. to. 2. disp. 28. sect. 3. Christus Dominus in vestitu, potu, & cibo fere cōmunem vitam egit: præterquam quod enim sic cōueniebat ad finem incarnationis: non adeo curauit Christus Dn̄s de maiori illo incremento austeritatis, & cæterarū virtutū moraliū, quia nō præcipue in illis stat maior perfectio, sed in maiori charitate præcipue, quam ille præ cæteris maiorem habuit: & in maiori fide, & spe, quibus ille tamen caruit. Itaque quāuis sanctæ, & optimæ sint virtutes morales, etiam quando sine vitio excessus fiunt, magis tamen nobis curandū est de fide, spe, & charitate, in quibus quia medio carent, non est periculū excessus vel nimietatis, vt suo loco Theologi colligunt.

Ioannes Baptista austeriorē vitā egit quā Christus Dominus.

Secunda causa ob quā timeri potest, excessus, & nimietas, in quauis virtute morali, & cauendum sit ne simus multum iusti, est quoniam vt videmus, potest facile à medio illius virtutis incidere quis, & impingere in extremum oppositum vitium per excessum: quod quia iam paulo supra explicauimus cū exēplo scyllæ & charybdis, nō est quod amplius explicemus.

Tertia causa est, quæ sæpius accidit, quia scilicet contingit,

Virtuti vni tenaciter adhærens, aliquādo alias virtutes maiores omittit.

vt is qui tenaciter,& cum exceſſu alicui virtuti adhæret,pro illa conſeruanda alias virtutes omittit etiam maiores,illaſque conculcat: exemplum pro hoc ſufficiat illius magni quondam Origenis, litteris & ſanctitate antea adeo conſpicui; qui vt communiter hiſtoriæ produnt, præter alias virtutes quas habebat mirificas, adeo caſtitatis amator fuit, vt cum exceſſu, ſe ipſum caſtrauerit propter caſtitatem conſeruandam. Cumque hanc virtutem tenaciter,& exceſſu indiſcreto coleret: accidit vt propter illam fidem Catholicam omitteret. Cum enim ab infidelibus comprehenſus cogeretur, vt vel Dijs incēſum immolaret, aut Sodomiticum coitum in ſe pateretur. ille indiſcrete eligens, ne caſtitatem perderet, & fædū illum coitum pateretur, Dijs immolauit; & ita pro caſtitate, fidem amiſit: cum poſſet & caſtitatem ſeruare: coitum omnino inuitus, & vim, cui reſiſtere non poſſet patiens abominando, iuxta illud ſanctæ Luciæ, ſi me inuitam iuſſeris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam,&c. Vide itaque hominem cum nimietate, & exceſſu indiſcreto vni virtuti addictum, caſtitati ſcilicet, totam fidem Catholicam abnegare. Non multum ab eo diſtauit Tertullianus, qui etiā amore caſtitatis, cui ante hæreſim, affectus valde erat, poſtea pro caſtitatis defenſione indiſcreta; ſcripſit contra ſacram Scripturam duos libros de caſtitate & pudicitia, maxime librum de Monogamia in quo ſecundas nuptias condemnat contra ſacras& expreſſas Scripturas. Inter Religioſos autem, non deeſt aliquale exemplum præſentis argumenti. Contingit enim, vt aliquando Prælati ſuperiores per obedientiam præcipiant, ne fiant ſecretæ abſtinentiæ, vigiliæ, & flagellationes, vel ſimilia opera aliās bona, ſed ex circunſtantijs illicita: & tamen videas aliquos macerationis cauſa, vel charitatis grati., (vt putant) oppoſitum facere, & propter virtutem illam cui cum exceſſu & nimietate dediti ſunt, relinquere maiorem virtutem, obedientiam ſcilicet,quæ eſt melior quā victimæ De hoc conqueritur D. Bern.ſerm 19.ſuper Cantica,cōtra Nouitios & adoleſcētes Monachos,qui zelo indiſcreto, & ſalutis periculo vltra communē vitā,cōtra voluntatēBernardi,multa opera laborioſa clā faciebant: & cōtorquens ad illos hoc verbum,*nimis*,de quo ibi antea loquebatur,ſic habet: *Vos qui nuper veniſtis tangit ſpiritualis ſermo: veſtrā illam (quā & nos frequenter reprimere conati ſumus) minus diſ-*

Operæ pænitentiæ contra obedientiā facta, peccata ſunt.

cretam

cretam vehementiam, imo intemperantiam prorsus nimium obstinatam redarguens. Non sufficit vobis regulare ieiunium, non solẽnes vigiliæ, nõ imposita disciplina non mensura quam vobis partimur, in vestimentis, & alimentis, priuata præfertis communibus? &c. Ecce quomodo obedientia contemnitur, ob particulares cum excessu virtutes: cum autem hic & in sequẽtibus dico debere fratres contentos esse vita Monastica communi, intelligo in ijs in quibus vita communis deprauata non est, sed in suo vigore, & puritate perdurat.

Quarta causa ob quam timeri potest particularis excessus in virtute est, ne forte postea fragilitate victus, retrocedat cum infamia: & hoc forte innuitur in citato themate in vltimis verbis, *Ne obstupescas*. Sunt enim multi qui in discreto feruore, ac zelo austeritatis viam difficilem arripiunt: quam postea continuare non valentes, & cũ rubore resiliunt, & aliquando postea peiores fiunt quam antea fuerant. Et quod attinet ad infamiam quam acquirunt, debebant prius cogitare iuxta illud Lucæ 14. consilium datum illi, *qui voluerit ædificare turrim: prius enim debet secum distarrere & computare pecuniam ad sum ptus si sufficienter pecunia abundet*: ne postquam incæperit, & ob pecuniæ defectum desistat, omnes illudant ei dicentes: *Quia capit ædificare, & non potuit consummare*. Sic etiam ille qui particularem abstinentiam, vel austeritatem inchoauerit, computet prius si vires ac virtutem habeat ad perficiendum; ne postea retrocedens ab illo arrepto itinere cum dedecore decidat. Et vt dixi contingit, vt isti aliquando sic retrocedentes peiores fiant & maiori cum libertate vitijs patrandis indulgeant. Eo nempe modo quo aqua repressa, si aditum inueniat maiori impetu fluit. Et quo vinum antea fuit melius, si acescat, fit acrius acetum quam ex vino ordinario. Et huic tali poterit applicari illud Isayæ 1. *Argentum tuum versum est in scoriam* Et illud Iacobi 5. *Aurum & argentum vestrum æruginauit*. Egregium de hoc extat documentum apud Cassianum collat. 2. dum magnum illum Antonium loquentem inducit. *Nam quosdam sæpe inuenimus acerrime ieiunijs incubantes, ac mirifice in solitudinem secedentes, priuationem quoque facultatum omnium ita sectantes, vt ex ipsis ne vnius quidẽ diei victũ sibimet, vnumque denarium superesse paterentur: humanitatis etiam studia tota deuotione complentes*

Marginalia: Excessus in virtute aliquãdo facit deficere, & retrocedere. — Luc. 14. — Deficiẽtes á virtute incepta aliquando peiores fiunt. — Isay. 1. — Iacob. 5.

ita vidimus repente deceptos vt arreptum opus non potuerint congruo exitu terminare, summumque feruorem, & conuersationem laudabilem detestabili fine clauserint, &c. Et paulo infra reddens causam talis ruinæ quam docet esse defectum discretionis, ad intentum propositum sic habet. *Neque enim alia lapsus eorum causa deprehendetur nisi quod minus à senioribus instituti nequaquam potuerunt rationem discretionis adipisci, quæ prætermittẽs vtrãque nimietatem (Excessus scilicet, & defectus in virtutibus) via regia docet monachum semper incedere, & nec dextra virtutum permittit extolli, id est feruoris excessu continentiæ iusta modum inepta præsumptione trãscendere, nec oblectatum remissione deflectere ad vitia sinistra concedit, hoc est sub prætextu gubernandi corporis contrario spiritus tepore lentescere.* Sic ibi eleganter profecto. Ecce quomodo religiosus vt secure incedat, via regia gradi debet, vtramque nimietatem excessus defectus deuitans, ne feruore indiscreto tepefacto corruat miserabilis ac peior.

Discretio debet moderari virtutem.

Quinta & principalis causa ob quam religiosus vitare debet nimietatem est periculum vanæ gloriæ imo hypocrisis; quoniam hæ ambæ nimietatem virtutum solent comitari, infestare aut saltem tentare. Docuit hoc de gloria inani beatus Ieronimus in epist. 22. quæ est ad Eustochium de custodia virginitatis vbi illam sanctam virginem sic alloquitur. *Nec satis religiosa velis videri nec plus humilis quam necesse est ne gloriam fugiendo quæras. Plures enim paupertatis misericordiæ atque ieiunij arbitros declinantes hoc ipso cupiunt placere, quod placere contemnunt. Et mirum in modum laus dum vitatur appetitur.* Hæc ille. Et Paulo infra ait. *Sunt quippe nõnullæ exterminantes facies suas vt appareant hominibus ieiunantes, quæ statim vt aliquem viderint ingemiscunt demittunt supercilium, & operta facie vix vnum oculum liberant ad videndum, &c.* Idipsum docuit beatus Gregorius Papa hom. 12. in Euangelia dum parabolam decem virginum explicat dicẽs. *Et sunt plerique qui corpus per abstinentiam affligunt sed de ipsa sua abstinentia humanos fauores expetunt.* Sic ille. Idem etiam docuit melifluus Bernardus serm. 4. super Psal: *Qui habitat.* Sic dicens, & hunc locum nostrum Ecclesiastes citans. Vnde & dicitur *Noli nimium iustus esse (videtur dicendũ, noli multum) non quod iustitia bona non sit, sed quia dum adhuc infirmi sumus oportet ipsa bona gratia temperari ne forte elationis aut indiscretionis vitium incurramus.* Sic Bernardus. Quod vero in particulari attinet ad periculum, & tentationẽ hypocrisis quæ valde vicina

Vanæ gloriæ & hypocrisis periculum vitandum.

Multi fugientes vanã gloriã incidunt in illam.

vicina est inani gloriæ quod inquam nimietati valde vicina, seu infecta sit hypocrisis, sufficiat exemplum illorum pharisæorũ, qui viuebant tempore Christi Domini qui, quam essent austeri, & in corporum afflictione rigidi, cum nimietate, & excessu, narrat præ alijs ex Iosepho, & Epiphanio, Baronius tom. 1. Annalium in apparatu cap. 8. sic dicens. *Alij ex ipsis asseres sibi parabant dodrantis tantum latitudine, & in his se ad vesperam locabant, vt siquis dormisset, in pauimentum decideret, & rursum excitaretur ad orationẽ per hoc quod vigilantem vitam haberent quantum fieri posset Alij lapillos ex aquis collectos sibi ipsis sternebant vt dum ijs pungerentur non in profundum somnum deferrentur, sed vigilantiam sibi ipsis parare cogerẽtur. Alij spinas pro strato habebant, ob eam causam ieiunabãt bis in sabbato, &c.* Quinimo addit Lorinus super Act. Apostol. cap. 5. ex diuo Ieronimo: *Quod pharisei in oris, seu fimbrijs vestimentorum spinas affigebant, vt nudos pedes (sic enim incedebant) ferientes & cruentantes, eosdem pedes ac tibias sic cruentatas ostẽtarent in signum seuerioris vitæ.* Vide si vnquam Seraphicus Pater noster Franciscus, vel alius Sanctus quantuncunque austerus, & proprij corporis afflictor acerrimus, propter Deum talia fecit, quantum illi pharisæi pro vana gloria? Quod autẽ prædicti pharisæi cum illa austeritatis nimietate & excessu vanam gloriam affectarẽt, plena est historia Euãgelica in qua passim de illa, & de hipocrisi à Christo D. taxãtur Maxime Math. 23. illis verbis. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, &c.* Huius rei causam ego facilem, claram sic assigno; sic enim homines adeo honoris, & gloriæ cupidi sunt, vt gloriam affectent etiam cum manifesto vitæ periculo, vt patet in ijs qui bello periculoso se ingerunt; ob solum honorem: si item gloriam venamur etiam per actiones peccaminosas vt patet in pugnantibus in duello, ob solum titulum vanæ gloriæ vel alijs: quanto magis timendum est illam desideremus propter actiones virtuosas, cum virtuti maxime debitus honor sit: imo & quo maior fuerit actus virtutis magis timendum erit de vana gloria Hoc adeo verum est vt diuus Ieronimus citata epist. 22. ad Eustoch. innuat timendum esse ne illa gloriaretur in vestibus sordidis religionis, quæ non fuerit gloriata sæcularis, in vestibus preciosis prophanis: sic enim ibi ait. *Vt quia in auratis vestibus placere destitisti, placere cuperis in sordidis.* Concinit dictũ Ciceronis pro Archia Poeta: dicentis. *Trahimur omnes laudis studio & op-*

Pharisæorum austeritas ex qua hypocrisim venabantur.

Math. 23.

Vanã gloriam homines quærunt & per peccata, & per virtutes.

Philosophi ibi gloriá vanam taxabant, ibi illam quærebant.

& optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi etiam Philosophi in illis libellis quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt & in quo prædicationem, & nobilitatẽ despiciunt, prædicari se atque nominari volunt. Sic ille.

Excessus virtutis aliquando omittendus ob scãdalum.

Non omittã addere causam ob quam nimietas in virtute relinquenda est aliquando, videlicet, quia forte scandalum potest causare, alijs forsitan indignantibus, & imitari non valentibus. Forte considerauit hanc causam D. Bernard. qui in paruis sententijs duobus folijs vel tribus ante finem, citans hunc locum nostri thematis ex Ecclesiaste, postquam eleganter dixit, actum virtuosum in nobis esse quemadmodum sanguinem in corpore, qui aliquando nocet quod sit malus, aliquando ex eo solum quod sit multus, & proinde per venæ abscissionem resecandus est: pari modo dicit actũ alicuius virtutis aliquando omittendum, quia malus sit ex mala scilicet circunstantia vel fine: aliquando vero omittendum, quia multus est, & nimius, & proinde resecandus: cum inquã hanc elegantem comparationẽ assignaret, citans dictum locum Ecclesiastes, ne simus multum iusti. Subdit hæc verba: *Si vis agere pœnitentiam, castigare vt oportet membra, corpus affligere, iudicare temetipsum, vt non incidas in manus Dei viuentis iustum id quidem: sed ne quid nimis. Alioqui reprimendus est feruor immoderatus ne noceat vnitati, seruiat indiscretioni.* Hoc ille. Vbi vides in vltimis verbis, nimietates nocere vnitati, id est, paci & concordiæ communitatis, &c. ob causam à me proximè datam. Scio tamen, quod si tale opus debite fiat, & scandalũ ortum, sit scandalum Pharisaicum non esse opus relinquendum: si vero scandalum sit pusillorum esse omnino omittendũ, idque maxime locum habebit in prælato, cuius vita cum sit quasi lex subditorum, saltem in publico communis esse debet, ne forte indignationem causet cum singularibus nimietatibus, vel quasi vim subditis faciat ad suum rigorem inuoluntariè imitandum. Cuius exemplum clarum habemus in illo Patriarcha Iacob, qui inuitatus à fratre Esau Genes. 33. vt pariter in via ambularent: Respondit Iacob, se non posse cum illo gradu sic celeri ambulare; habebat enim vxores, ac paruulos debiles, & imbeciles, quos si in ambulãdo plus faceret laborare, morerentur vna die: & proinde se ad illorum fragilitatem accommodauit. Id quod & Christus Dominus fecit, qui cum peccatoribus & Publicanis manducabat, & vi-

Prælatus maxime tenetur nimietates & singularitates virtute.

Gen. 33.

& vitam, vt iam diximus non adeo rigorosam sicut Ioann. Baptista peregit, vt scilicet fragilitatem nostram solaretur, & quasi expectaret.

Nouitates resecãdæ omnino.

Iam denique, si, quod in secũda parte tituli positum est, Religiosi illa nimietas aliquid nouum & singulare inusitatum inducat, vel in veste, vel in verbo, vel in opere: omnino tanquam suspectum resecandum est: omne namque nouum, in hac materia suspectum est. Quod probo ex eo quod inter notas & signa quibus dignoscitur Mater Ecclesia Catholica, vna est quod sit antiqua & vetus, vt inter alios tenet Bellarmin. tom. 1. lib. 4. c. 5. de Notis Ecclesiæ. A tempore enim Apostolorum & Christi Domini quod semel circa fidẽ docuit, illud semper ab antiquis sæculis vsque in præsentem diẽ docuit, & docet, ac docebit: ẽ contra vero, Lutheranorum Ecclesia, (si Ecclesia dicenda est, & non potius coniuratio Diaboli) pro nota habet quod sit noua, quod enim illi contra matrẽ Ecclesiam docent, nouum, & hesternum inuentum est. Quod ergo de Matre Ecclesia in cõmuni dicitur; idem de particulari Religione dici potest, quod scilicet præcipua eius nota, & signũ erit antiquitas: ea enim sola, & vera Religio esse debet, ver. grat.

Ecclesiæ nota est quod sit antiqua.

Minorũ Fratrum, quæ olim à Fũdatore P Francisco fuit edocta: illa erit Patrum Prædicatorum, quæ olim â Patriarcha Dominico antiquitus fuit instituta: quid quid autem nouum, & singulare fuerit inuectum, de quo olim non fuerit notitia, neque cum Fundatorum mente congruat, omnino relegandum, tanquam suspectum est. Et his nouitatum inuentoribus, & inuectoribus pulchrè & appositè dici potest, id quod Patres olim dicebant hæreticis nouitates introducentibus in Ecclesiam. Huiusmodi est illud Tertull. lib. de præscription. *Qui estis vos, vnde & quando venistis? vbi tandiu latuistis?* Itẽ Hylarius 6. de Trin, contra nouas hæreses seu nouam doctrinam adducentes, ait: *Tarde mihi hos pijssimos Doctores ætas nunc huius sæculi protulit, seros habuit fides mea, quam tu erudisti Magistros, &c.* Et Ieron. epist. ad Pamachiũ, & Oceanum sic ait: *Quisquis assertor es nouorum dogmatũ, quæso te vt parcas Romanis auribus parcas fidei quæ ore Apostolico laudata est. Cur post quadringentos annos docere nos niteris quod ante nesciuimus? vsque in hanc diem sine vestra istæ doctrina Christianus mundus fuit.* Hæc ille. Quæ omnia accommodari possunt nouitatum inuentoribus in Religione. Adde quod notauit Caet. in sua sum.

Morali

Morali tit. incantatio. videlicet quod ad cognoscendas dæmonis incantationes, & veneficia, inter septem signa quæ ad illa dignoscenda profert, tertiam ibi assignat: *Si videlicet inter verba prolata, miscetur aliquod nomen obscurum, ignotum, & nouum.* Inuentum namque diaboli est, res obscura, noua, & ignota, ne scilicet cius malitia & versutia deprehẽdatur. Ac denique hæretici huius temporis passim à Doctoribus Nouatores appellantur, ea nempe de causa, quod quidquid docent contra Ecclesiam nouũ est. Cauendũ ergo valde Religiosis est, quodcunque nouitatẽ & singularitatem redolere posit.

Nomina obscura, & noua suspecta sunt.


Explicauimus hucusque causas quare iuxta Salomonẽ, non deceat esse nimium iustum, cũ excessu scilicet, nimietate &c. tunc enim cõmuniter vitiũ est, si indebito modo fiat. Si autẽ debito modo fiat maior austeritas, abstinentia, &c. laudabilis & sancta est, vt initio dixi, neque vituperanda, neque impediẽda, si careat impedimentis & periculis à nobis explicatis, solũ restat aduertere, vt quoniam (sicut ex Cassiano, & Bern. docuimus) periculũ in nimietate oritur ex indiscretione, procuret Religiosus discretionis virtutem edoceri, & à Deo postulare ne scilicet per excessum vel defectum oberret. Hanc discretionem vocat Cassianus citata collat. 2. cap. 2. lucernam mentis & corporis, iuxta illud Matth. 6. *Lucerna corporis tui, est oculus tuus.* Quemadmodum actiones corporeæ recte dirigi non possunt, si desit oculus corporeus illustrans, ac dirigens. Eodem modo si in intellectu nostro descretio desit, non poterũt operationes animæ in actibus virtuosis rectitudinis tramitem attingere. De eadem etiam discretione eleganter docet collat. 1. c. 22. *Esse omnino necessariam, inquit primum vt materia nos auri veri, seu fucati, fallentisque non lateat: secundo vt has easdem cogitationes quæ mentiuntur opera pietatis, tanquam adulterina numismata, & paracaraxima reprobemus, vtpote quæ falsam imaginem Regis nõ legitime signata contineant, & cæt.* Hæc inquam si discretio adsit nihil nimium per excessum vel defectum operabimur, sed iuxta Paul. ad Roman 12. *Erit rationabile obsequium nostrum* iuxta regulas prudentiæ, ita vt hic gratiam mereatur, & in cælo gloriam, Amen.

Discretio procuranda est à Religioso in virtutibus.

Matth 6.

Rom. 12.

EXHOR-



EXHORTATIO XV.

AD MONIALES, NE VESTITV, ORNATV-VE VTANTVR INHONESTO, neue inceſſu laſciuo incedant.

Amictus corporis, riſus dentium, & ingreſſus hominis, enuntiant de illo. Eccleſ. 19.
Eccleſiaſtici cap. 19.

QVanuis omnes exhortationes hactenus poſitæ etiam Monialibus inſeruiant; aliquæ tamen in particulari illis neceſſariæ ſunt ratione ſtatus ac ſexus, qualis eſt præſens cum proxime ſequenti.

Vſitatum valde eſt, & quaſi connaturale, vt veſtium qualitas ac modus denotent affectus, & ſtatum particularem, & proprium interioris mẽtis. Id quod primo in Adam licet intueri qui cum poſt peccatum cognouiſſet ſe eſſe nudum Geneſ. 3. veſtem fecit ſibi ex folijs ficus: quæ veſtis pro tunc aptiſsima erat ad ſignificandum iam interiorem affectum doloris, & afflictionis corporeæ quam pro peccato aſſumebat: cum enim folia ficus aſpera ſint & pungentia, ſtatimque Adam poſt peccatum dolore peccati interius punctus. pœnitentia externa illud vellet punire, aptiſsimam veſtem ad id ſignificandum aſſumpſit aſperã ſcilicet pungentem, & hiſpidam, qualia

Veſtes externæ denotant affectus internos.

Gen. 3.

Veſtis Adæ ex folijs ficus ſignũ pœnitentiæ.

qualia sunt folia ficus. Author huius considerationis est Irenæus lib.3.contra hæres.cap 37. dicens: *Per succintorium, quod sibi Adamus circundedit ipso facto ostẽdit suam pænitentiam folijs ficulneis semetipsum contegens, existentibus, & alijs folijs multis quæ minus corpus eius vexare potuissent, &c.* E contrario vero cum Thamar Nurus Iudæ, Genes.38. vellet significare & ostendere animum impudicum & non castum, *deposuit vestes viduitatis, assumpsit theristrũ, & mutauit habitum, sumpsitque vestes curiosas, & impudicas, per quas à Iuda transeunte meretrix iudicata est.* Hinc videas in nuptijs vsos fuisse homines veste nuptiali, læta scilicet iucunda, & hylari, ad denotandam interiorem animi lætitiam: é contra vero in exequijs funeralibus solere homines atris, ac nigris vestibus indui ad indicandum internum mentis mærorem. Apte igitur noster Ecclesiasticus dixit, quod amictus hominis enuntiant de homine, id est ostẽdunt statum, & affectum interiorem hominis. Hinc iam manifesta consequentia licebit inferre quod Monialis, quæ curiosis vestibus, lasciuo ornatu, & inhonesto amictu fuerit induta, satis possumus colligere illius impudicum, & lasciuum animum interius latentẽ. Adduco statim huius rei præclarum, & manifestum exemplum, illius posthumiæ virginis vestalis, de qua refert Titus Liuius Decad.1.lib. 4. Hæc cum inhoneste amicta, & indecenter ad statum ornata incederet, accusata fuit Romæ, & ad iudicem delata de virginitate amissa, quod illis virginibus capitalis pœna erat. Cumque à Iudice probationes, ac testes criminis peterẽtur, accusans nullam aliam probationem obtulit quam dicere: Hæc indecente ornatu & lasciuo induitur, verba non honesta loquitur: ergo signum est eam nec virginem esse, nec castam. Ecce quomodo etiam apud Gentiles, & in lumine naturali possumus male suspicari de castitate Monialis, quæ curiosis, & lasciuis vestibus induitur. Quo vero magis hæc indecentia, & culpa in virginibus Deo sacratis agnoscatur, & emendetur, videamus primo, qualia nobis exempla reliquerint Ethnici viri, ac fæminæ: qualia Christiani sæculares, ex Ecclesiæ decreto debẽt facere.

Gen. 38.

Posthumia vestalis ob impudicas vestes accusata, & suspecta habita de castitate.

Imprimis igitur quædam filia Aristotelis nomine Phytias, vt refert Vega Psalm. 1. pœnitent. vers. 10. discurs. 2. cum in cætu fæminarum disputaretur, quis nam esset color aptior, & pulchrior ad ornatum muliebrem; aliæque aliter sentirent, hæc de

Color aptior ad ornatu fæminæ, est verecũdia.

viridi,

viridi, illa de rubro, illa de cæruleo, &c. Phytias tanquam vere filia tanti Philosophi respondit: *Optimus color est quem in genis gignit pudor*. Et reuera pulcherrimum dictum; neque enim vllo alio colore plus fœmina ornatur, quam verecundia. Quo forte allusit optime Gregor. Nazianzen. tract. aduersus mulieres ambitiosius se ornantes, dicens: *Pulchriorem colorem ad faciem ornandam mulieris esse pallidum illum qui ex ieiunijs, & carnis maceratione resultat*. Verba tanti Doctoris sunt hæc: *Dabimus & alterum colorem, nempe vt pulchritudini tuæ pallorem asciscas, Christique laboribus intabescas, atque & precibus, & lachrymis, & diurnis, nocturnisque vigilijs te ipsam maceres, &c* Hic fere color pallidus pulchrior est Moniali ad ornatum ex ieiunijs comparatus. Narrat item Paulus Orosius lib. 6. histor. quod cum Iulia filia Augusti Cæsaris intraret ad visitandum Patrem plus debito ornata, & composita, vidit à patre non fuisse beneuole receptam: quod cum aduerteret, sequenti die, deposito illo lasciuo habitu, ad illum iterum ingressa fuit. Quam sic videns pater læto vultu & hylari sic affatus est *Et quanto magis iste cultus decet Augusti filiam?* Narrat etiam Plutarchus in præceptis connubialibus Dionysium Tyrannum vestes: quasdā pretiosissimas, & curiosissimas, misisse ad Lysandrum Regem Lacedæmoniorum, vt ipsis filiæ illius, inducerentur; Lysander vero illas acceptare noluit, dicens: *Hoc ornamentum dehonestabit potius filias meas, quam ornabit* Tertullianus de velandis virginibus, multa dicit de honesto ornatu gentilium fæminarum, quas opponit fæminis Christianis dicens: *Iudicabunt vos Arabiæ fæminæ Ethnicæ, quæ non caput, sed & faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ sint dimidiam frui lucem quā totam faciem prostituere*. Hæc ille. Ecce qualem honestatem in amictu, & ornatu, Gentiles fœminæ obseruarunt, & facto suo docuerunt. Quid ergo conuenit faciant fœminæ non modo Christianæ, sed etiam Religiosæ, quæ voto obstrictæ sæculi vanitatibus renuntiarūt; eiusque lasciuum ornatum contempserunt propter amorem Domini nostri Iesu Christi? Sane vere dixit Tertullianus citatus, quod ipsæ Gentiles fæminæ iudicabunt, & in die iudicij condemnabunt Christianas & Moniales.

Color pallidus ex ieiunijs est optimus fæminæ.

Ornatus fæminarum Gentilium.

Quod vero attinet ad fæminas Christianas sæculares scilicet cuiusque status; particulari aduertentia Diuus Paulus earum

1. Cor. 11. ornatum modestum commendauit, prima enim ad Corinth 11. illis præcipit, *vt caput velent propter Angelos,* & honestatis gratia: & prima ad Timoth 2. verbis magis claris idipsum exagerans ait: *Similiter & mulieres in habitu ornato (id est modesto cum verecundia, & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem,&c* Quibus duobus locis, & alijs fundati Doctores, & Patres antiqui mira prædicarunt, & scripserunt contra ornatum lasciuum fæminarum quæ longum esset recensere, præter quam quod passim obuia sunt Et in particulari Doctores Theologi qui ea de re scribunt, vix vnquam, aut raro fæminas curiose se ornantes à peccato liberant, cum saltem vanitatis vitium communiter ibidem intercedat Quantam ergo maiorem in hoc curam debet adhibere Monialis, quæ, vt diximus, maiori ad hoc vinculo deuincta est. Non possum non hoc loco paululum immorari, ac spatiari cum illo aureo ore Chrysost. hom 8. super epistolam 1. ad Timoth. imo & vellem totam illã transcribere, tum ob necessaria ibidem dicta, tum quia scio paucos similia loca perlegere: & ibi contenta mire faciunt ad nostrum intentum, neque ego aliena verba, vel mea propria, proferre possum pro priora ad præsens argumentum. Igitur B. Chrysost explicans illa verba citata Pauli ne mulieres ornent se tortis crinibus cum curiositate, sed cum verecundia, &c, redarguens illas quæ secus faciũt: inter alia sic inquit, in tit. Morale: *Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circunfers, flauosque crines & ipsos auro compositos, an vero saltatum ad Ecclesiam pergis? Num vt tui spectaculum præbens aduenisti?* Et paulo infra, cũ præmittat, finem ad quem Ecclesias intramus esse, vt supplicemus Deum cum lachrymis pro peccatis nostris sic ait: *Non iste supplicis habitus. Quo enim pacto ingemiscere potes ac lachrymas fundere, atque intentissime, vt decet, orare, qua eiusmodi ornatu compta procedis?* Denique paulo infra subdit, quod, cum ille habitus plus deceat scenas & saltatrices quã orantes, si casu fæmina sic ornata lachrymas in Ecclesia fundat, vix illi credendum esse, & simulationem iudicandam fore; neque enim possunt lachrymæ cum tali ornatu congruere. Quæ omnia & alia cũ ibidẽ contra cõiugatas mulieres proferat: statim post ad Moniales conuersus illarũ in vestitu lasciuiam tanta rigiditate increpat; & tot particularitati-

Margin notes: 1. Tim. 2. — Ornatus fæminæ Christianæ. — Ornatum lasciuum fæminarũ taxat Chrysost.

cularitatibus, in Monialibus aliquibus nostri sæculi repertis, depingit, vt ego admiratus mecum dixerim, in omni sæculo semper malos in malis similes fuisse: & verum esse etiam in hoc quod Salomon Ecclesiastes 1. *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est?* Depingens ergo Chrysostomus aliquas Moniales illius tẽporis post reprehensionem fœminarum sæculariũ: sic applicat: *Enim vero si his quæ sub viro sunt, quæ in delitijs viuunt quæ diuitijs circunfluunt interdicit: quanto magis eis quæ virginitatem professæ sunt?*

Ecclef. 1.

Iam vero cum eodem Chrysost. descendentes ad illa particularia depingenda, ait esse Moniales, quæ quamuis aurea monilia, sericas, & pretiosas vestes, & cætera lasciua ornamenta nõ habeant: illas tamen suas Religiosas & pauperes vestes sic aptant, & tali modo ad lasciuiam componunt, vt eo modo illis aptatis magis ad lasciuiam prouocent quam sæculares. Verba Chrysost. audiamus. *Licet enim (ait) etiam vilibus pannis, eiusce compositionis opinione notari, nec minus quam si aureas amiceretur vestes: vbi cum pulla tunica fuerit, & pectori cingulo diligenter adstricta, ad earum instar quæ in scena saltant, vt neque nimiũ turgẽs in latũ excedat: neque tenue adstrictũque immodice contrahatur, verũ seruato medio inter vtrũque modo rugas circa pectus intendant pariles, quam sericæ vestis illecebram hac arte non superet? Quid item, cum faciem quidem fucis ornare non pergis, sed eam nimio studio diligentiaque circũuoluis, atque superne à fronte velum faciẽ candidius suspendis ac demum pallium imponis, vt sub nigro colore facies decentior videatur, & gratior? Quid item oculorum illos innumeros tactus? Quid item de collo quod nunc quidem operitur, nunc autem de industria denudatur? Quid item de strophio quod mammillis constringendis apponitur? Et paulo infra: Quid memorem tractam humi tunicam (id est, os rabos que arrojão no habito) incessumque infractum, & huiusmodi cætera quibus longe magis, quam auri monilibus, intuentes capi solent?* Sic ille. Ecce ego credebam solum nostri temporis esse talia mala, & recens inuentos illos modos lasciuos in ornatu Monialium. Nunc autem dico, quod quemadmodum in Prouerbio est, nihil dictum quod iam non dictum sic etiam, nihil factum quod iam non factum: ac proinde nemo me condemnet, cum nihil addam noui, imo aliqua eius dicta omitto grauiora sed vera.

Ornatum lasciuum Monialiũ mire depingit & taxat Chrysost.

Postquam ergo Chrysostomus prædictos Monialium in

ornatu excessus depixit, de remedio curans ait: *Non minimum istud peccatum est, sed magnum prorsus, vt quidem ipsum Deum irritare ad iracundiam possit, omnemque virginitatis laborem absumere, gloriamque corrumpere. Christum habes sponsum, quid amatores post te homines trahis? Merito tunc te ille adulterij damnat, quod ornatum sibi gratum, atque charum, tibi conquirere negligis, verecundiam scilicet, pudorem, honestatem, habitumque ornatum: hic namque habitus adulter est, atque adeo fœdus vt meretrices, ac virgines fere discernere nequeamus.* Sic ille. Denique sanctissimus Pater ac Doctor, ad finem homiliæ, dicit hac de causa Virgines Moniales nõ haberi in pretio, sed à sæcularibus mulieribus despici & contemni: cuius verba sunt hæc: *Nempe idcirco irrident vos sæculares mulieres, quod honestissimum virginitatis nomen, & insigne pulcherrimum perdidistis. Nemo iam virginem digno honore prosequitur quippe se ipsas huiusmodi honore priuarunt. Nõne oportuit eas in Ecclesia ita esse venerandas, atque mirabiles ac si de cælo descenderent? At nunc despectæ penitus sunt sui vitij causa. Nam cum viderint te, cuius professio est, crucifixam esse mundo, ea quæ virum habet, & liberos, mundum muliebrem maiori studio curare quam se, quid mirum si irrideant, & abiectam prorsus, ac despicabilem putent.* Hæc ibi sanctissimus Pater, quibus nec meliora nec propriora puto posse reperiri. Ego vnum tantum addo contra illas quæ hoc vitio notatæ sunt. Scimus nempe quod referentibus tribus Euãgelistis Matth. 21. Marc. 11. & Luc. 19. quando Christus Dominus nouo supplicij modo factis flagellis ex funiculis, præter suam admirabilem mansuetudinem, eiecit ex templo vendentes, & ementes, eisdem illa verba dixit: *Scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Eadem vero suo modo ad præsentem materiam applicando: considero eundem Christum Dominum prædictis Monialibus lasciuo ornatu comptis, eaque de causa sæculares ad conuentũ trahẽtibus, cum quibus suspecto modo particularique loquuntur, summo cum rigore dicturum. Scriptum est, quia conuentus Monialium, domus castitatis sunt, ac virginitatis: vos autem fecistis illos domus prophanas, & quasi lasciuas.

Ornatus lasciuus facit Moniales nõ haberi in pretio.

Matth. 21.

Iã vero quod ponitur in themate *Et ingressus hominis*, per ingressus exponũt Doctores accipi incessus; multum namque exprimit incessus, cuiusque modũ, &

Incessus externus testis est affectus interni.

affectum

affectum internum, maxime in mulieribus: quod quia, ad eundem finem spectat paululum in dicemus: pro quo iuuat id quod Clemens Alexandrinus scribit lib 2. pædagogi c. 11. dicens, *fuisse aliquãdo fœminas adeo prophanas, & lasciuijs deditas, vt in soleis calceamẽtorũ litteras ferreas affigerẽt suorum amorum significatiuas, quo possent incedentes impressas in terra relinquere amatorias salutationes*. Verba Doctoris sunt hæc. *Vere ergo turpia sunt illa sandalia, in quibus sunt aurea veluti donaria. Quin etiam circum circa clauos soleis infigere æquum censent. Multa autem eis quoque amatorias salutationes imprimunt, vt vel per terram numerose incedentes, meretricios spiritus in incessu insculpant* Sic ille Hoc autem quasi hyperbolice dictum suo modo in incessu multarũ fœminarũ videas, tali nãque modo incedũt extento scilicet collo, agitatione corporis, oculorũ iactu, & similibus gesticulationibus, vt quẽadmodũ Clemẽs dixit, in incestu suo amatorios, & impuros spiritus relinquant impressos Admonuit de hoc D. Bernar. sororẽ suã serm. 9. inter eos quos ad illam scripsit, in quo de habitu sic illam instruit. *Nihil dedecoris nihil lasciuiæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil leuitatis in incessu tuo appareat. Animus enim in corporis gestu apparet, gestus corporis signum est mentis: ergo incessus tuus non habeat imaginem leuitatis, incessus tuus non offendat oculos alterius* Sic ibi Vide quanti faciat Bernardus fœminæ incessum, quot modis vitiosum posse esse doceat, & quantum oculos intuentium offendere valeat? Hac de causa Deus Esaiæ 3. taxat incessus filiarum Hierusalem, eisque ob eam causam supplicium cõminatur dicẽs: *Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo & pedibus suis composito gradu incedebant, &c. In die illa auferet Dominus ornatũ calceamentorum, &c.* Vnde non immerito Spiritus sanctus Cantic. 7. laudat gressus sponsæ, vtpote pudicos, sanctos, & castos dicens: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis?* Quemadmodum enim incomposita mulier, suo ornatu, ac lasciuo incessu intuentes lædit. Eodem modo casta, & pudica suo honesto ornatu & incessu alios ædificat, & ad honestatem conuertit.

Isai. 3.

Cant. 7.

Incessus fœminæ honestus ædificat.

Porro quanta mala Monialis lasciuo ornatu & incessu causet, breuiter sic recenseo. Primo sibi nocet, vt enim iam vidimus ex Chrysost. hoc vestiendi genus in Moniali sufficiens est vt virginitatis decus, ac meritũ absum: *. Secũdo intuẽtes nimiũ lædit, si enim viri sancti & honesti sunt,

Ornatus lasciuus Monialis quæ mala causet?

illis graue scandalum generat, non enim possunt non dolere videndo personā ex obligatione voti Christo crucifixā, suæ obligationis oblitā talibus lasciuijs occupatam. Si autem intuentes in honesti, & leues sunt periculum incontinentiæ inde sumūt, & inquietarum cogitationum argumentum. Maxime autem intra ipsum monasterium grauē dolorem sanctis alijs monialibus incutiunt, quæ videntes suæ regulæ puritatem cum tali scandalo, etiam sæcularium, violari, non possunt non ingemiscere videntes opprobrium conuentus sui Vltimo, & in particulari suū monasterium, imo & totam religionem infamant: sæculares enim illas sic videntes vel audiētes iudicant similes esse omnes quæ in monasterio, & religione viuunt. Et re vera valde dolendū est videre monialium conuentus in quibus aliquādo fere centum religiosæ viuunt, & omnes fere cum magna obseruantia, & saltem multas inuenies abstinētiæ, chori, ieiunij & cæt. virtutū obseruantissimas, & tamē propter quatuor, vel quinque tātum leuitatibus ded tas totum conuentum adeo infamari, vt apud omnes in communi male audiat, & fere nauseam audientibus ingerat.

Ornatus lasciuus moniali ū scandalizat, & infamat suum conuētū.

Contra has ergo vano vestitui & incessui deditas multas, & graues reprehensiones apud patres reperias. Cyprianu lib. de habit. virg sic ait *Quid ornata, quid compta procedit, quasi maritum aut habeat, aut quæ at.* Et idem Cyprianus citatus in Gloss. Clementinæ attendentes de statu monach verbo *Festa* dicit. *Nec computari iam potes inter puellas virgines Christi quæ sic viuis vt possis adamari.* Et diuus Bernardus illo serm. 9. ad sororem sic ait. *Honesta virgo vestis pura circundetur tibi, non ad pulchritudinem, sed propter corporis necessitatem vt dum preciosis vestimentis vestiris cadas in turpitudinem animæ, quia quanto amplius foris corpus per vanam gloriam componitur, tanto interius anima fœdatur.* Et paulo infra. *Quanto amplius in compositione corporis lætamur tanto magis à supremo amore disiungimur.* Ac tandem statim post ait. *Vere maculam habet in se sancti monialis fœmina si diligit preciosa vestimenta*: & alia quæ ibi congerit in eandem sententiam. Denique diuus Ieronimus in regula monacharum cap. 31. præmittens in principio capitis, quod firma vltimi iudicij cogitatio monachas faciat in vilibus vestibus delectari, & humilibus pannis contētas esse. Sic inquit. *Ita carissimæ, decet monachas, non strictis manicis, preciosis. & compositis pannis subtili velamine eleuatis super-*

Ornatus lasciuus moniali ū taxantur à patribus

ſupercilijs cor meritricum, non tantum prætendere, quam habere Non tales exiſtimo monachas ſed peſsimas meretrices. Non eſt enim opus cadaueribus mortuis eorũ precioſis, & compoſitis ornamentis in ſepulchris Hiſtrionibus, & luſoribus Regum, & Principum ſæculi, monilia ſunt relinquenda Pudeat igitur religionis nomen habere, & ſe cultu veſtium hiſtrionem oſtendere Ideoque chariſſimæ volo vos mortuas ſæculo, quæ totaliter mundum calcaſtis procedere ſic deformi, & incompoſita veſte quod ſi impudicis oculis liceret intueri vos, riſus potius prouocaretur, quam cogitatio mala, &c Quæ ibidem habet. Et hoc ſufficiat pro illarum reprehenſione ac doctrina, ſi in hac parte docibiles ſunt.

Reſtat tandem vt de vero veſtitu, & ornatu eaſdem ex iiſdem patribus admoneamus Et primum documentum ſit Tertulliani lib. de cultu fæmin. vbi earũ cultum cõmendans ſic inquit. *Prodite iam medicamentis, & ornamentis Apoſtolorum inſtructæ, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & ſpiritus taciturnitate, inſerentes in aures ſermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Chriſti Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis purpura pudicitia, taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* Sic ille eleganter. Et quod etiam ob quietem corporalem curioſis illis veſtimentis abſtinendum ſit, tenet Ambroſ. lib. 1. de virginibus vbi poſtquã dixit de tedio, ſeu labore fæminarum ſæcularium in illis veſtibus, quærendis, aptandis & portandis, ad virgines conuerſus ſic inquit: *Vos vero beatæ virgines, quæ talia tormenta, potiuſquam ornamẽta neſcitis: quibus pudor ſanctus verecundia ſuffuſus ora, & bona caſtitas eſt doceri, &c.* Diuus Ieronimus in fine illius cap. 31. ſupra citati, ſic habet. *Hæc gloria monacharum (obiectio ſcilicet veſtium) hoc ſtudiũ religioſarum mentium, hoc iudicium ſponſarum Dei æterni, hoc ſignum mortuarum ſæculo, & ſepultarum.* Sic ille. Diuus Bernardus in fine illius ſer 9. citati ſororem ſuam monialem ſic perorat. *Obſecro te vt habitum ordinis bonis ornes moribus. Sanctus eſt habitus, ſanctus ſit animus ſicut ſancta ſunt veſtimenta ſic opera tua ſint ſancta. Et ſicut ſacratum eſt velum, ſic opus tuum ſit ſanctum. Non aliud abſcondas intus, & aliud oſtendas foris &c.* Ego vero de pulchritudine corporali in memoriam reuocandum illis puto, illud Prouerb. 31. *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo mulier timens Dominum ipſa laudabitur.* Gratiam, ibi, corporalem decorem intelligit & hunc ſeu pulchritudinem vocat fallacem, & vere quidem nam vel fallet aliquando mulierem cui ineſt, vel

Ornatus decẽs Monialibus quis?

Veſtes honeſtæ etiã corpori quietem afferunt, & cõmodum.

Prouer. 31

Pulchritudo fallax bonum.

alios illam intuentes: Nouerat hoc Beata illa Anisia, de qua refert Sanches libro suo de regno Dei lib. 5 cap 8. quod cum esset pulchra, & adolescens, sed casta, quasi de ætate & pulchritudine conquesta, dicere solebat. *O ætatem periculosam, quæ vel alijs noces, vel tibi nocebunt: beata senectus quæ his periculis liberatur.* Vide ergo quam fallax sit pulchritudo, quæ vel fallere debet, vel falli: ac proinde quam parum in illa gloriãdum sit, maxime virgini Christi, vt potius debeat dolere, quã gloriari. Hoc & poetæ prophani cognouerunt, vt quasi Ouidius de Monialibus voto obstrictis loquatur, sic 1. Metamor.

Sed te decor iste quod optas
Esse vetat, votoque tuo, tua forma repugnat.


Vide quomodo dicat, quod aliquibus fæminis decor ipse vetet esse sanctas & castas sicut optant: & quod voto suo repugnet sua pulchritudo. Nec longe distat id quod dixit Iuuenalis 10.

Rara est concordia formæ
Atque pudicitiæ, &c.

Cum ergo pulchritudo corporalis adeo fallax sit, non in illa gloriandum est: non est illa â Moniali lasciuis & curiosis vestibus confouenda; sed supplantanda, & maculanda ieiunijs scilicet, vigilijs ac sanctis alijs operibus vt Christi sponsa, à solo Deo sponso hic diligatur per gratiam & postea per gloriam. Amen.

EXHOR-





EXHORTATIO XVI.

AD MONIALES, VT AMICITIAS SÆCVLARIVM ET OMNIVM VIRORUM declinent, & contra illos qui illas inhoneſte amant.

Can. c. 20

Dilectus meus mihi, & ego illi.
Cantic, cap. 20.



Iſa ſunt mihi hæc verba accommodata ad propoſitũ titulum & intentum: quatenus Monialis Chriſti ſponſa dicere debeat, nolo alium in vita diligere; quia ſufficit mihi dilectus meus ſponſus Ieſus, præter quem aliũ amare non licet. Quanuis autẽ variæ ſint huius loci expoſitiones omnes tamen fere ad eundẽ finem tendunt; ex quibus nos eas afferemus quæ magis ad noſtrum intentum iuuare videbimus.

Diuus Bernardus ſerm 68. & 69 ſuper Cantica, quanuis primo dicat citata verba, *Dilectus meus mihi*, intelligi de tota Eccleſia Catholica; quæ ſola poteſt vere dicere, quod ipſa placeat Deo, & quod Deus de illa tantum curet, & ſuper illa inuigilet. Nihilominus poſtea, licet cum aliquo timore, aſſerit quod

etiam prædicta verba suo modo possunt congruere vni tantũ animæ, quæ suo modo dicere Deo possit; Dilectus meus mihi, quoniam illi singularis est cura de me: & ego illi placita sum, ita vt nihil aliud curem in vita. Verba Bernardi sunt serm. 69. in hunc modum. *Da mihi animam nihil amantem præter Deum, & quod propter Deum amandum est. cui viuere Christus non tantum sit, sed & diu iam fuerit, cui studium, & otium sit prouidere Deum in conspectu suo semper: cui solicite ambulare cum Domino Deo suo non dico magna, sed vna voluntas sit. Da inquã talem animam. & ego non nego dignam sponsi cura maiestatis respectu, dominantis fauore, solicitudine gubernantis.* Hæc ille. Fauet pro hoc dicto Bernardi, parabola illa Luc. 15. ex qua constat pastorem illum Diuinum dimissis nonaginta nouem ouibus quæsiuisse vnam tantum, quæ aberat, & in caulam humeris proprijs reportasse. Fauet & ratio eiusdem Bernardi eod. serm. 69. *Quia scilicet natura diuina simplicissima quasi vnum habet respicere multos, & quasi multos vnum. Nec ad multitudinem multus est, nec ad paucitatem rarus*: nec ad diuersitatem diuisus, nec restrictus ad vnum, &c. Et de hac vna anima dixerat serm. 68. *O quid audet cor purum, & conscientia bona, & fides non ficta!* Hæc ille. Ego autem addo, quod si aliqua anima est quæ possit Deo dicere hæc verba confidenter: *Dilectus meus mihi, & ego illi*: Est anima virginis Deo dicatæ, pure, & sancte viuẽtis, & mundum ex corde despicientis. Probo illud primo ex verbis proxime sequentibus Cãtic. 2. cum enim dixit, *Dilectus meus mihi, & ego illi*, statim addit, *qui pascitur inter lilia.* Scimus enim per lilij albedinem significari virginitatem: ac proinde, in verbis mox additis videtur quasi sponsa rationem reddere, cur sponsus in illa particulariter cõplaceat, quia scilicet lilium est, & virginitatem seruat. Secundo, quia non obstante quod tota Ecclesia sit ipsa sponsa Dei, & Christi: nihilominus videmus quod ex vsu Ecclesiæ nomen commune sponsæ, attribuitur cuilibet virgini, eique in officio diuino decantatur, *Veni sponsa Christi.* Non est ergo mirum si hodie de quauis Moniali virgine Deo dicata dicamus, eidem conuenire vt citata verba dicat Deo. *Dilectus mihi, & ego illi.*

Luc. 15.

Anima Monialis potest dicere Deo Dilectus meus mihi.

Primus ergo sensus præsentium verborum, est D. Bernard. citato serm 69. in hunc modũ: *Dilectus meus mihi*, id est mihi peculiariter intendit, peculiari cura mihi necessaria prouidens: & ego illi, id est ego intendo & procuro

Deus peculari cura Moniali assistit.

curo q'æ sunt placita illi; ille meæ liberationi, ego illius honori. ille meæ saluti, ego illius voluntati. Quæ omnia debet dicere, imo exequi Monialis ex debito iure sponsæ. Et expressius adhuc ibidem quasi reddês causam Bernard. sic ait: *Ille mihi, & ego illi. Ille mihi quia benignus & misericors est: ego illi, quia non sum ingrata,&c* Hoc inquam peculiarius debet Monialis infixum in pectore habere: se scilicet totam deberi Christo sponso, ne aliàs ingrata sit: ingrata enim erit si obliuiscatur particulare illi à Deo collatum beneficium, eo quod à sæculo ad Religionem vocarit, & à viro seu
Num, 16. sponso sæculari liberauerit Numer. 16. dixit Moyses filijs Leui Sacerdotibus. *Num parum vobis est quod separauit vos Deus ab omni populo. & vnxit sibi vt seruiretis ei in cultu tabernaculi?* Vide cum quanta differentia Deus virginê Monialem separauerit à mûdo, ac sibi quasi in matrimonium iunxerit, & in sponsam cooptauerit vt sibi deseruiat in tabernaculo Religionis. Quod item eidem Moniali ingens fecerit beneficium à sæculari sponso, & matrimonij vinculis liberando, sufficiat dictum Ambros. ad sororem virginem Marcellinam libr 1. de Virginibus, vbi sic ait: *Conferamus si placet bona mulierû, cum vltimis virginis. Mulier nubit & plorat, concipit & grauescit. parturit & ægrotat per quadraginta dies. Quam dulce pignus quod à periculis incipit, & in periculis desinit, prius dolori futurum quam voluptati: Vide mi soror quam graue sit pati quod non licet audire? Quid ego famulatus graues, & addicta viris seruitia repplicem fœminarum, quas ante iussit Deus seruire quam seruos?* Sic ibi. Cuius ratio est, quia Deus statim in mundi initio dixit Euæ sub viri potestate eris: & tunc nondum erant serui, & multa alia quæ eleganter eodem libro habet in hanc sententiam: Vnde maior Moniali acrescit obligatio, ne sit ingrata Deo, vt scilicet alteri quam illi velit placere, & intendere.

Beneficiû Dei magnum est vocatio à sæculo ad ordinem.

Beneficiû Dei est fœminam liberare à matrimonio.

Secunda expositio, & ad nostrum intentum magis accommodata est: Gregorij Nysseni orat. 5. in Cantica, vt sit sensus. Ego quidem dilecti seu sponsi mei tota sum, & ipse dilectus, seu sponsus meus est. Id enim postulat ius matrimonij seu spôsalium, vt sponsus sit quasi res sponsæ, & è contra sit res sponsi. Quod magis adhuc illustrat Soto Maior ad citatum locû Cantic. dicens ibi, casum datiui, mihi, & illi, more Hebræo sumi pro casu genitiui, quasi diceret: Dilectus meus totus est proprius meus: & ego tota illius propria & pecu-

Deus est noster, & nôs illius.

& peculiaris. Quod ibi probat authoritate Plauti, & maxime Propertij, de duobus amatoribus sic dicentis: *Tu mihi sola places placeam tibi Cynthia solus.* Ex hac expositione habemus intentum nostri tituli: si enim Monialis eo quod facta est sponsa Christi, tota est & propria Christi, tanquam iure sponsalium: iam non poterit velle alteri placere, neque alterum diligere, neque alterum prophanis verbis alloqui. Iam enim non est sui iuris, sed est tota sponsa Christi. Debet sane Monialis in hoc imitari inuictam illam Martyrem Agnetem, quæ matrimonium sæcularis viri illam adamantis recusans, aiebat: *Iam ab alio Amatore præuenta sum*: & iterum, loquens de Christo sponso, dixit: *Posuit signum in faciem meam, vt nullum præter eum Amatorem admittam.* Vnde si in humanis, spõsa vel vxore alteri viro quã suo, litteras amatorias scribente, vel verba lasciua scribente, foret occasio discordiarum, & aliquando necis illatæ. Quid dicemus in sponsalibus spiritualibus Monialium cum Christo, meliore vtique, & excellentiore multum sponso? Hinc iam videas quam fædum sit, & quale peccatum Monialis, lasciuas amicitias cum viro quolibet contrahentis: iam enim sui iuris non est, & notabilem Christo sponso facit offensam.

Sponsa est res sponsi sui: & è contra sponsus est res sponsæ.

B. Agnetis documentum ad Moniales.

Sed dices, & quomodo, solis verbis, vel litteris amatorijs amicitia, hæc læditur, & violatur? Ita sane, idque exẽplo ab humanis ducto liceat intueri. Refert Valerius Maximus lib. 6. cap. 3. Sulpitium Gallum vxorem dimisisse seu repudiasse, quod illam capite discooperto foris versatam agnouerat. Illique abeunti, seu dimissæ hæc verba protulit: *Lex enim tibi meos tantũ præfinit oculos, quibus formam tuã approbes, his decora instrumenta compara, his esto speciosa, horum te certiori crede notitia. Vlterius tui conspectus superuacua irritatione accersitus in suspitione, & crimine subhæreat necesse est.* Hæc ille. Ecce quo modo solo aspectu passiuo, & inhonesto ornatu iura matrimonij carnalis violantur: quid non violabuntur iura matrimonij spiritualis Monialis & Christi, aspectibus, verbis, ac litteris non castis? D. Cyprianus ad Pomponium de Virginibus, & refertur 27. q. 1. cap. Nec aliqua, inter ea quæ vocat adulterium, non solum ponit actum carnalem, sed etiam confabulationes & oscula. Et hæc etiam causam esse dicit ob quam Christus Dominus accepto gladio in virginibus sibi dicatis zelotipia motus, seueram vindictam sumat. Neque

Spõsa seu vxor soli viro pulchra appareat.

Munuscula etiam ad saeculares Monialem infamant.

vero haec saecularium, & virorũ nociua Monialium amicitia solum consistit, aut ostenditur, in litteris & colloquijs; sed etiã, in muneribus, & alijs paruis, vanis, & inutilibus. Expressit iam hoc D. Ieron. epist. 2. quae est ad Nepotianum, sic dicens: *Crebra munuscula, sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, & oblatos ac degustatos cibos, blandasque & dulces litterulas, sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meũ desiderium omnes delitias, & lepores, & risu dignas vrbanitates & caeteras ineptias amatorum, in comaedijs erubescimus, in saeculi hominibus detestamur quanto magis in Monachis, &c.* Et quanuis Diuus Ieron. de Monialibus directe non agat, sed cum Nepotiano loquatur, tamen statim post, ait posse reperiri in vtroque sexu, Et nobis constat quod omnia quae illic Ieronymus recenset vsitata sunt, & ordinaria in aliquibus Monialium amicitijs. In his ergo vt sanctus Doctor ait, cum sanctus amor non insit: necesse est malus amor comitetur, & illa omnia operetur

Sed iam dicis: & quomodo in praedictis omnibus periculum esse potest, vel inscribendo, vel alloquendo viros, cum quibus agere multae morales necessitates possunt cogere? Respondeo multum sane in ijs quae hucusque diximus, castitas saltem mentalis periclitatur. Ego id primum deduco ex eo quod refert Sixtus Senensis lib. 2. de Bibliotheca sancta dum agit de Diuo Paulo, ibi enim tradit Senecam Philosophum iuxta aliquorum Patrum sententiam, esse saluatum, & à Diuo Ieronymo eum poni in Catalogo Sanctorum, id est scriptorum piorum. Hoc qui sentiunt ex eo colligunt, quia reperiuntur sex vel septem epistolae Senecae, scriptae ad Paulũ, & totidem Pauli ad Senecam, ex quibus constat inter vtrumque particularem intercessisse amicitiam: & tum propter illas epistolas, quas omnes ibi refert Sixtus Senensis, tum propter alia forte secreta colloquia, non est credibile quin feruens Pauli charitas in ore, & epistolis relucens non calefecerit pectus Senecae, illumque ad fidem Christi conuerterit: & hac de causa epistolis Pauli eum credunt conuersum, & saluum. Scio Lorinum super Acta Apostolorum cap. 18. vers. 11. dubitare de illis epistolis Pauli, & probare illius non esse epistolas, quo non obstante mihi ad hoc asserendum sufficiat Ieronymi & Augustini authoritas, qui id sentiunt apud Sixtum.

Seneca Philosophus si sit saluatus.

Hinc

Hinc ego sic redeo ad nostrum intentum. Si Pauli amicitia, ac litteræ sufficientes fuerũt, vt Senecam ad rem adeo difficilem adducerent, qualis est confessio Fidei Christianæ: quam facile amatoriæ litteræ, & colloquia cum hominibus sæcularibus in quibus lasciuia, & impudicitia exæstuat fæminam fragilem adducent ad consentiendum rei ad quam nostra natura adeo propẽsa est lasciuiæ, & immunditiæ? hoc nempe periculum timens diuus Ambrosius libello ad virginem deuotã, sic illam instruit, & interrogat. *Quid tibi cum hominibus sæcularibus, aut quem tractatam habes cũ illis? Quid vis scire ab ipsis? Perditionem quam ipsi sequuntur? sanctitatem quæris: hanc illi non habent. Si Christum quæris non manet in illis: si Deum quæris, tecum est. Si autem hominem quæris, non hoc deuouisti? rogo te, quid tibi demonstrant, castitatem quam non habent, verecundiam quam proijciunt à se, nescio quid vis studere cum ipsis. Si respondes: ego conuerto eos ad me, si ad te conuersi fuerint non tibi expedit. Quid quærit lupus cum agno?* & cætera quæ ibi ad eundem finem sancto ac vero zelo prosequitur: quæ ibidem videre poteris. Neque vero tanta res Bernardum latuit, qui inter illos septuaginta tres sermones quos ad sororem scripsit: tres integros in

Amicitia monialis cum sæcularibus multis obiecta periculis.

hac materia consummit videlicet 57. 58. 59. & quidem in horum primo sororem monialem nimis adhortatur, ne fæminas sæculares ad suam conuersationẽ admittat: eius prohibitionis hãc solam causam reddens: *Quia scilicet cum sæculares fæminæ, diuersi sint status, nec Christi iugo submissæ, terrena tantum sapiunt, & proinde timendum est quod semper terrena loquantur, ac terrena doceant. Quod possumus probare ex illo*, 1. Ioan. 4. *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Et hac etiam forte de causa in Templo illo Hierosolimitano, dicuntur virgines seiunctæ à coniugatis diuinis interfuisse. Addit denique Bernard. in fine illius sermonis solummodo se sorori licentiam concedere, vt sæculares fæminas alloquatur eo fine vt vt mundum, eiusque pompam, & vanitatem relinquant. Deinde sequenti sermone 58. ex præcedenti occasionem sumens: infert quod si tam rigide illi prohibuit ne sæculares fæminas cõuersaretur: quanto maiori cum diligentia quorunlibet virorum amicitias declinare deberet? Sic enim orditur illum sermonem. *Soror charissima, & si tanto studio fugies fæminas, quanto magis debes fugere viros?* Quod adeo vir sanctus stringit, vt dicat, quod etiã si vir sanctus sit, & iustus sit & iustus,

Monialis nec cũ fæminis sæcularibus debet conuersari.

1 Ioan. 4.

iustus, illum ad amicitiam non admittat; imo etiam si sit religiosus Sic enim habet. *Soror mihi in Christo dilecta moneo te vt vir quanuis sit sanctus nullam tamen tecum habeat societatem, licet sit sanctus & iustus, nullam tecum habeat familiaritatem. quanuis sit religiosus nullam tecum habeat assiduitatem, quanuis sit bonus, nullam tecū habeat viuendi iugitatem. Quare? ne visitando vtriusque pereat castitas.* Sic ille. Vide si potuit hoc clarioribus, munitioribusque verbis exagerari? Causam autem tā rigidæ prohibitionis assignans, præter infamiam & accusasionē murmuris inde secutam; ait vir sanctus quod in disparitate sexus quicunque vir, & fæmina sint non est confidendum, subdit enim sic. *Sape familiaritas vincit quos vitium superare non potuit. quos voluptas superare non potuit, assiduitas superat.* Sic Bern claudit denique sermonem dicens: *Viri nomen tuum non sciant. faciem tuā non videant faciem tuam non cognoscant quanuis nomen tuum audiant.* His non contentus Bernardus tertio sermone, eandem hortatur vt viros iuuenes seu adolescentes super omnia deuitet. Et causam reddit: quia scilicet, *si in proxime praecedente serm. illam monuerat vt etiam sanctos, & religiosos, senesque euitaret, quanto magis deberet fugere adolescentes saeculares in quibus cum magis carnalis lascimia exaestuet, & exuberet maius periculum subesse potest.* Explicans vero in particulari periculum ortum ex aspectu, seu colloquio virorum cum moniali, dicit: *Ad hoc diabolus oculis religiosa fæmina iuuenes obijcit, vt formas eorum per diem viderit, meditetur in nocte, & vt recens visio & corporis inspectio assidue versetur in animo.* Hac de causa tum ibi Bernar. tum etiam omnes fundatores religiosarum fæminarum illis in regula, virorū allocutiones prohibuerunt: exprimentes quod quando necessitate cogēte cum aliquo viro deberent colloqui, id non fieret nisi præsentibus duabus, vel tribus testibus monialibus auscultantibus, quarū timore ab illicitis verbis abstinerent. Et certe mihi cogitanti, cur tantum diffidant prælati, & religiones de moniali sola loquente, ac timeant quod male loquatur: cōsideranti etiam, quod illæ quæ in religione tali modo loquuntur & conuersantur, quali nec loquerentur neque conuersarentur in parentum nobilium domo: hæ causæ occurrunt Prima quod non timeant viri carnalis offensam. Secunda quod iam parentum, & consanguineorum obedientia liberæ eorū reprehensiones neque curent, neque timeant. Tertia quod per illa

Monialis nec sanctos viros debet aloqui quāto magis iuuenes, & lasciuos.

Moniales aliquæ in ordine peiores quam forent in sæculo.

illa quæ faciunt non timent se amissuras bonum, & honorem matrimonij, ad quod in eundũ se sciunt inhabiles, ac denique qui putant se per illa hominũ infamiam non incurrere: quæ omnia sæculares fœminas fræ-nare solent ac continere. In quo & fæminæ, & fragiles, sunt, non considerantes saltem, quod si sæculares fæminas vxoratas virorum timor & fæminas solutas dedecoris nota, illas ab illicitis reuocat, quanto magis Monialem ab eisdem illicitis reuocare deberet, & multo maior infamia, & diuini sponsi offensa qui stat post parietem, & prospiciens per cancellos, non solũ externa, sed etiam interna malæ sponsæ errata conspiciens seuera pæna puniturus?

Amicitia Monialis cum sæcularibus culpa grauissima vocatur pestis à Diuo Ieron. matrimoniũ siue Sacramento, &c.

Quo autem illæ intelligant suæ culpæ grauitatem, audiant seueras hac de re Patrum reprehensiones ex quorum asperis verbis suam in hoc culpã, quantum grauis sit posśint agnoscere. Et quidem omnium primus sit Diuus Ieronymus qui Monialium amicitias cum sæcularibus, non minus quam pestem vocat. Ille enim ad Eustochium de virginitatis custodia scribens, & præsentem materiam tangens sic ait: *Vnde in Ecclesias Agapetarum pestis introijt? vnde sine nuptijs aliud nomen vxorum? Imo vnde nouum concubinarum genus? plus inferam. vnde meretrices vniuiræ, &c.* quæ similiter possunt Monialibus applicari, in suis illis secularium vanis amicitijs, quas & matrimonia vocant, cum sint vt ait Ieronymus matrimonia sine nuptijs & sine Sacramento. Carpit autem ibi Ieronymus certas virgines quæ retenta forte corporali virginitate, saltem mente corruptæ erant: cum sciamus virginitatem magis in mente quam in corpore consistere. Idẽ Sanctisśimus Pater in regula Monacharum cap. 20 postquã commendauit vt hominum aspectum tanquam monstrum exhorreant, subdit causam dicens: *Vltra quam creditur exultat Diabolus, vt in corde virgineo virorum memoria vigeat.* Et paulo infra dicit. *Munuscula omnia, & suspectas litterulas, hæc cuncta luxuriæ nuntia, vobis interdico sub anathemate, & æterna mortis pæna.* Sic ille. Non potest in præsenti argumento quidquam acerbius, & acrius reperiri: illis enim verbis (si Diuus Ieronymus illarum Monacharum prælatus erat) eisdem imponebat præceptum obedientiæ, peccati mortalis, & excommunicationis, ne cum sæcularibus amicitias contraherent. Et quidem quod attinet ad id quod Sanctisśimus Pater ait, tanquam monstrum debere Monialem

Munuscula, & litterulæ Monialium ad sæculares sunt nuntia luxuriæ.

nialem virum timere: exemplũ illis præclarum reliquit virgo virginum Maria Deipara, quæ Luc.1. capite, non dico ad viri, sed ad Angeli aspectum sub specie viri turbata est: & sciebat illum esse Angelum. *Turbata est, inquit, in sermone eius.* Ad quem locum optime Ambrosius ait: *Trepidare virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari.* Ecce imaginem quam semper ob oculos prudens virgo Monialis habere debet, Deiparam scilicet Matrem; & ad illius exemplum, nõ hominum tantum, sed & Angelorum ingressus & affatus pauere. Quod si non faciant, vere illis potest applicari egregia illa epistola Diui Bernardi, cui titulus est, *Ad alteram sanctimonialem*, & est numero 114. Scribit ibidem eidem Moniali, illi congratulans quod resipuerit, & ad meliorem vitam se conuerterat: forte enim antea suarum obligationum oblita vixerat. Ibi ergo deuotus Bernardus recolens illum pristinum statum, in quo antea vixerat, absque corporali vt videtur, corruptione castitatis, sed cum turpibus litteris colloquijs. &c. vt solent: sic inquit Bernardus de illo antiquo statu. *Nec Deo itaque viuebas, quia nolebas: nec sæculo quia non poteras, alteri quidem volens, alteri inuita: sed tamen vtique mortua. Cur velum in capite mentiebatur reuerentiam, & sub velo petulans oculus exhibebat impudentiam? caput siquidem gerebas velatum, sed elatum.* Hæc ibi vir & Monachus sanctissimus. Quo nihil proprius, nihil elegantius potest desiderari. Re enim vera Monialis vanam cum viro quocunque habens amicitiam, non est sancta quia non vult, non est mala corporaliter, quia non potest: & sic de illa dici potest, quod nec fruitur cælo nec terra: gestat etiam caput velatum, sed elatum, & toto regulari habitu quem gestat mentitur.

Luc.1.

Virgo virginum Maria etiam Angelos timuit.

Moniales aliquæ nõ sunt sanctæ, quia nolunt, non sunt mal quia non possunt ex D. Bernard.

Quod tandem attinet ad illos viros quicũque sint, qui Moniales Deo sacratas, ad turpes illas amicitias inuitant & solicitant, quo illorum culpæ grauitas agnoscatur, duo vel tria afferam testimonia. Primum sit Diuus Ambrosius lib. 3. de Virginibus: qui considerans ibi dictum Ioannis Baptistæ ad Herodem: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*: idem applicando ad illos qui Moniales vane & inhoneste alloquuntur sic inquit: *Si hoc de vxore hominis, quanto magis de virgine Deo consecrata: si hoc dictum est Regi, quanto magis dicendum priuatis, &c.* Quod idem ad eundem fere finem applicauit

Sæculares habentes amicitiã cum Monialibus taxantur.


Diuus Basilius epistola ad virginem lapsam, vbi postquam dixit reprehensione Baptistæ ad Herodem de sæculari vxore rapta, subdit: *Quid nunc faceret ille si tantam contumeliam aspiceret circa sanctas Domini nuptias?* Vterque autem sanctus Pater innuit particularem, & grauem in hoc Christo sponso iniuriam irrogari: ita vt si leges ciuiles pœna mortis adulterum puniunt: suo modo isti temere virgines Christo sacratas alloquentes & conuersantes, si non pœnam corporeæ mortis, saltem æternæ, & gehennalis mereantur. Sed de hac materia copiosius omnibus & elegantius scripsit Beatus Pater Ieronymus, qui integram hac de re epistolam scripsit ad Sabinianum Diaconum tom. 1. epist. 48. Qui Diaconus in Monasterio Bethlemetico quandam Monialem tentauit, & solicitauit ad stuprum, & fugam, licet non obtinuerit: quo deprehenso vir sanctus illi veniam postulanti, pepercit, sed ab illo discedens, in absentia cœpit Diuo Ieronymo detrahere, ac de illo murmurare. Et reuera ita sæpe contingit, vt si quando prælati, sæculares à Monialium amicitijs arcent, eosdem patiantur infensos & obtrectatores. Sanctus ergo Ieronymus prædicti Sabiniani ingratitudinem, & quasi impænitentiã exteriorem, vel signum impænitentiæ præteritæ videns ad eundem prædictam epistolam destinauit miris, & acerbissimis reprehensionibus refertam ob attentatum antea facinus. Et primo quidem illum vocat infælicissimum mortalium dicens: *Infalicissime mortalium, tu speluncã, id est Bethleem, illam in qua Dei Filius natus est, de stupro condicturus ingrederis? Non times ne de præsepio infans vagiat, ne puerpera virgo te videat?* Et paulo infra: *In spelunca illa venerabili quasi quosdam obsides accipis capillos, sudariola infalicis & cingulum dotale pignus deportas, iuras ei te nullam similiter amaturum, &c.* quæ omnia poterunt applicari eadem facientibus in monasterijs, domus enim sanctæ sunt & sacratæ. Et paulo infra narrans quomodo ipse epistolã Sabiniani detexerit, in qua de patrando scelere tractabat, sic ait: *O funestos oculos meos, ò diem illum omni maledictione dignissimũ, in quo epistolas illas consternata mente legi? Quæ ibi turpitudines? Quæ blanditiæ? Quanta de condicto stupro exultatio? Haccine Diaconum non dico loqui, sed scire potuisse? Vbi miser ista didicisti qui in Ecclesia te nutritum esse iactabas &c.* quæ ibi acriter, & eleganter Tandem in fine epistolæ, eidem reuocat in memoriã supplicium seuerũ sumptum de Oza Leuita 2. Reg 6. eo quod 2. Reg. 6.

quod nutantem Arcam Dei tangere sit ausus, quasi dicat: etiam si Monialis quæ Arca Dei est, nutet, & præ fragilitate fæminea cadendi ansam, vel speciem præbeat, etiam tunc illam tãgere nefas grande est. Proponit etiã illi ante oculos supplicium à Deo inflictum filijs Eli sacerdotis, eo quod dormiebant cum fæminis quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, (quibus fæminis respondent nostræ Moniales) vt
1. Reg. 2. habetur 1. Regum 2. Quem locum ego legens post hucusque scripta, reperi, reuera hos tales certo modo dicendos Christo Domino facere adulteriũ, cum enim ibi Eli filios suos reprehenderet ob prædictum peccatum, dixit pater ad filios. *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus, si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* quasi diceret, si peccauerit quis in hominẽ, eius vxorem tangẽdo, tolerabile est: si autem in Deum peccauerit, eius sponsas, & fæminas illi dicatas attrectando, intolerabile est: & quod iste sit sensus videtur perspicuum, ibi enim arguebat filios de sacrilegio habito cum mulieribus Deo dicatis. Quod autem fuerit supplicium filiorũ Eli habetur prænunciatũ 1 Reg. 2. & impletum eod. lib. 4. cap. vbi dicitur quod eodẽ die mortui sunt ambo, & Eli pater similiter morte subita: sicut Oza etiam morte repentina sublatus est. Tale certe supplicium timere debent omnes sacrarum virginum attrectatores, & certe nõ desunt historiæ recentes quæ particularia supplicia narrant à Deo sumpta pro sola attentatione violandi virgines sacras, quas breuitatis gratia omitto. Et hoc vnum addam, quod fere omnes de quibus noui, vel audiui cum sacris virginibus inhoneste egisse tandem, tandem etiam si sero, á Deo punitos fuisse, & aliquos miserabili fine vitam finiuisse.

Adulteriũ Christo Domino faciunt amicitias habentes cum Monialibus.

1. Reg. 2.





EXHORTATIO XVII.

VT FRATRES, ET MONIALES TEMPORE VISITATIONIS DENVN-cient prælato, ac visitent quid-quid sciunt.

SOlent prælati tempore visitationis sub præcepto obedientiæ, & aliquando sub censuris præcipere, vt subditi sibi denuncient quidquid viderint correctione indigere. Et quanuis ante hanc iudiciariam denunciationem, præcedere debeat, iuxta normam Euangelicam, correctio fraterna secreta. De hac ego modo non disputo, tum quia fori secreti est, tum quia Theologa, & ad Theologos illam remitto, sed illã suppono. Pro hac vero correctione externa, prælato in generali inquisitione vel particulari facienda, sequentia verba adduco.

Si te non audierit, dic Ecclesiæ. Matth, 18 Matt. c. 8. Hæc verba directe spectant ad nostrũ intentũ, & proxime ante illa ponũtur verba spectantia ad correctionẽ fraternã, qua omissa, de nostra iudiciaria, quam prælati iniungunt, & ad quam fratres tenentur, & multi facere timent, sequentia libet applicare.

Scimus in corpore humano per continuam actionem caloris naturalis in humidum radicale, substantiã corporis paulatim ita consumi, vt si non fieret reparatio illius damni, per quotidianã cibi sumptionem, breui tẽpore tota corporis substãtia absumeretur, eodẽ fere modo se res habet

in corpore

corpore mistico alicuius cōmunitatis: nam per actionem appetitus sensitiui,& cæterarū passionum carnalium ad malum inclinantium, paulatim ita virtus & mores sancti debilitantur, & in malum declināt, vt si prælatorū cura,& vigilās correctio non adesset breui tēporis interuallo virtus ipsa,moresque sancti,ac virtuosi collaberentur.Hac de causa prælatis Ecclesiæ vigilādi cura iniuncta est,tū ex lumine naturali,tum vel maxime ex Concil. Triden.seß.7.c.8.de reform.vbi prælatis ordinarijs præcipitur,*vt singulis annis oues suas visitent*. Et seß.25.c.8.de regular. vbi prælatis Regularibus iniungitur, *vt frequēter visitent, & conuentuū reformationi incūbant*. At quemadmodum intellectus noster in hac vita sensibus addictus,nihil omnino potest intelligere, nisi prius sensus corporei eidē intellectui denuncient,& indicēt de rebus externis,quid nēpe foris āgatur. Eodē modo prælatus cum non sit Deus,nec secreta videat, neque sit vbique,illi obligationi visitādi & reparādi satisfacere nequit,nisi ipsi subditi denunciēt, atque indicent per visitationem quid foris agatur, quod malū in cōmunitate, vel personis particularibus vigeat: quidue emendatione indigeat. Obligatio ergo visitandi non minor subdito

Denunciatio facta prælatis est reparatio metū prædicatorum.

Prælatus nequit corrigere nisi sibi denuncietur.

Denunciatio obligatio inducitur ab ipsa natura.

incumbit,quam prælato emendandi. Hanc etiam subditorum obligationem ipsa quasi natura naturali instinctu videtur edocuisse: vt enim Philosophi, & experientia docet, vnaquæque pars mundi ita solicita est de supplēdo defectu suæ vicinæ partis, vt etiā aliquando id cū proprio dispendio exequatur. Res est manifesta in impeditione vacui: scimus enim ex Arist. 4. Physicorū c.9. quod res graues, vt aqua,terra,& similes ad impediēdū ne detur vacuū, contra suam naturā,& quasi quietē sursum ascendunt,& è contrà res leues,vt aer,& ignis deorsum descendūt ad vacuū prohibendū, & proin. de tā leuia quā grauia sui proprij loci desertione, quasi dispendiū patiūtur ad vicinæ partis defectū,vacuitatē scilicet supplendā. Hoc ergo quod in rebus insensibilibus natura practicat: maiori iure in hominibus rationalibus faciendū esse dictauit, vt videlicet quilibet homo sentiens suū vicinum,ac proximū virtute, & diuina gratia vacuū, illius vacuitatem, ac defectum supplere & emēdare nitatur,correctione vel fraterna, vel iudiciaria præcipiēte prælato, idque etiā cū aliquo proprio dispēdio seu iactura De hac nos obligatione Spiritus sanctus admonuit Ecclesiast.17. cū dixit: *Et mādauit illis vnicuique de proximo*

Vacuū ne detur vnicuique procurant, etiam cū proprio dispēdio.

Eccles. 17.

buit, vt Theologi exponũt.) Certe peiores illo multi videntur, qui in vita existentes, vbi possũt fratribus proficere vel correctione secreta, vel iudiciaria, id facere detrectãt atque recusant. Imo eo iam nostrorum temporũ calamitas deuenit, vt infamiã iudicent visitare, & honorẽ, & amicitiam ducant à visitatione abstinere.

Quod autem visitare, nec sit accusare, nec sit infamia, imo potius quod sit officiũ Angelorum constat nobis ex sacra Scriptura hoc eodem cap. 18. Hoc enim loco proposuit Christus Dominus parabolam illam de seruo qui debebat Domino suo decẽ millia talenta, quæ omnia cũ illi Dominus eius remisisset: idemque ipse alteri conseruo suo centũ denarios nollet remittere: alij conserui videntes ingratitudinẽ illius, qui tãta remissione percepta, tam paruam facere recusauit: illum apud eundẽ Dominũ de tanta nequitia accusarunt. Quo loco D. Ioan. Chrysostom. quærit quinam significẽtur per illos conseruos denunciantes Domino ingratitudinem serui nequam? Et respondet per illos conseruos significari Angelos, qui nostro modo intelligendi Deo referunt querelas, & offensas facta ijs quos custodiunt. Et eundem exponendi modũ multi alij sequũtur. Ecce quomodo officium Angelorum est defectus alienos ad superiorem deferre, vt emẽdentur vel paterna charitate corrigãtur. Ad eundẽ finẽ potest explicari illud Apocal. 6. vbi dicitur, *quod animæ interfectorũ propter verbum Dei, existentes in cælo clamabant voce magna dicẽtes. Vsquequo Domine (sãctus & verus) non iudicas, & nõ vindicas sanguinẽ nostrum de ijs qui habitant in terra?* Denique inuenio sanctum, & innocentem iuuenem Ioseph. Genes. 37. *accusasse fratres suos apud patrem de crimine pessimo.* Nec mihi constat (saluo meliori iudicio) quod in prædicta accusatione, seu delatione peccauerit, vel reprehẽdatur: ecce ergo quomodo officium denunciandi, & defectus ad prælatũ deferendi, exercetur, ab Angelis, ab animis beatis: & à sanctis hominibus in terra: tantum abest vt pro infamia reputandum sit. Infamia erit dicere maleuolis, dicere inimicis, qui infirmum nec curare volunt, neque sciunt, nec prætendunt, vt colligere possumus ex innumeris malis, & infamibus nominibus, quibus Scriptura sacra appellat detractores & murmuratores: hi inquam vere infames sunt coram Deo, & corã hominibus, quia infamiæ proximi causa sunt. At vero dicere Ecclesiæ matri, seu prælato patri, nec

Denunciare prælatis est officiũ Angelorũ & non est infamia.

Apoc. 6.

nec infamiam, nec dedecus parit: cum Diuina gloria, imo & verus honor proximi tali delatione recuperentur.

Præterea non est crudelitas, neque inimicitia proximi defectus charitatis zelo denunciare prælato: sed potius charitas est, & amicitia. Occurrit primo ad hoc intentũ id quod habet Aug. tract. 51. in Ioan dum explicat illa verba Christi Domini Ioann. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animã suam in hoc mundo in vitam æternã custodit eã.* Hæc inquam verba exponẽs ibi D. Augustinus, sic ait: *Magna & mira sententia quemadmodum sit hominis in animam suam amor vt pereat: odium ne pereat.* Hæc ego verba, quæ Augustinus habet de quouis nostrum respectu sui: applico ego ad illum qui zelo obedientiæ, & charitatis prælato denunciat. Ille enim etiam quando sciret ex sua denunciatione proximum iuste puniendũ, dicẽdus est quod habet odiũ circa peccata ne pereat proximus: is vero qui sciẽs proximũ in peccatis esse, & ne lædatur illius amicitia cũ illo, â denũciatione desistit habet amorem vt pereat, indiscretus ergo ibi, & inimicus amor est silentium, amicum vero, & salubre odiũ, si odij nomen meretur, ipsa delatio. Quando D. Paulus 1. ad Corinth 5. excommunicauit illũ Corinthiũ ob fornicationem illam cum vxore patris sui. Non profecto iudicauit benignus pastor crudelitatem, illum hominem tradere Sathanæ, vt ibidem tradidit; cum tamen talis traditio Sathanæ seu Dæmonis in corpus humanũ ingressus sit quædam vmbra tormentorum inferni. Et causa ob quã Apostolus illud nõ crudelitatẽ sed misericordiã esse iudicauit, subindicat dicens: *Vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Si ergo crudelitas non fuit peccantẽ tradere Sathanæ, multo minus crudelitas reputabitur, tradere peccantẽ proximũ nõ Sathanæ, sed Ecclesiæ matri benignæ, seu tradẽdo illũ prælato Ecclesiastico, qui pater esse debet benignus, ad Christi Domini imitationẽ. Optime etiam hoc ipsum docuit D Aug. lib. de communi vita vel regula clericorũ, vbi clare ad hoc intentum sic loquitur. *Non vos iudicetis maleuolos esse quãdo alterius crimen indicatis. Magis quippe nocentes estis, si fratres vestros, quos indicãdo corrigere potestis, tacẽdo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore quod velit occultari, dum timet secari: nõne à te crudeliter sileretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifestare ne deterius putrescat in corde?* Hæc ibi præclare August. Imo silentium

Denunciare non est crudelitas nec inimicitia sed charitas.

Ioan. 12.

1. Cor. 5.

In hac

in hac materia, non solum crudelitas est in proximũ peccantem, vt habet August. proxime citatus, sed etiam in totam cõmunitatem, toti enim fit iniuria, ac damnum infertur. Docuit hoc Origenes hom. 71. super Num. sic dicens *Dum Sacerdotes vni parcunt, vniuersæ Ecclesiæ moliuntur interitum. Quæ est ista bonitas, ista misericordia, vni parcere, & omnes in discrimen adducere? polluitur enim ex vno peccatore populus, sicut ex one morbida vniuersus grex inficitur.* Sic ille. Alludit etiam ad hoc Petrus Chrysolog serm: super illa verba huius eiusd. cap Math. 18. *Si peccauerit in te frater tuus*, sic dicens: *Ita peccat qui videt fratrem peccare & tacet, sicut qui pænitenti non indulget. Nam, qui dixit si peccauerit, dimitte, præmisit; si peccauerit increpa, ne difficilis sit venia, & remissa indulgentia.* Hæc ibi. Hinc est quod adeo laudatur in sacra Scriptura correptio in charitate fundata. Quale est illud Prou. 27. *Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus.* Illud item Prou. 17. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis, virga atque correctio tribuit sapientiam* Vide si quid potuit clarius dici. licet enim reprehensio paternaliter emendatis, eisque aspera verba videantur vulnera, re tamẽ bene perpensa dilectiones sunt, & è contra licet falsi amici

Non denuncians nocet toti communitati.

Prou. 27.

Prou. 17.

Correctiones non sunt vulnera sed beneficia.

adulatio, taciturnitas, & dissimulatio videatur oscula, sunt oscula fraudulenta, & oscula Iudæ, & in rigore nõ amoris, sed odio signa sunt. Dic ergo, dic Ecclesiæ, quia illi dicere, non crudelitas sed amicitia est.

Dicenda vero sunt Ecclesiæ, seu prælato regulari illa, quæ licet peccata mortalia in se non sunt, turbationem tamen causant in communitate, & cæremonias sanctas destruunt, & sic in Religionis iacturam vergunt. Id communiter Theologi docẽt in materia correctionis iudiciariæ. Et patet, primo, quia communiter loquendo statuta Religionum ad peccata mortalia nõ obligant, nec proinde peccatum mortale est illis contraire cõmuniter: & tamen si statutorũ violationes nõ accusarentur, breui temporis cursu Religionis obseruantia periret. Secundo, quia in domo Nobili munda, & scopis mundata qualis est aula Regia, vel Ecclesiæ domus, minimæ etiã sordes sordidant, & oculos intuentium offendunt: quos non offenderent si illæ essent in officina aliqua, & domo publica sæculari ordinaria. Eodem modo in Religionibus quæ domus Dei sunt, & personæ illarum sæpius sacramentis mundantur, regularem disciplinam, minutiora crimina lædũt & offendũt Religio-

Denũcianda sunt etiam illa quæ non sunt peccata.

Religiones sunt domus mundissimæ, & paruis sordidantur.

sorum

ſorum conſcientias, & oculos ſpirituales, quam ſi illæ in puris ſæcularibus reperiuntur. Hac de cauſa Ioannes Caſsianus lib. 4. inſtit. cap. 16. & cap. 20 refert inter illos ſanctos monachos eremitas pro minimis culpis rigidas imponi ſolitas pænitentias: verbi gratia pro ola fictili fracta, longa humi proſtratio, & coram conuentu humilis veniæ poſtulatio fiebat. Eodem modo puniebatur tardus ad actum obedientiæ acceſſus, vel in cantando pſalmo titubatio: & ſimiliter refert alia parua quidem vt videntur, in omnibus fere hodie religionibus ſolita & ab illis accepta, quæ quidē parua non ſunt ſi in ordine ad cōmune bonum referantur: quæ plagis, & aliquando etiam expulſione punita fuiſſe cōmemorat. Mirabile vero eſt, & ſingulare, quod refert cap. 20. ſequenti, de quodam monacho qui dum lenticulas ad coctionem purgaret, & tria illi grana in terram deciderint, à ſuperiore tranſeūte, correptus eſt, & poſtea publica pænitentia punitus. Hæc volui recenſere, vt diſcamus, quod ſi illi ſancti viri tam rigida diſciplina minima illa puniebāt: quid neceſſe eſt fiat in delatione ad prælatum, & in punitione criminum grauiorum qualia ſunt tranſgreſſiones legis Dei, ac regulæ monaſticæ violatio?

Monachi antiqui minimas culpas ſeuere puniebant.

Iam vero, qua intentione iſta denunciatio prælato faciēda ſit, neceſſarium eſt dicamus. Ea nēpe intentione tantummodo proximi defectus deferendi ſunt ad prælatum, vt proximus peccans emendetur: & eum Chriſto Domino lucremur. Hanc intentionem docuit Chriſtus Dominus in verbis proxime antecedentibus ad verba thematis, dum de correctione fraterna loquens, dixit: *Si te audierit, lucratus eris fratrē tuum.* Idem autem finis omnino eſt, & correctionis iudiciariæ, qui eſt correctionis fraternæ. Iudiciaria enim correctio non adhitur niſi in defectum correctionis fraternæ; & pro eadem proximi ſalute recuperanda. Hinc iam patet quod ſi denuncians in ſua denunciatione prætēdit, vel particularem vindictam, vel proximi delati infamiam, vel ſolam illius punitionem de qua lætatur, vel quid ſimile, iam peccat mortaliter pro circunſtantia dāni dati, etiam ſi vera, & vere denunciet: denunciatio enim quæ res ſancta eſt non debet eſſe inſtrumentum iniquitatis. Exemplum clarum huius rei traditur à Theologis moralibus, in iudice, qui latronem publicum damnat ad mortem, quam iuſtiſsime merebatur: in tali tamen ſententia proferēda iudex lætatur, & odio etiā ducitur quia ſcilicet eidem latro-

Denūtiatio qua intentione facienda?

Iudex ad iuſtā mortē dānans latronem, ſed ex odio peccat mortaliter

latroni particulari ex causa infensus erat Peccat quidem mortaliter prædictus iudex ratione odij, licet ad restitutionem non teneatur, quia scilicet rem iustã fecit, sed iniuste. Eodem modo visitans seu denuntians ex passione animo vindictæ, non emẽdæ, rem quidem iustam facit si vere denuntiat: illam tamen facit iniuste ratione odij, & proinde peccat pro ratione damni dati, vel animi deprauati; licet ad restitutionem non teneatur. Debet ergo solam proximi salutẽ, & resipiscentiam ob oculos proponere: seu facere id quod docetur 86 dist cap. odio, vbi ex diuo Leone Papa sic habetur *Odio habeantur peccata non homines, corripiantur tumidi tolerentur infirmi: & quod in peccatis seuerius puniri necesse est, non sauientis flectatur animo, sed medentis.* Sic ibi. Id ipsum fere habetur 23. q. 4 cap. duo ista, ex diuuo Augustino. Vbi sic scribitur. *Duo ista nomina cum dicimus, homo peccator, non vtique frustra dicuntur Quia peccator est, corripe: quia homo est, miserere: nec omnino liberabis hominem, nisi persecutus fueris peccatorem:* Sic ibi satis piè, & satis eleganter.

Peccata debemus odisse nõ hominem.

De denunciante vero non est quod denunciatus indignetur, neque illi irascatur, etiam si sibi ex denuntiatione punitio obuenerit: non enim hæc materia odij sed remunerationis est Inuenio præsentis rei prælucidum exemplum in Christo Domino qui bis ostendit, se, si per impossibile haberet defectum aliquem paratũ libentissime corrigi, & ab alio corripi Primus locus est Ioan. 8. cum dixit Pharisæis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Secundus & clarior est. Math. 16. cum dixit Discipulis suis: *Quem dicunt homines esse Filium Hominis?* Quem defectum, quia habere nõ poterat, attamen in se ostẽdit, quomodo quisque nostrum se habere debeat in correctionibus ab alijs humiliter, & grato animo suscipiendis. Quod si secus faciamus, non minus quam phreneticis poterimus comparari. Vide si potest homo nisi phreneticus, & insanus indignari contra medicũ qui suæ saluti inuigilat, nocte, diuque assistit, remedia diuersa applicando: & tamen aliquando ægrotus præ morbi grauedine eõ amentiæ venit, vt contra medicum sic bene factorem verbis, ac factis furat, & insaniat. Talis omnino est ille qui peccati alicuius morbo grauatus, & ab alio de illius dimissione admonitus, seu à iudice increpatus, non solũ non resipiscit, veram etiam contra pios medicos, & obiurgatores verbis, & factis, si potest, insanit. Tales nempe fuerunt illi superbi, & ingrati pharisæi contra Chris-

Denũciatus nõ de. l e. indignari cõtra denũciantem.

Christus D. ostẽdit separatum corrigi si haberet de quo posset emendari.

Ioan. 8. & Math. 16.

Denũciãti infensus est phreneticus.

Christum Dominum, de quibus optime Diuus Augustinus in Psal. 63. sic scribit, referens quæ bona illis Christus Dominus fecerit. *Pertulit omnes infirmos eorum, curauit omnes languidos eorum prædicauit regnum cælorum, non tacuit vitia eorum, vt ipsa potius eis displicerent, non Medicus à quo sanabantur His omnibus ingrati tanquam multa febre phrenetici insanientes, in Medicum qui venerat curare eos, excogitauerunt consilium perdendi &c.* Tales videas multos indignatos & iratos contra illos quos suspicantur sua crimina prælato detulisse; quibus cum tanquam medicis curantibus, grati esse deberent, è contra illos tanquam inimicos reputant: vt fere ea de causa multi ab hoc præcepto visitandi etiam cum animæ propriæ periculo, & aliquando cum censurarum incursu, terreantur, & auocentur. Non recordantur hi Diuum Petrum Summum Pontificem à Paulo inferiore, & subdito reprehensum ad Galat. 2. non quidem indignatum fuisse sed nec vllum verbum excusationis attulisse. Et quod maius est, non fuit reprehensus Petrus de aliquo peccato mortali; Apostoli enim in gratia confirmati post aduentum Spiritus sancti peccare non poterant mortaliter. Papa itaque ibi à subdito reprehensus coram omnibus tacet, & fert patienter. Hodie autem subditi tum denunciatores, tum iudices correctores tanquam hostes, & inimicos publicos forte odiunt, & persequuntur delati. Insani certe, & phrenetici, si enim discooperto capite venerãtur eum qui sibi à veste filum sordidans aufert, quid oportet faciant illis qui peccatum, vel occasionem peccati ab anima, siue denunciando, siue paternaliter corripiendo, relegarunt, & & amouerunt? Legant, legant quantum sacra Scriptura reprehendat correctionibus resistentes, Prouerb. 29. viro qui corripientem dura ceruice contemnit, *repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur.* Et Ecclesiastici 21. *Qui odit correptionem vestigium est peccatoris.* Et Psalm. 2. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Et multa alia quæ passim pro eadem materia scripta reperies.

Galat. 2. Petrus reprehensus ab inferiore non indignatur.

Prou. 29.

Eccles. 21.

Psal. 2.

Prælati in denunciationibus tarde credant, & benigne puniant.

Restat vnum tantum admonere, quomodo scilicet prælatus visitans se debeat habere in denunciationibus recipiendis? Et quidem omissis quæstionibus litterarijs, & ad Theologos remissis: duo tantum moraliter libuit aduertere, vnum pertinet ad fidem dictis adhibendam, alterum, admodum puniendi. Quod attinet ad primum oportet

ret omnino prælatos in criminũ depositione non esse celeres, ad credendum sed fere tardos, & multa inquisitione præmissa tãdem fidem adhibere. Meminerint loci illius Genes. 18. vbi dicitur, quod multiplicato clamore Sodomorũ, eorũque peccato aggrauato nimis, Deus ipse qui cuncta ab æterno cognouit & vbique præsentissimus est, respondit: *Descendã & videbo, vtrũ clamorẽ qui venit ad me opere cõpleuerint*: an non est ita vt sciam, vide mirificũ exemplũ datũ prælatis, ad maturã discussionẽ habendam ante assẽsum suũ circa delata crimina: si enim Deus iudex puniturus illud egit, quid facere oporret terrenos iudices, qui neq; sibi præsentia aliquãdo discernũt, & internoscũt. Egregie in eandem sententiã B. Gre. li. 16 Mor. explicans illa verba Iob. *Causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabã*, de iudicibus prælatis sic loquitur. *Nos sane hic locus admonet, ne ad proferendã sententiam præcipites vnquam simus, ne temere ac indiscusse iudicemus, ne qualibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profecto perpetrare verebimur si autoris nostri subtilius facta pensabimus. ipse quippe, vt nos à præcipitata sententia compesceret, cum omnia nuda & aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare.* Et paulo infra. *Deus itaque omnipotens, atque omnia sciens cur ante probationem quasi dubitat? Nẽpe vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere quam probare* Quod ipsum elegãter docuit Philo Iudæus in lib de confusione linguarũ dũ explicat illum locum Genes 11. cum dicitur Deum descendisse, vt videret ædificationẽ turris, vbi sic ait Philo. *Sed nihilominus tamen dicitur Deus descendens visere, qui omnia etiam antequam fiant, clarissime prauidet, vt doceamur, ne quis homo de absentibus rebus, & incertis putet se certum posse iudicium facere, sed propius introspecto negotio cuncta diligenter perlustret. Visus enim certus adhibendus est, potius quam fallax auditus. Quapropter in optime constituta Republica lege cautum est, ne quis audita iudicat pro testimonio, quia iuditium auditus naturaliter obnoxiũ est corruptioni, &c.* ibi eleganter. Quod vero attinet ad modũ punitionis quãdo status, & qualitas criminum punitionem exigant. Sufficiat audire quod ius Canonicũ ex D. Greg. Papa cõmendat. 45. dist. cap. Sũt nãque, vbi sic habetur. *Sũt nãque nõnulli ita districti, vt omnẽ etiã mãsuetudinẽ benignitatis amittant & sunt nõnulli ita mansueti vt perdant districti iura regiminis. Vnde cunctis rectoribus vtraque sũmopere sunt tenenda, vt nec in disciplinæ vigore benignitatem*

Gen. 18.

nignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ: quatenus ne à compassione pietatis obdurescant, cum contumaces corrigant, nec disciplinæ vigorem molliant cum infirmorum animos consolantur. Regat ergo disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem & sic alterum comendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mansueto dissoluta. Hæc ibi, & hæc sufficiant pro denunciantibus subditis, & iudicibus prælatis?




EXHORTATIO XVIII.

VT RELIGIOSI PROFICIANT IN VITA Monastica, & ad illam sectandam animentur.

Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & infra. Sed habeo aduersum te quod charitatem tuam primam reliquisti. Apocalypſ. 2.

Apoc. 2.



SOLENT prælati exhortatione in communi subditos adhortari ad monasticas obligationes implendas, & profectus in religione faciendos: id quod in nostra Seraphica Religione fieri solet finita visitatione. Ad quem finem mihi visa sunt accommodata citata verba Apocalyp. scripta Episcopo Ephesino,

no, eiusque laudem primo continentia, & secundo admonitionem seu reprehensionem. Eius laus illis primis verbis includitur. *Scio opera tua*, bona videlicet, quæ ibi commemorat: *Et laborẽ, & pacientiam tuam.* Hæc eadem ego merito applicanda censeo cuiuis religioso, quoniam eius labor, & patientia satis patent etiã in vita ordinaria religionis ad vnguem sufferẽda. Nam si diuus Augustinus serm. 250. de tempore dixit, non deesse Christianis quotidiana martyria luctando contra mortifera blandimenta; quinam ex fidelibus magis luctantur contra carnales passiones, & blandimenta terrena, quam religiosi: vt propterea inde modo suo Martyres incruenti dici valeant? Consonat quod ad idem propositum scripsit Ieron. in epitaphio Paulæ, de Paula religiosa, ad filiam religiosam sic loquens. *Non solum effusio sanguinis in martyrio reputatur, sed deuota quoque mentis seruitus immaculata quotidianum martyrium est: illa corona de rosis, & violis texitur ista de lilijs. Vnde in Cantico scribitur Canticorum: fratruelis meus candidus, & rubicundus, & in pace & in bello eadem præmia vincentibus tribuens.* Sic ille. Et re vera trium votorũ perfecta obseruatio, chori continua frequentatio, cum cæt. vitæ monasticæ circunstantijs, ac molestijs, quid nisi martyrium incruentum appellandum sit? Ego solam obedientiam monachalem comparo illi gladio Dionisij Tyranni quem supra caput conuiuæ sibi inuidentis iussit appendi in mensa cibis referta filo tenui ligatum. Quem conuiua suspiciens epulari noluit, neque cibos tantum gustare. Talis videtur obligatio obedientiæ, é filo pendens gladius, filo enim seu fune campana in alto posita ad tot actus communes religiosum vocat chori, silentij, somni, vigiliæ, &c. vt quasi gladius sit appensus. Omitto voluntarias, & extra ordinarias prælati preceptiones, aliquando imprudentes, & indiscretas, ac molestas: ita vt prælati voluntas ad libitum mãdans alter gladius pendens dici queat, à quo subditi voluntas pendula est. Hæc solum differentia est vtrobique, quod ille Dionisij gradius tyrannicus erat, & crudelis: obediẽtiæ vero gladius in religionibus suauissimus est, eo quod propter solum Deum impletur obedientia, Deo ibidẽ suauitatem, & gaudium spirituale instilante. Ecce quomodo religiosis vere conueniunt priora verba laudis Ephesini Episcopi: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam.*

Religiosi labores, & patiẽtia laudantur

Religiosi vita Martyrum incruentum

Religiosi continua obediẽtia, est gladius Dionisij Tyranni.

Reprehensio vero Episcopi fuit hæc. *Quod primam charitatem tuam.*

qui de gradu quē forte semel in religione assumpsit vel parū ascendat. Sic ille. Id ipsum docuit Cass. collat. 4. cap. 19. de eodē argumento sic dicens *Postremo quid diutius immoramur in his quæ nobis experimēto satis comperta sunt, ac probata Frequenter enim vidimus de frigidis atq; carnalibus, id est de sæcularibus, ac paganis ad spiritualē peruenisse feruorē, de tepidis (id est, monachis de quibus ibi) atque animalibus non vidimus.* Imo & D. Chrys. paulo amplius rem extendens ad omnes Sacerdotes, & Clericos hom. 40. operis imperfecti, eisdem fere verbis asserit difficilius Clericos ad bonum, & feruentiorē profectum aliquando assurgere quam ipsos sæculares. Huius causam assignās ibidem esse ait: *Nam Clerici licet in sacris Scripturis continuo legant illa quæ ipsos de Cæli gloria, de mūdi contemptu, & peccatorū contritione possint admonere: hæc tamē quæ quotidie legunt, eo quod solita, & antiqua illis sint, vel non respiciunt, vel non horrescunt, neque in illis impressionem faciunt: quasi in hoc etiam locum habeat illud vulgatum Aristotelis dictū, ab assuetis non fit passio:* Et ideo nō meliorantur. Econtra vero sæculares quando prædicta loca de Scriptura, vel legunt, vel audiunt tanquam à re noua concutiuntur, ac terrentur, & proinde facilius conuertuntur. Et quidem notatu valde dignum est, ne dicam admirandum, quod cum charitas ignis sit, & semper in hac vita per opera bona augeatur; neque item minuatur in se per peccata venialia, vt Doctores docent cum Magr. in 1. dist. 17. & diuus Thomas 2. 2. q. 24. articulo decimo contra Dionisium Cartusianum: mirum inquā est quomodo charitas in religiosis per tot sancta opera, & sacramentorum receptionem quotidie quoadhabitum crescat: & econtra quoad feruorem frigeat, atque decrescat: vt mirum sit latentem ignem non erumpere, non comburere: huius proinde rei necesse est causas inquirere, illasque à Doctoribus antiquis monachis maxime audire, quo charitas ista prima in religiosis tepescat.

Religiosi, & Sacerdotes cur nō proficiant

Primā huius rei causā inuenio, esse quod religiosi in professione vel solo corpore, non animo mūdum reliquerunt: vel si animo reliquerunt iterum animo ad mundana reuertuntur. Hanc causam assignat Cassianus collat 3. cap. 5. vbi postquam multa dixit de 3. renunciationis modo perfectissimo, quo religiosus ita animo cūcta reliquit vt iam in terris cū solo Deo cōuersetur omnino omniū terrenorū oblitus, in quo stat prima, & perfectissima charitas: postea ad hunc modū perfectissimū charitatis inuitās ait. *Quapro-*

Religiosi qui vel seculū nō ex animo relinquunt: vel ad illū animo reuertuntur.

pter festinare debemus si perfectionē veram desideramus attingere, vt quē admodum corpore parentes, patriam, diuitias mundi voluptatesque despeximus: ita etiam corde hæc omnia relinquentes nulla rursus ad ea quæ dimisimus concupiscentia reuertamur &c. Ad quod magis illustrandum adducit statim exemplum filiorum Israel, quos cum Dominus eductos ab Ægypto in deserto tot beneficijs cumulauerit, ita vt Manna de cælo ad mãducãdũ præbuerit: his omnibus nihilo meliores facti, nõ solũ nõ proficiebant, sed potius deficiebãt, & fere semper inquieti, & aliquãdo Deo offẽsi erãt: id quod illis ea solũ de causa eueniebat, quia corpore tantũ, non animo Ægyptũ deseruerunt, & toties ad illum redire desiderabant, recordantes, & appetentes ollas carnis, cepas, & alia quibus Ægyptus abũdabat. Qua figura applicata, subdit Cassianus ibidem: *Timendũ esse (ait) ne cum illis pariter condẽnentur, qui in eremo cõmorantes post escam Mannæ cælestis desiderauerũt vitiorũ fœtidos, ac sordida vilitatis cibos. Nosque cũ illis similiter murmurare videamur bene nobis erat in Ægypto, &c.* Et rursus collat. 4. c. 19 postquã dixit tepidũ Monachũ esse similẽ illi de quo Apoc. 3. dictũ est: sed quia tepidus es incipiam te euomere, &c. *Dicit hunc teporem reperiri in illo qui capit Monachi abuti vocabulo, qui nempe est ille, qui solo nomine terrena reliquit, non animo & voluntate.* Hos etiam puto figurari potuisse in illo Achan pessimo Iosue 7. qui in vrbe Iericho regulã auream, & pallium furatus est, pro quo sciendum quod Iosue iussu Domini non solũ vrbem illam diruit, & solo æquauit; sed etiã cuncta illius spolia consumpserit exceptis vasis aureis Domino offerendis: vetuit tamen omnino ne de spolijs eius aliquis aliquid attingeret: & dixit ibidẽ Iosue c. 6. sitque ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino Eodem fere modo quã do Religiosus professionẽ emittit per votũ paupertatis ita omnia mundana renunciat, vt quasi mundo & rebus eius dicat anathema. Quibus tamẽ nõ obstantibus videas postea per multos similes illi malo Achan Iosue 7. qui regulam auream, & pallium de Iericho surripuit: &, vt ibi dicitur, tulit aliquid de anathemate. Tales sunt multi Religiosi post professionem, furantur de mundo Iericho regulam mundanam, qua iterum volunt gubernari, regulã vrbanitatis, quã veluti sæculares, obseruant, visitationes accipiẽdo & reddẽdo: cæterisque mundanis se immiscendo, quasi non regulares sed sæculares essent Furantur etiam Religiosi.

Iosue 7.

Religioso mundo interdicitur sub anathemate.

Religiosus furatur regulam mundi.

Religiosi pallium Iericho, seu mundi, quatenus sæculariũ protectionẽ,& fauorẽ ad culpas nõ soluendas procurant: pallium enim fauorem significat: dicimus enim, potentiores pallio suo protegere, seu sub pallio abscõdere illos quibus fauent: furantur itaque pallium Iericho,cum sæcularium fauorem procurant vel ad pœnas euadendas,vel honores assequendos. Et hac de causa,terrena hæc tanta auiditate appetentes,de charitatis feruore diminuũt,ita vt nõ solũ tepidi,sed etiã frigidi, in Dei amore inueniãtur.Quos tamẽ hac in re similes paulo esse oportebat,qui vbi primũ ad Apostolatũ vocatus est Act. 9. ita repente cæcus factus est,vt apertis oculis nihil videret.Et ad Philip.3. omnia arbitrabatur stercora vt Christum lucrifaceret. Talẽ decet esse Religiosum post suã in professione renunciationẽ, vt scilicet oculis nihil mundanũ videat, & omnia stercus esse consideret.

Pallium mundi Religiosi furantur, & quomodo.

Actor. 9.

2.Phil. 3.

Secũda huius rei causa esse potest,quod scilicet Religiosus,eo solũ quod Religiosus est sibi aplaudat,& sibi sufficere videatur status perfectio, & altitudo, vt amplius proficere seu laborare nõ procuret, eo solũ contentus quod Monachus est. Hãc etiam causam indicauit Cassianus citata collat 4.& c.19.vbi Monachũ tepidũ loquentẽ sic inducit. *Dicit enim in corde suo secundum illam Domini sententiam* (*Apoc* 3.) *quia diues sum & locuples,& nullius egeo. Cui illud quoque quod subsequitur consequenter aptabitur Tu autem es miser,& miserabilis,& pauper & cæcus,& nudus.* Hæc ille. Ita plane sentio multos in religione non amplius proficere, quia scilicet, si non verbis,saltẽ rebus & animo contenti sunt sua regulari vita ordinaria, suaque quali quali perfectione,ad altiorem assurgere non curantes,sola status altitudine & securitate quieti. Non recordãtur hi illius dicti Ps. 76. *Et dixi nunc capi*, quod ab omni quantũcunque perfecto dicendũ est.Neque hoc diuina veritas omisit nos docere Luc.17. dicẽs. Cũ feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis dicite: serui inutiles sumus. Legant D. August. serm.15.de verbis Apost. sic dicentem: *Dixerat, non sum perfectus.Et postea,quotquot perfecti sumus id est perfecti,& non perfecti, perfecti viatores, nondum perfecti possessores. Semper tibi displiceas quod es, si vis peruenire ad id quod nondum es. Nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autẽ dixeris,sufficit, & perijsti,obliuiscere præterita,noli in ea respicere ne ibi remaneas vbi respexeris, propterea enim Christus dixit Luc. 17. Mementote vxoris Loth.* Hæc ibi. Legant D. Bernar. epist. 91. sic

Apoc 3.

Psal. 76.

Luc. 17.

Deus solus non potest esse melior. Gen. 28.

sic scribentem ad quosdam Abbates. *Solus Deus melior idcirco se ipso esse non vult, quia non valet. Vidit Iacob in scala Angelos ascendentes, & descendentes Genes. 28. nunquid stantem quempiam siue sedentem? Non est stare omnino in pendulo fragilis scalæ, neque in incerto huius mortalis vitæ.* Et statim post: *Et vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.* Hæc vere mellifluus Bernardus. In cuius verbis duo nota præcipue, alterum quod si per impossibile, Deus posset fieri melior, id certe procuraret illi tamen qui summa bonitas est, id repugnat. At vero miser homo duabus fere virtutibus, & aliquando imperfectis adeo contentus est, vt sibi iam perfectus & securus videatur. Alterum D. Bernardi dictũ est, consonans cũ dicto proxime posito D. Augustini, quod videlicet, vbi primũ aliquis in sua perfectione, seu virtute acquiescit, ac sibi complacet, iam non absolute bonus est. Non est ergo quod Religiosus in sola status perfectione, & altitudine complaceat, & conquiescat. Etenim neque status, neque locus quantũcũque perfecti sint, licet iuuent, non tamen saluant non sufficiunt Et primũ quod attinet ad statũ, constat in cælo meliorẽ statum fuisse Angelicum, & in terra Apostolicum, & nihilominus ex primo Angeli, ex secundo Iudas miserabiliter ceciderunt. Et in particulari de loco, quod non saluet, eleganter Greg. hom. 9. in Ezech. proponit exemplũ Loth in hunc modũ. *Mutare locũ conamur, & secretũ vitæ remotioris eligere, videlicet ignorantes, quia si desit spiritus, non adiuuat locus. Iste enim Loth de quo loquimur, in Sodomis sanctus extitit, in mõte peccauit. Quod autẽ loca mentem non mutent ipse humani generis primus testatur parẽs, qui & in paradiso cecidit, &c.* ibidem. Consonant quæ habet Cassianus collat. 3. cap. 5. dicens: *Quid enim profuit Iudæ Apostolatus sublimissimũ gradũ eodẽ ordine quo Petrus cæterique Apostoli asciti sunt, voluntarie suscepisse qui vocationis suæ preclara principia cupiditatis, ac philargyriæ pestifero fine consũmans, vsque ad traditionem Domini crudelissimus parricida prorupit?* Sic ille. Oportet ergo, neque in statu, neque in loco gloriari vel quiescere, hæc enim licet iuuẽt, non sufficiunt.

Solus locus, & solus status non saluant.

Cum secunda causa præcedẽte coincidit forte vel illam iuuat hæc tertia: Religiosos nunquam meliorari ad maius, quia scilicet considerant se esse domesticos Dei, & in domo illius iam conuersantes: & proinde magna fiducia freti quod de domo Dei sint, parum faciunt. Huius exemplum clarũ habemus in illo Pharisæo

risæo Luc. 7. qui Christum Dominum ad manducandum inuitauit: fretus enim quod Pharisæus esset, à populo segregatus, & pro vno ex Religiosis illius temporis computatus, (tales enim habebantur Pharisæi) in Christi Domini hospitio multos defectus commisit, & multa omisit fieri solita conuiuantibus: vt enim Christus Dominus illi obiecit, *aquam pedibus illius non præbuit, nec pacis osculum, nec oleum ad caput vngendum*: quæ omnia solita erant conuiuis offerri, & tamen omnia Pharisæus forte ex confidentia omisit: & à Magdalena peccatrice sunt ad vnguem exhibita. Similiter videas multos Religiosos ex cõfidentia forte quod Religiosi sint, multa omittere in diuinæ legis obseruatione, quæ forte aliquando â sæcularibus non omittuntur. Vt fere in hoc locum habere posit illud Psalm. 17. *Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi*. Et illud Isayæ 1. *Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me*. Qui enim inter Christianos magis Dei filij dici possunt quam Religiosi? Qui nam magis enutriti, â Deo, specialibus auxilijs, fauoribus, consolationibus, & similibus? Qui nam denique magis exaltati & ad altiorem statum euecti quam Religiosi? Et tamen Deus queritur se seruiri à populo igno to in auditu auris, & à filijs enutritis specialiter, & exaltatis sperni. Cum tamen oppositum deberet fieri, quod scilicet à Religiosis qui magis filij sunt, & magis debitores, quam sæculares, animo promptiori, & obedientiori seruiretur Iuxta illud Psal. 54. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi sustinuissem vtique: & si is qui oderat me super magna loquutus fuisset abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos?* Solus enim Religiosus, vel ille maxime inter alios dici potest, quod dulces capiat cibos in domo Dei: tum ex sacramentorũ maiori frequentatione, tum ex maioribus consolationibus quas Deus in Religionibus infundit. Vnde ex illis cibis spiritualibus magis in Religione propinatis, duo nobis inferre licet, alterum maiorem Religiosos habere obligationem inseruiendi Deo, quam sæculares. Alterum est pro intento præcipuo nostri thematis, quod scilicet Religiosi ob dulciores cibos in domo Dei gustatos, & meliorem vt ita dicam pastum, debeant magis impinguari spiritualiter, & magis de die in diem in charitate crescere, non vero à prima charitate recedere.

Religiosi ex confidentia nõ proficiũt.

Psal. 17.

Isai. 1.

Religiosi habent plures causas proficiendi, & Deo seruiẽdi quã sæculares.

Quo ergo ad primam illam charitatem redeamus, recurrendo ad omnia verba thematis: dico: quod non perdant religiosi tot labores, quot retulimus in principio. Si enim illi omnes in statu religioso necessario tolerãdi sunt, vt vidimus: imprimis, tolerentur in gratia: si enim adeo fœdum est vt diximus in religiosis, amitti solum feruorem gratiæ, & charitatis; quanto peius erit eos viuere in statu in quo & ipsa charitas amittatur? Videãt ergo ne perdant tot labores, & tantam patientiam: secus enim si faciant vere conuenit illis illud Pauli 1. ad Corinth. 15. *Miserabiliores sumus omnibus hominibus*: quæ verba quia à diuo Bernardo mox citando, religiosis applicantur pro intento præsenti, eadem sic explicamus. Probabat ergo ibi Paulus futuram esse resurrectionem corporum, & aliam vitam in qua fidelium labores, & merita sint remuneranda. Quod si quis negauerit, &, vt ait Paulus, in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, (id est si retributionem meritorum à Christo speramus solum in hac vita, nõ in resurrectione) hoc dato sunt fideles miserabiliores omnibus hominibus infidelibus. Nam isti saltem in hac vita rebus mundanis fruuntur, diuitijs scilicet, carnis voluptatibus, & similibus delitijs vsque ad satietatem, quæ tamen christianis interdicuntur, vel cum limitatione tantum concedũtur: Ergo si resurrectio futura non est, christiani sunt miserabiliores barbaris, cum christiani neque hoc mundo fruantur, neque altero, quem tu negas: hæc eadem verba magis in particulari applicari possunt religiosis: cũ enim illi plus cæteris fidelibus voto renuntient mundo, eoque minus fruantur: si taliter viuant, vt saltem charitatem primam quoadhabitum reliquerint charitatis, & aliàs tot labores sustineant cum tanta patientia, & in peccato decedãt: profecto multo miserabiliores sunt omnibus hominibus fidelibus, & infidelibus. Hæc eadem verba applicat diuus Bernardus religiosis, imo & sibi ipsi in Apologia ad Guillelmum Abbatem paulo post initium sic dicens. *Non ne si in hac tantum vita in Christo sperantes sumus miserabiliores sumus omnibus hominibus? Miser ego homuncio qui tanto labore, & industria studeo non esse, vel potius non videri sicut cæteri hominum, minus tamen accepturus, imo grauius cruciandus quam quilibet hominum. Siccine ergo non inueniebatur nobis via (vt ita dicam) vt cunque tolerabilior ad infernũ? Si ita necesse erat vt illo descenderemus cur saltem illã*

Religiosi ne amittant tot labores sanctos.

1. *Cor.* 15.

Religiosi si sancti non sunt miserabiliores omnibus hominibus.

qua multi incedunt, viam scilicet latam quæ ducit ad mortem, non eligimus, quatenus vel de gaudio, & non de luctu ad luctum transiremus? Sic ibi eleganter. Et paulo infra dicit: *Va portantibus Crucem non sicut Saluator suã, sed sicut ille Cyrenæus alienam? &c.* Ne viuant religiosi in tali statu laborioso, vt de se dicere possint illud Iob 7. *Habui menses vacuos, & noctes laboriosas numeraui mihi:* In hoc sẽsu, quod tot labores religionis vacui illi transeant, & tot noctes laboriosæ surgendi ad Diuinum Officiũ sine fructu decedant. Etenim sæcularium, maxime peccatorum, labores innumeri vacui sunt, præmio carebunt quia vel fiunt extra gratiam, vel fiunt ob finem vanum communiter, non vero sustinentur propter beatitudinẽ. At vero religiosi labores, qui in professione omnes vitæ futuræ actiones Deo consecrat, vacui non sunt, cum omnes iam Deo sint oblati; nisi forte religiosus charitatem primam non solum quoad feruorẽ, sed etiam quoad habitum amittat, eo enim tempore labores vacuos, & noctes sine fructu habebit. Dicat potius religiosus eadem verba Iob in

Religiosi portent Crucem suam non alienam.

Iob.7.

alio sensu quo ibidem à Pineda exponitur, videlicet. Ego futuræ tantum beatitudinis, ac mercedis æternæ illectus præmio, patienter sustineo hos omnes labores, etiam si vacui sint consolationis à Deo datæ: ab illo enim hic retributionem nõ spero, sed in Cœlo, sciens, quoniam ibi tantum mihi plene præmiabuntur. Sic religiosus dicat in suis quotidianis laboribus etiam si aliquãdo consolationis vacuum per mẽses, ac tempora se esse sentiat. Claudat tãdem hanc exhortationem, illa alia diui Pauli in fine citati capitis 15. 1. ad Corinth. in quo suum, & nostrum intentum resumens sic loquitur illis Corinthijs. *Itaque fratres mei dilecti, stabiles stote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper: scientes quod labor vester non est inanis in Domino.* Hæc ibi. Considera verbum duplicatum, vt sint stabiles, & immobiles: ne fluctuent, & nutent vt vel labore fracti, vel lucro aliquo affecti à via recta dificiant; quod facientes confidant labores suos, *non mitti in sacculum pertusum* (Aggæi 1.) sed in viuam Dei memoriam, vt suo tempore cum gloria remuneret. Amen.

1.Cor. 15.



EXHORTATIO XIX.

PRO EODEM QVO PRÆCEDENS, IN COMMVNI SCILICET ADMONITIO ad recte viuendum.

Rogamus autem vos fratres vt abundetis magis, & operam detis vt quieti sitis, & vt honeste ambuletis ad eos qui foris sunt: & nullius aliquid desideretis. 1. Thess. 4.

1. ad Thessalon. cap. 4.



Vatuor sunt quæ Diuus Paulus citatis verbis nimis commendat vt viuebimus, eaque Religiosis maxime congruentia. Vnum aduerto, inter hæc verba proposita, omisisse me duo verba Diui Pauli inter media, quibus hortatur vt suum negotium agant, & laborent manibus suis: quæ duo omisi, quia non adeo sunt necessaria intento, sicut proposita quatuor in themate.

Quod ergo spectat ad primũ hic nobis ab Apostolo commẽdatum vt scilicet, abundemus magis: considerandum video, quod inter res inanimes, & animatas, homo præcipue, varia, & successiua recipit incrementa via naturali. Videmus namque illum, in vtero matris ante infusionem animæ, viuere vita plãtę.

Secundo

Secundo intra eundem vterum post animationem viuere vita bruti. Tertio dum infans est partim vita bruti, partim hominis. Denique si ex hac vita ad cælū transeat anima, viuit quasi vita Angeli, ecce quot incrementa idem numero homo paulatim recipit. Quod non sic videas in Angelis, neque arboribus. Hos ergo profectus & variata augmenta quæ homo recipit in vita naturali, facit etiā in vita spirituali: cum enim discursiuus sit, & res per discursum paulatim acquirit paulatim etiam in virtute crescit: secus contigit in Angelis, qui cum natura sua discursiui non sint, ideo Deus illos statim cum omni fere perfectione spirituali creauit, quam erant habituri boni & mali in via, si hi perseuerarent. Et ideo fortasse Deus Angelis tam paruum spatium viæ, seu temporis indixit, in quo se respectu gloriæ determinarent: quod spatium octo dies non excessit, vt Theologi docent in materia de Angelis: At vero hominibus longum spatium præscripsit, seu longā viam octingentorum scilicet annorū in principio, modo vero communiter sexaginta annorū plus minusue, vt in tam longa via seu spatio posit homo proficere & varia virtutū incrementa operari. Et hoc primo Paulus citatis verbis rogat vt abundemus magis. Hoc adeo verum est, vt etiam de Christo Domino qui nunquam in tota vita recepit augmentum gratiæ, & charitatis quoad habitum, totam enim recepit simul, ac semel in instanti incarnationis, dicat Lucas c. 2. quod Iesus proficiebat, sapientia, & ætate, & gratia apud Deū & homines. Quod quomodo factum sit, quoad externam demonstrationem Theologis, in materia incarnationis relinquamus. Hunc profectum, & augmentum spirituale Religiosi præ cæteris habere possunt ac debēt, cum enim illorum vita tum ex parte legis Dei, tum ex parte regulæ monasticæ, tum ex parte maiorum, ac sanctarum occasionum posita sit in continuo exercitio virtutum, quidni quotidie abundent magis? quidni innumerabiles prouentus, & meritorum incrementa conquirant? Ita vt illis vere competat illud ad Ephes. 4. *Veritatem facientes in charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus.* Qui vero Religiosus hoc gratiæ, & charitatis augmentum non senserit, timeat ne forte aliquo magno spirituali impedimento præpediatur: quemadmodum enim si videamus hominem cui sumpta medicamenta, optimique cibi nihil proficiunt, iudicamus illū pati-

Angelus cur Deus breue tempus viæ præscripserit.

Luc. 2.

Religiosi plus cæteris possunt proficere.

Ephes. 4.

particulari, & occulto morbo graui laborare: eodē modo, Religiosi, qui tot Religiosis virtutū actibus, & medicinis, & occasionibus nō proficit indies quasi sensibiliter, timeat se occulto impedimento forte laborare. Climacus in compend. recapit. comparat cancris illos qui in via Dei non proficiunt, & addit hos facili negotio posse à Dæmone superari: eo modo quo facile est capere cancros fugientes, eo quod non indirectum vadant iter. verba illius sunt. *Sicut ij qui dicuntur cancri capi facillime possunt eo quod aliquando ante, aliquando retro gradiuntur: ita & anima nunc quidem ridens, nunc lugens, nunc vero delitijs affluens proficere vnquam poterit.* Sic ille. Videas denique multos quibus competit illud Pauli 2. ad Timoth. 3. *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.*

Religiosus non proficiens est sicut cancer.

2. Thren 3

Secundū quod nobis cōmendat Paulus est vt quieti simus, tū quoad nos ad intra, tū quoad alios, & quidē de pace externa iā supra satis diximus exhortatione de vitādis schismatis. De quiete vero spirituali & interna, multa suppetūt applicāda, & viā nobis aperiat deuotus ac Religiosus Bern. Qui serm. de obediētia, patiētia, sapiētia, causā huius quietis in Religioso esse ait carentiā curæ totius negotij corporalis, & præterea, illos abscōdisse Deū & occultasse in tabernaculo suo, Psal 26. vt ibidē quieti spirituali, & corporali vacarēt Verba Bernardi sic habēt *Nulla vobis hic nutriendorū liberorū cura, nulla solicitudo quomodo placeatis vxoribus, nō de nūdinis, nō de negotijs sæcularibus: nō de ipso victu non de vestitu necesse est cogitare, procul à vobis magna ex parte diei malitia, & solicitudo vitæ: sic abscondit vos Deus in abscōdito tabernaculi sui.* Hæc ibi. Quid ergo nō sint quieti illi à quibus totius rei tēporalis cura elōgatur quæ sæculares homines adeo distrahit, adeo lacerat, & inquietat? Sūt præterea Religiosi in ordine, tanquā abscōditi à tēpestatibus & tumultubus populi, cū sæculares eisdē expositi sint veluti rupes & arbores in alto positæ, ab imbribus, & vētis cōtinuo cōcussæ. Cōsona his sunt quæ scribit Chrysost. hom. 69. in Matth. post mediū. Multa enim & præclara in hāc sententiā de Religiosis fere tota illa homilia proloquitur: cuius præcipua ad hoc intentū verba sic se habēt. *Tanto interuallo à iucundissima Monachorū vita distare inueniemus, quantum inter trāquilissimum interest portū, & mare tēpestuosum, atque incōmodū. Perpende autem fælicitatis suæ stabilimenta ab ipsis continuis diuersorijs. Forum enim, & vrbes, & tumultus platearum fugientes in montibus*

Religiosi quies cōmendatur

Psal. 26.

Religiosi abscōditi a tempestatibus.

bus viuere maluerunt, vbi nihil sibi cum his sæcularibus rebus commune est: vbi nihil humanarum rerũ perturbat, non mæstitia, non dolor non acerbior cura non pericula, nõ liuor, non turpis amor non aliud huiusmodi sed quæ sunt futuri regni iam meditantur. Sic ibi. Et paulo post comparat Monachum in monasterio cum Adamo posito in paradiso ante peccatum, quando illum ibi nulla sæcularis cura, neque conscientiæ reatus molestabat. Vnde illa verba 1 Pet. c. 5. *Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi est cura de vobis*: duabus de causis Religiosi possunt ac debent dicere: primo respectu Dei, qui particulari modo de ipsis curã & solicitudinẽ habet, plusquam de sæcularibus, eo quod Religiosi Deo magis fidentes, omnia terrena dimiserũt. Secundo respectu prælati, quoniã Religiosus subditus omnẽ curã & solicitudinẽ, etiam de vestitu, ac cibo in prælatum debet proijcere, ac proinde liber ab omni cura huius vitæ, magnam quietis, & tranquillitatis occasionẽ habet. Neque his dissonantia sunt scripta à D. Gregor. lib. 30. Moral. cap 12. vbi pro Religioso intelligens onagrum in solitudine liberũ habitantẽ, inter illũ & sæculares differentiã collocans ait: *Si quis semel à dominatione desideriorum temporalium colla mentis excusserit, quadam iam hic in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo aduersitatis terrore coarctatur. Asperũ quippe & duræ seruitutis pondus est subesse temporalibus: ambire terrena, retinere labentia: velle stare in non stantibus, appetere quidẽ transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire Liber ergo dimittitur, qui calcatis desiderijs ab appetitione rerũ temporalium securitate mentis exoneratur* Sic ibi.

1. Pet. 5.

Religiosi cura tota proiecta in Deum.

Religiosi quies.

Denique de quiete Religiosi potest intelligi illud Cant 2 *Introduxit me Rex in cellam vinariã, ordinauit in me charitatem.* Vere enim Religiosi ad perfectiorẽ, & altiorẽ vitæ statũ vocati, dici possunt introducti in cellã vinariã, perfectissimãque charitatẽ, quæ illos cum Deo particulari modo vnitos, & ligatos, & terrenorum oblitos, faciat omnino quietos & tranquillos. Ecce quæ causæ sunt, vt secundũ Apostoli dictũ, Religiosi ratione status, & loci debeant esse quieti, & contenti.

Cant. 2.

Quod si secus fiat, vt, quod Deus auertat, Religiosus inquietus viuat, Deus bone, quæ miseria, quæ angustia, quæ spiritus afflictio? Miser, & inter homines iã in vita miserabilior, qui neq; cælo, neq; terra fruatur. Nõ quidẽ fruitur cælo, quia animæ illius tristitia vehemẽs fũdata in malo appetitu vnde oritur, signũ esse potest perditæ

Religiosus inquietus, nec cælo nec terra fruitur.

perditæ charitatis; neque item terra fruitur, quia prohibẽte prælato & regula prauum appetitum non potest implere. Et quoniam inquietudines fratrũ multæ sunt, & à diuersis causis trahentes originem, duas volo perstringere: alteram spiritualem, alteram temporalem; ambas autem fundatas in denegatione rei appetitæ, quas falso aliquando consolationes, vel rem debitam solent nominare. Prima fit ex D Bernar. epist. 82. in qua respondit cuidam Abbati, qui Bernardum consuluerat, super patria, Abbatia, & cæteris relinquendis & Ierosolymam adeundam consolationis, & quietis spiritualis gratia. Cui Bernardus prædicta epistola negatiue respondens: omnesque illius rationes dissoluens; inter alia sic illi scribit: proponens primo sibi Bernardo, obiectionem nomine Abbatis in hunc modum. Sed dicis. *Vnde ergo tantum desiderium, si ex Deo non est?* poterat enim Abbas dicere illud opus, & perigrinationem sanctam esse, & à Deo datam, quia ardenter illam desiderabat. Ad hoc replicat Bernardus. *Pace tua dixerim quod sentio. Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & huiuscemodi omni (vt ita dicam) ab synthio amariorem dulcedinem ab Angelo sathana, sub prætextu Angeli lucis sitienti cordi tuo infundi non dubitat, quisquis eius astutias non ignorat* Sic ille. Vide quam eleganter ex Prouerb. cap. 9 consolationes fratrum vocat aquas furtiuas, quia scilicet furtim, seu falso consolationes dicuntur. Et has dicit esse dulciores non in se, sed respectiuè quia scilicet diabolo instigante, eisque dulcedinem & deuotionem inspergente, dulciores videntur, & magis appetuntur, quam veræ consolationes: Talis erat illa peregrinatio voluntaria sub specie deuotionis relicta Abbatia, & cæteris concurrentibus. Loquitur etiam hac de re sic Cassianus collat. 1. cap. 20. de Diabolo fallente. *Intercessiones ac visitationes pias persuadet impendere quibus nos à spiritualis monasterij claustris, & secreto amicæ quietis excutiat* Et reuera ita est vt sæpius appetitus malus specie deuotionis indutus, tam iustus, & sanctus appareat appetenti, vt illo sibi denegato, iniuriam Deo ac sibi fieri à Prælato subditus clamet. De his similibus consolationibus falsis exponit Cassianus, seu applicat illa verba Lucæ 16. dicta diuiti illi epuloni, *fili recordare quia recepisti bona in vita tua* Exponit Cassianus hoc modo, *Fili recordare quia recepisti consolationem in vita tua.* Altera causa inquietudinis in temporali fundata est, quod in Religione, quæ locus, & status humilis

Inquietudo Religiosi ex duobus causis.

Prou. 9.

Religiosi caueant consolationes falsas.

Luc. 16.

humilis est, honores appetãtur, primi accubitus,& præcedentiæ quæstiones habeantur, quod sane maxime Religiosos prætendentes,& non prætendentes indirecte reddit inquietos: quod quã periculosum sit, quantumq; à Religionibus alienum, illisque nociuum: colligi potest ex ijs, quæ scribit Chrysost. hom. 73. in Matth. cõtra Pharisæos amãtes primos accubitus in Synagogis sic dicens: *Hæc enim etsi minima esse videantur, magnorum tamẽ causa sunt malorum, nam & ciuitates,& Ecclesias sæpe numero euerterunt. propterea nec à lachrymis abstinere possum, cum primos istos consessus & salutationes audiam, ac in mentem veniat, quot quantaque hinc mala orta sint. Tu autem considera ibi maxime illos inanis fomenta gloriæ quæsiuisse, vbi iubebantur humiliores esse, in synagogis scilicet. Quo loco ad docendos alios veniebant, ibi de primatu tractabant, &c.* Considera hæc vltima verba præcipue: & Religiosis applica, pro inani gloria inquietis, eo in loco, Religione scilicet, ad quam veniunt vt humilitatem discant,& doceant: vbi rerum temporalium contemptũ, ore, & opere profiteantur, ibi de honoribus altereantur. Quãtam vero perturbationem in communitate causet appetentia honorum, & præcedentiarum, iudico ex eo, quod in Christi collegio, publicante Christo se tradendum ab vno eorum, & fere illum designante, Ioan. 13. non sunt indignati vndecim discipuli adeo clare, sicut indignati sunt Matth. 20. videntes duos ex illis dextram. & sinistrã prætendisse Nam Matth 20 *decem indignati sunt de duobus.* At Ioan. 13. cum dixit illis, *vnus ex vobis tradet me*, non leguntur indignati, sed solum dicitur quod aspiciebant ad inuicem hæsitãtes de quo diceret. Et nihilominus proditio Christi maius peccatũ erat, quã ambitio dextræ & sinistræ. Si velint igitur Religiosi magna ex parte esse quieti his duabus radicibus inquietudinis cõuulsis, in consolationibus, se totos cõmittant superiorum imperio, qui loco Dei positi, ipsorum consolationes curabunt,& iudicabunt si veræ sint, & vere illis necessariæ, in appetentia vero prælaturarum meminerint cum Christo Domino citato cap. 20. Matth. se ad humilitatis locum, Religionẽ scilicet, nõ venisse ministrari, sed ministrare; non regere, sed regi, non alijs imperare, sed Deo, ac prælatis propter Deum obedire.

Ambitio inquietat Religiosos.

Ioan. 13.

Matth. 20

Apostoli plus indignati sunt de ambitione quã de proditione Iudæ.

Et vt honeste ambuletis ad eos qui foris sunt.) Monentur his verbis Religiosi de bono exemplo sæcularibus dando: sicut enim ibi

Religiosi obligãtur ad bonũ exemplũ dandũ sæcularibus.

ibi Diuus Paulus potest intelligi, præcipere illis fidelibus Thessalonicensibus vt honeste viuerent propter infideles qui erant foris, id est extra Ecclesiam; ita nos eadem verba Religiosis applicantes, per eadem intelligimus eos admoneri de bono exẽplo dando sæcularibus, qui extra Religionem & extra conuentus viuunt. Ad hoc video multum iuuare dictum Pauli ad Rom. 2. *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes*: Dixerat enim paulo ante illis Christi fidelibus, quod legem quam prædicabant, & Gentilibus inculcabant, ipsi non obseruabant, in hunc modum. *Qui alium doces, te ipsum non doces, qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mæchandum mœcharis, qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deũ inhonoras*: tunc infert. *Nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes*: blasphemabant inquam Gentiles Deum, vel occasionem blasphemandi habebant, videntes Christianos aliud agere, & aliud facere, & forte credere poterant legem illam non esse bonam, siquidem ab ipsis illam inculcantibus non seruabatur. Eadem fere verba poterunt Religiosis applicari, quando legem Dei, ac regulam quam professi sunt non obseruant: videlicet, o Religiose, alios doces, teipsum non doces: prædicas non furandum, & furaris honores, vel bona Religionis vt sæcularibus & consanguineis tradas: prædicas non mæchandum, & forte mæcharis, vel suspectas, & scandalosas amicitias non dimittis: denique gloriaris in lege Dei quasi tu illam melius obserues, quam sæculares, cum è contra te facere videamus: ergo per te blasphematur nomen Dei: & blasphematur nomen Religiosi, & Religionis tuæ, cum videant sæculares, eius filios, & alumnos adeo male viuere, idque quod in vno vident, de omnibus alijs suspicantur, Genes. 34. quando illi duo filij Iacob Simeon & Leui præ alijs occiderunt Sichimitas, pater Iacob, ad illos hæc verba dixit: *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pheresæis habitatoribus terræ huius*. Eadem verba, dicere iure poterit quicunque Religionum fundator, & patronus in cælo cuiuis Religioso scandalum danti in populo. Turbasti me, quantum enim ex se est, rem facit, quæ turbationem, & inquietudinem patrono dare posset nisi fælicitas patriæ id prohiberet: & præterea, Religiosus scandalizans suo modo facit suum fundatorẽ odiosum populo, quatenus habitum talis ordinis, & Religiosos illius suo scandalo mundo facit odiosos,

Rom. 2.

Gen. 34.

Religiosus dans scandalũ quodam modo turbat, & odiosum facit suum Fundatorem.

ſos, & reddit parum gratos, & acceptos. Videant Religioſi de illis maxime dicta fuiſſe à Paulo
1.Cor.4. verba illa 1 ad Corinth. 4. *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Quibus verbis fortaſſe D. Paulus voluit alludere ad ſpectacula Gentiliũ, quando ſcilicet Romæ. & alibi homines feris obijciebant, vel in ludo digladiatorio homines ad inuicem digladiari, & occidi permittebant: quæ dicebantur ſpectacula, à toto populo circumſpectante. In quibus ſpectaculis diuerſi exſpectantibus diuerſos affectus induebant: alij nempe crudeli paſsione affecti, applaudebant cum videbant hominem iſtum ſuccumbere â fera deuorante, vel gladio alterius, & ſic laudabant feram, vel hominem occidentem: & alij è contra naturali commiſeratione moti, deſiderantes hominem viuum euadere, dolebãt caſum, & mortem illius: & ſic deluctãtibus pari modo dicendum eſt. Hoc ipſum Religioſis accidit: in hoc mundo ſunt tanquam obiecti feris, & tentationibus diaboli pluſquã ſæculares: illi enim ob perfectionem vitæ, pluresq; obligationes magis pugnant in ſtadio, cum mundo, carne, ac diabolo: ſunt ergo Religioſi ſpectaculum obiectiue, ſeu poſiti in ſpectaculo, coram tribus perſonarum generibus vt ita dicam, mundo ſcilicet, Angelis & hominibus: mundum hic intelligamus homines malos, iuxta illud Auguſt. tract. ſuper Pſal. 54 *Mũdi dixit amatorum mundi, mundi dixit impiorum, & iniquorum &c.* Per Angelos vero intelligamus bonos Angelos & cuſtodes noſtros maxime: per homines denique accipiamus iuſtos, & timoratos in mundo adhuc degentes. Hæc ergo omnia ſpectantium genera Religioſum intuentur tanquam poſitum, & pugnantem in ſpectaculo, diuerſis tamen affectibus, & intentionibus illum intuentur: nam mũdani, & impij ſpectant caſum Religioſi, vt gaudeant de conſorte malorum, vt accuſent, & vt ſe excuſent: imo vt irrideant, & cadentem, & omnes alios Religioſos. E contra Angeli boni etiam ſpectant luctantem Religioſum, eius victoriã deſiderantes, & adiuuantes: ac de illorum caſu modo noſtro contriſtantes. Denique homines iuſti in hac vita eundem Religioſum continuo reſpiciunt, vt ab illo virtutem, & ſanctitatem diſcant: illũ luctantẽ imitentur, cadenti vero condoleant. Ecce quot oculis Religioſus patet: & quam circunſpectus eſſe ſemper debeat, ne diabolo, & mũdanis hominibus ſuo caſu, & ſcandalo gaudij occaſio-

Religioſi ſunt ſpectaculum mundi, & quomodo.

Impij & mali ſæculares, expectant caſum Religioſi, vt gaudeant.

occasionem præbeat, Angelis vero, & Sanctis hominibus, quantū in se est, tristitiæ causa existat. Memorentur item illorum verborum, quæ Christus Dominus dixit Matth 5. *Videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est* Videant sæculares sancta opera in Religioso, vt glorificent, & Deum patrem omnipotentem in seruis suis: & pariter etiam glorificent patrem fundatorem seu Religionis patronum qui in cælis est.

Matth. 5.

Vltimum denique quod nobis faciendum proponit D. Paulus citatis verbis Thematis, est vt non desideremus aliquid alienum; quod clarius est dicere carnis desideria mundanosq; affectus continuo resecemus, tanquā in quo, & Religiosi quies, & perfectio consistat. Hoc imprimis claris verbis Religiosos docuit Abbas ille Abrahā apud Cassianum collat. 24 cap. 2. sic loquens. *Parum est enim renunciasse Monachum semel, id est in primordio conuersionis suæ contempsisse præsentia, nisi eis quotidie renunciare perstiterit.* Sic ibi. Docuit idem eleganter D. Ieron. tom. 3. in explicatione Mansionis. 13. ad Fabiolam: quæ dicit Castrametatos filios Israel in sepulchris concupiscentiæ: cuius verba vt intelligas vtile fuerit prius ad illa intelligenda, & ad nostrum hic intentum illustrandū recolere quod Numer. 11. cum iam populus ille Iudaicus à Deo cælestem cibum Manna reciperet, sufficientissime; ille pertæsus cibum cælestē, & ollas carnis Ægyptias recordans, petijt à Deo sibi dari carnes ad māducandum in illo deserto: Deus autem, qui aliquādo concedit iratus, quod negaret placatus, coturnices innumeras populo pluit vsq; ad nauseam. Adhuc tamen carnes erant in dentibus, cum Dominus eidem populo plagam nimis magnam inflixit, multos ex ijs occidendo: & inde vocatus est locus ille, sepulchra concupiscentiæ & causam appellationis exprimēs textus, ait: *Ibi enim sepelierunt populum qui desiderauerat.* Et hoc nomen, sepulchri concupiscentiæ, retinuit locus ille deinceps Num. 33. Et quidem satis dignas pænas dederūt homines, quos eductos ab AEgypto tam abundanter, ac suauiter Deus pascebat Manna in deserto; quo non obstante carnes viles appetebant. Accedentes ergo ad verba D. Ieronimi explicantis. 13. Mansionem, de sepulchro concupiscentiæ, eaq; applicantis Religiosis: sic ille citato loco scriptum reliquit. *Ex quibus omnibus nos omnes docemur qui sapientiam dimisimus sæcularem, & AEgyptias ollas contempsimus, nō debere murmurare contra cælestem scriptu-*

Religiosus carnis desideria perimat.

ſcripturarum panem, nec hic virulentias Ægyptiorum, quæ ſunt poetarum carmina, ſed ſimplicem Manna cibũ quærere; alioqui ſi rurſus eas voluerimus appetere, vorabimus vſque ad Nauſeam & ſtatim Domini igne torquebimur, deſideriumque noſtrum vertetur in tumulos, vt ſimus ſepulchra de albata, & cæt. Quid enim prodeſt ſæculo corpore renunciaſſe, ſi animi affectibus illud iterum concupiſcimus? Si quum profecto ardentis febris, vel latentis morbi eſt ſitis: dum ergo in Religioſo ſitis terrenorũ perdurauerit, intelligat ſe febricitare, vel aliquo occulto ſæculi morbo lãguere.

Religio quomodo ſit ſepulchrũ concupiſcentiæ.

Hic Ieron. Ego vero in alio ſancto, & licito ſenſu prædicta verba applicans, dico, & moneo Religioſos, Religionem eſſe ſepulchra cõcupiſcentiæ, locũ ſcilicet in quo ſepeliri debent, occidi & finiri concupiſcentiæ, ita vt in actũ non exeant, neque Religioſum inquietent. Nam ſi Religioſus mortuus mundo eſt: quid mirum ſi in eo paſsiones moriãtur, & cũ ipſo in Religione ſepeliantur? vt ergo huic morbo ſucurratur, & poſsit Religioſus mala deſideria, paſsionesque reprimere ne ſuboriantur, duo proferam remedia. Primũ inculcat Caſsianus collat. 12. cap. 5. ſic ſcribens. *Non poterunt deſideria præſentium rerum vel reprimi, vel auelli, niſi pro iſtis affectibus noxijs, quos cupimus amputari ſalutares fuerint intromiſſi. Nullatenus enim valet viuacitas mentis, abſque alicuius deſiderij vel timoris gaudij vel mæroris affectione ſubſiſtere, niſi hæc eadem in bonam partem fuerint immutata. Et idcirco ſi carnales concupiſcentias de cordibus noſtris deſideramus extrudere ſpiritales in earum locis plantemus protinus voluntates, vt his animus noſter ſemper innexus & habeat quibus iugiter immoretur, & illeſcebras præſentium ac temporalium reſpuat gaudiorum.*

Religioſus ſanctas cogitationes trahere procuret.


Hæc ibi: vis ergo huius remedij in eo conſiſtit, quod cum intellectus noſter, & voluntas debeant ſemper aliqua affectione eſſe intenti, & occupati, neque vacuũ in hoc etiam dari valeat. Extruſis ab eo malis affectibus, illi intromittamus ſanctas cogitationes, ſanctaque deſideria, acquiſita ſcilicet ex ſanctis exercitijs lectione, meditatione, ac ſimilibus, quæ mala deſideria non ſolũ pellant, ſed etiã ne naſcantur impediant. Secundum ego remedium in eo pono vt Religioſus vitet, quantũ poſſit, egreſſus ex conuentu, & conuerſationes cum ſæcularibus, hinc enim clare hauriuntur vaga, impura, ac nociua deſideria, Religioſi pacem, ac quietẽ perturbantia. Id ego Philoſophice ſic deduco. Appetitus noſter, ſiue ſenſitiuus ſiue intellectiuus nihil poteſt appetere, niſi ſenſus externi viſus præcipue, & audi-

Religioſus è conuẽtu raro exeat.

R tus

tus appetitui prius renuncient: oportet ergo hæc duo ostia claudere abstinendo à visu, & auditu sæcularium, ne per illos nobis sæcularia desideria ingerãtur. Huius rei primã probationẽ affero in comparatione Falconum, & accipitrum volucrũ: Hænamq; volucres cũ sint natura sua auidissimæ, & voracissimæ, quando domi aluntur à venatoribus capite cooperiuntur, caparão; ne si forte solutos habeant oculos, ac liberos, viso quocunque pullo gallinæ, passerculo volante, vel vmbra illius, illæ inquietentur, & vincula absumpere conentur: & hac de causa, ne appetant, illis oculi velantur; visus enim causat appetitum, & appetitus non impletus causat inquietudinẽ. Talis debet esse Religiosus: si vult non inquietari, non appetat: si vult male non appetere, non videat, non, audiat res sæculares. Si vult nõ audire, nec videre cõuentum non exeat, neque intra illũ sæculares loquentes audiat. Nam si secus faciat: hac alia comparatione illius statũ intelliges. Cum bos natura sua sit animal quietissimum, si tamen illum in æstate videas huc illucque currentem discurrere, & mugitus edere, neque lupum, aut hominẽ agitantem videas: colligis illum ab aliqua infixa Musca feriri: solent enim tali tempore tales Muscæ grandes illis infigi, & illos infixo acuto aculeo adeo pungere, vt eos præter suum statum currere, ac discurrere; ac mugire faciant. Eodem modo cum videris Religiosum plus solito in plateis, & locis sæcularibus ordinario huc, illuc discurrere præter suum quietum statũ: inferre secure poteris illũ à terrenorum desideriorũ muscis, & aculeis agitari. Consonat cum his dictis & consilio 2. dato, quæ optima scripta reliquit D. Bern. in tract. de gradibus humilitatis, in hunc modum, Euam reprehendens eo quod pomum vetitum fuit intuita. *Quid tuam mortem tam intente intueris? quid illò tam crebro vagantia lumina iacis! Quid spectare libet, quod manducare non licet? oculos, in quis, tendo non manum: non est interdictum ne videam, sed ne comedam; An non licet oculos quoquo volo leuare quos Deus in mea posuit potestate? Si culpa non est, culpæ tamen indicium est. Nisi enim mens minus se curiose seruaret tua curiositas tempus vacuum non haberet. Etsi culpa non est, culpæ tamen occasio est, & indicium comissæ, & causa comittendæ.* Euæ curiosus aspectus illi nocuit. Hæc ibi & alia eleganter Bern. quæ facile ad intentum secundi nostri remedij poterunt applicari.

EX:



EXHORTATIO XX.

PRO EODEM INTENTO, VT SVIS OBLIGATIONIBVS MONASTICIS ſatisfaciant.

Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. 1. Cor. 9.

1. Ad Corinth. 9.

HOc loco per agonem, intelligunt Doctores certamen publicum, quale fieri ſolebat apud Gentiles, & hodie in ludis, vel ſpectaculis ſæcularibus propoſito præmio luctatoribus, ver. grat. curſoribus, torneamentis & ſimilibus. Hortatur ergo propoſitis verbis Apoſtolus omnes Chriſtianos, vt maxima qua poterunt cura cælo acquirendo intendant, propoſita ſimilitudine eorum qui in prædictis certaminibus tanta faciunt, & patiuntur, vt paruam, & corruptibilem coronam, mercedemue recipiant. Hæc verba applico Religioſis maiori iure, cum enim illorum vita in maiori agone poſita ſit, & maius illis præmium ſit promiſſum: magis hæc verba ante oculos mentis debent proponere, quo pòſsint vitæ ſuæ difficultates melius ſuperare, eiſdemque ſuauius ſatisfacere.

Vita Christiana agoni similis & militiæ

Quod igitur vita Christiana agoni ab Apostolo comparetur, nihil mirum, cum Iob cap. 7. illam vocet militiam: de quo ibi multa Doctores, & concionatores sæpissime, & ipsa experiētia sufficiat vnico tantum exemplo rem ostendo Agon proprie de quo hic loquitur Apostolus est certamen, & contentio duorū: nempe duorum cursorū, duorū luctatorum, & similiū, quorū alter alterū nititur vincere & deijcere, ac supplantare. Vita cuiusque Christiani præcipue est pugna duorū, corporis scilicet, & animæ: hæc ambo, cum tam intime vnita sint adeo tamen certāt, ac pugnant vt toto vitæ discursu alter alterū supplantare nitatur: alter alteri noceat quātū potest, suo modo. Nā corpus, appetitusue sensitiuus appetendo terrena & illicita, nocet animæ, & quantū in se est deijcit, ac supplātat. E cōtra vero anima diuinæ legi rationique se cōformans, eiusdem corporis pasiones reprimēs illi cibū, potū, cæteraque cōcupita subtrahēs illi etiā nocet corporaliter, illudque nititur deijcere ac debilitare, ac proinde viuit homo fidelis in perpetuo agone, cōtinuoq; certamine. Cū autē Religiosus magis inuigilet corporeis pasionibus reprimēdis, quia præter legē Dei cōmunem, & cōsilijs etiam Euāgelicis quibus se spōte addixit, maioribus obligationibus ligatur, ac plura corpori denegare cogitur quā sæculares, sequitur quod in maiori agone certet & pugnet, ac proinde magis necessariū illi sit præsens Pauli consilium, vt ab omnibus abstineat, quo posit promissam sibi coronam compararε.

Et primo quidē notatu dignū est quod Paulus nō declarauit, nec limitauit ea, à quibus debeamus abstinere: sed in cōmuni & generaliter dixit, abstinēdū esse ab omnibus, quæ scilicet fælicem ac securum cursum possent retardare. Nos vero hoc loco aliqua perstringemus impedimenta à quibus necessariū credimus abstinere, præter illa quæ iam in præcedentibus exhortationibus specialiter cauenda esse docuimus. Antequā vero illa attingamus, verbū generale, abstinendi ab omnibus, nobis cōcedit aduertere, quod Religiosus etiā à multis rebus licitis debet abstinere, quæ sibi non solū vt Christiano, sed etiā vt Monacho licita sunt, id est non prohibita. Sic nempe fecisse legimus Religiosos qui in vita Monastica excelluerūt, ij nāq; in libertatibus etiā sanctis & licitis in Religione cōcesis & consuetis, parciores & auariores fuerunt; ac tandem à multis abstinuerunt quæ possēt facere sine peccato, idque eo fine,

Abstinere debet Religiosus à multis licitis.

eo fine, vt securius ac celerius certarét, & in agone Monastico perdurantes æterna gloria potientur. Hoc nempe etiam est quod Paulus docuit 1 ad Corinth. 10. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Video multas expositiones hæc verba pati sed pro intento modo dicto etiam applicari possunt: vt scilicet â rebus licitis etiam abstinendũ doceat: maxime si illæ aliqualem indecentiã respectu alicuius importent Fecerũt & hoc etiã ethnici Gentiles, referente Orosco emblemate 31. de Thelemaco, qui cum videret quosdã musicis instrumẽtis, & cantibus intentos; pertransiens, non vituperãs, sed declinans, dixit: *Alijs hæ curæ sint*, quasi diceret, non est malum hoc exercitium: mihi tamen non conuenit, nec meam personam decet, & ad præsens intentum applicat citatum emblema cum his verbis Pauli: *Omnia mihi licent sed non omnia expediunt.* Rationem huius rei ego hanc assigno, quia scilicet, ille qui paratus est omnia facere quæ sibi licent absque peccato, aliquando valde propinquus erit, vt etiam faciat, quæ non licent: & proinde sanum consilium est, ac securum multa omittere quæ licent. Huius ego doctrinæ elegans deduco exemplum ex illo quod Iudæi facere consueuerunt, iuxta præscriptum Deuteronomij cap. 25. videlicet, quod quando aliquem reum flagellandum esse iudex decerneret, quadraginta tantum plagas illi possent infligere: ita, vt si prædictum numerum in vna tantum excederent, & piaculum committerent, & iniuriam magnam verberato facerent. Hac de causa illi suarum traditionum, ac legis obseruantissimi, quando aliquem flagellabant, illum feriebant triginta nouem tantum ictibus, non accedentes ad quadraginta. Quam consuetudinẽ discimus ex eo quod refert de se Paulus 2 ad Corinth. 11. *dicens se fuisse quinquies flagellatum, & in singulis flagellationibus triginta nouem plagas recepisse*: id enim significant ibi verba illa. *A Iudæis quinquies, quadragenas vna minus accepi.* Ecce Iudæis licitum erat quadraginta plagas infligere, eum tamen numerum nunquam attingebant ne forte ad illum licitum pertingentes, furore moti. & iracundia durante, vnam amplius infligerent, & sic contra legem facerent, ac reum turpem, & infamem redderent. Ad hunc etiã finem vt nuper dicebamus exhortationẽ præcedente aliud agentes Diuus Bernard. tract. de humilitatis gradibus citauit hunc locum Pauli, omnia mihi licent

Margin notes: 1. Cor. 10. — Iudæi cur in flagellando solum triginta nouem plagas inficerent. — 2. Cor. 11.

licent,&c. contra Euam,sibi forte dicentem in intuitu solũ pomi vetiti, non peccasse: quia Deus non prohibuerat videre, sed comedere,ac proinde sibi licitum fuisse videre. Contra quã Bernardus replicat dicens: *Omnia mihi licent,sed non omnia expediunt.* Nam inquit. *Si culpa non est,culpæ tamen occasio est.* Idque tũ maxime locum habere docet Chrysost.hom 7.in Genes. quãdo opus licitum in se, potest dare scandalum pusillis,tunc enim omnino dimittendum esse docet,citans hunc locum Pauli: & reprehendens illos qui ad spectandos ludos equestres se contulerant. Quod ibi, inquit, potuissent scandalizare Gentiles eodem concurrentes. & videntes fideles facere quæ illi faciebant. Claudat hanc materiam elegãs dictum Gregorij hom.35. super Euang.sic scribentis: *Cogitandũ summopere est vt qui se illicita meminit commisisse à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita sibimet ipse abscindere debet concessa: & reprehendat in minimis quem meminit in maximis deliquisse.* Sic ille.

Descendendo autem ad particulares luctatorum, & cursorũ abstinentias, imprimis certum est illos abstinere à nimio cibo. & potu: aliàs si potus,ac cibi nimietate & crapula fuerint grauati, inertes omnino ac onere præpediti,facili negotio vel deijcientur,vel superabuntur. Eodẽ modo Religiosus qui ad continuam pugnam tentationum, & orationis exercitium paratus, & armatus esse debet, & ad cætera monastica exercitia paratissimus: omnino ventris ingluuiẽ, ac satietatem vitare debet Hinc videas mire commendatam abstinentiam Religiosis maxime à Patribus Ieronymo, Bernardo, Cassiano, & alijs, quos longum esset citare in suis tractatibus,& epistolis,maximeque id faciunt asserentes luxuriæ tentationes vix ab homine saturato posse vitari,aut superari. Multa hac de re Bernardus tum alibi, tum vel maxime ad sororem multis sermonibus,tum vel maxime toto serm. 24.de abstinentia. Et prætere a serm 23 super Cantica,vbi in particulari tangit impedimentum quod saturitas affert ad orandum, & ad carnis tentationes vincendas sub his verbis. *Abstineo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem simul & carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum mẽsura studeo sumere ne onerato ventre ad orationem stare tædeat & ne improperet etiam mihi Propheta, quia panem meum comederim in saturitate. Sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distentio*

Religiosus à cibo & potu abstinent.

Oratio impeditur per Saturitatem.

distentio sane ventris vsque ad titillationem pertingat libidinis Sic ille. Idem fere obseruatum videmus in Seraphico P. N. Francisco forma pœnitentiarum, de quo D. Bonauentura, in illius vita refert in hunc modum. *Cibaria sanitatis tempore vix admittebat & raro, admissa vero aut comistione cineris interdum faciebat amara, aut aquei superinfusione liquoris vt plurimum reddebat insipida Quam vero districtam in potu parcitatem seruauerit carnem suam à vino abstrahens vt transferret animam ad sapientiæ lucem, hinc liquide valemus aduertere quod & de aqua frigida cum sitis æstuabat ardore vix audebat ad sufficientiam bibere.* Sic ille. In vitis Patrum parte 2. §. 3. narratur de Abbate piore, quod nũquam sedens, sed deambulans manducabat, dicens *edendi occupationem non serio, neque ex animo, sed ex pura necessitate suscipiendã.* Narrat Laert. lib. in vita Diogen. Cynici, hunc Philosophũ cuidã adolescenti eunti ad conuiuiũ, sic dixisse. *Abi, deterior remeabis.* Refert Suetonius in vita Auli Vitelij, quo dum hic copiosum duceret exercitum ad Romanos debellandos, essetque aliàs vir, gulæ deditus: commoto, ac trepidante Senatu de fine belli; dixit Galba ad Senatum, nihil illis esse timendum de Vitelio duce guloso, Gula enim, ait, homines timidos facit, & imbecilos. Eodem modo accidit in pugna spirituali Non timet Diabolus, imo irridet orationes, & vigilias Religiosi dediti ventri Docuit hoc inter alios Ioannes Climacus gradu 14. sic scribens: *Neque illud te lateat, quod plerũque Dæmon stomacho insidet nostro, facitque vt homo nunquam satietur, etiam si vniuersam comederit Aegyptum, totumque Nilum biberit: post cibum. gulæ iniquus spiritus abscedit, fornicationisque nobis spiritũ immittit illique quid fecerit nuncians Apprehende, inquit, istum, occupa, atque perturba nam ventre distento non multum in deijciendo laborabis: qui cum venerit continuo subridet, somnoque de vinctis nostris manibus, ac pedibus omnia quæcunque voluerit facit atque animam nostram, corpusque contaminat phantasijs, inquinationibus obcænique liquoris egesstionibus.* Sic ille. In cuius verbis primo considera eum supponere, alium Dæmonem tentare de gula, alium de fornicatione. Secũdo nota, ex illius mente aliquãdo famem causari à Diabolo: & ementitas esse nostras stomachi infirmitates ac debilitates, re enim vera tales non sunt; sed à Diabolo insidente, vel persuadente vt tales concipiuntur. Tertio denique cõsidera finem, pro quo illius verba citauimus, quomodo scilicet diabolus irrideat

Abstinentia à cibo Patris Fr. Francisci.

Diabolus non timet gulosos sed irridet

Fames aliquando non à necessitate sed à diabolo causatur.

saturatum hominem, & quam illum vincat & supplantet, inhonestis saltem phantasijs, & turpibus cogitationibus, vt videas etiam sanctum Loth, vino repletum a filiarum incestu non abhorruisse, vt habetur Gen. 19.

Gen 19.

Vnum porro aduertendum duxi, non in sola delicatorum, & suauium ciborum copia gulam consistere. sed etiam in solius panis, aquæ, leguminumue excessu posse gulá reperiri. In hoc enim natura nostra similis est naturæ ferinæ, & irrationali quæ solum curat repleri, siue hoc siue illo. Considerauit hoc Monachorum regulator Ieronymus epist. ad furiam sic illā instruēs. *Nonnulli vitam pudicam appetentes in medio itinere corruerunt dum solam abstinentiam carnium putant, & leguminibus onerant stomachum, quæ moderate parceque innoxia sūt. Et, vt quod sentio loquar, nihil sic inflammat corpora, & titillat, sicut indigestus cibus victusque conuulsus.* Sic ille. D. Bernard. his consonās serm illo 24. ad sororem ait: *Non est reputata abstinentia vbi fueris ventris satietas subsecuta.* Non distinxit vero de hac vel de illa satietate. Elegantius vero, & ad rem monasticam satis proprie idem Bernardus, eandem materiam prosequitur, apologia ad Guillelmum Abbatem, vbi alio modo gulam in leguminibus positam ostendit, non solum scilicet in excessu, sed etiam in modo & curiositate parandi. Verba illius audiamus *Tanta quippe, ait, accuratione, & arte coquorum cuncta apparantur quatenus quatuor aut quinque ferculis deuoratis prima non impediant nouissima: nec satietas minuat appetitum. Palatum quippe dum nouellis seducitur condimentis paulatim dissuescere cognita, & ad suos extraneos veluti adhuc ieiunum auide renouatur in desideria. Venter quidem dum nescit, oneratur, sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras, vt eas natura creauit, epulas fastidimus dum alia alijs multifarie permiscentur, & spretis naturalibus quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula prouocatur saporibus, transitur nimirū meta necessitatis sed necdum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit, quot modis, (vt cætera taceam) sola oua versantur, & vexantur, quāto studio euertuntur, subuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidem frixa, nunc assa, nūc farsa nunc mistim, nunc singillatim apponuntur? Ad quid hæc omnia, nisi vt solo fastidio consulatur?* Sic ille ibi: Ex quibus apparet etiā gulā in leguminum excessu. & modo curiositatis posse consistere. A quibus omnibus Religiosus perfectus tantorum Patrum verus imitator in agone Monastico debet abstinere.

Gula etiā est in cibis vilibus.

Gula. & in excessu, & in modo ciborum esse potest.

Secundo

Secundo loco considero illũ qui in agone contendit luctatorio seu cursorio, omnino abstinere à salutationibus parentum, amicorum, & cæterorum, & ab omni ibi contractu ac negotio humano Si enim hominem actu luctantem, seu in agone currentem. Amicus, vel consanguineus salutẽt, id non aduertit, vel non curat, nec resalutat: si item eidẽ ibi tunc aliquis contractus humanus, negotiumue offeratur, nonne dissimulat, nonne renuntiat, totus intentus agoni ne perdat victoriam? Eodẽ modo Religiosus in agone monastico luctans & currens parentum, sæcularium, amicorumue salutationes, resalutationes, negotia, comercia, contractusue omnino vitare tenetur si vult coronam promissam obtinere, neque eius assecutionem periclitari. Hoc primum docuit D Paulus 2. ad Timoth. dicens: *Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus.* Quasi dicat is qui diuino obsequio se mancipauit si prudens, ac sobrius est non implicat se curis, ac negotijs sæcularibus: præterquam quod enim negotium perdit. Iniuriam etiam facit Deo cuius seruitio se dedicauit. Præuidit hoc etiã D Ieron. in epist. ad Marcellam sic scribens de vrbe Roma *Est quidem ibi sancta Ecclesia, sunt trophæa Apostolorum, & Martyrum: est Christi vera confessio, est ab Apostolo prædicata fides, & gentilitate calcata in sublime se quotidie erigens vocabulum Christianum Sed ipsa ambitio potentia, magnitudo vrbis, videre & videri, salutari & salutare laudare & detrahere, vel audire vel proloqui, & tantam frequentiam hominum vel audire inuitum, à proposito Monachorum, & quiete aliena sunt Aut enim videmus venientes ad nos, & silentium perdimus: aut non videmus & superbiæ arguimur: interdumque, vt visitantibus reddamus vicem, ad superbas fores pergimus, & inter linguas rodentium ministrorum postes ingredimur auratos.* Sic ille. Augustinus in epist. 80. explicans moraliter illa verba Matth. 24. *Et qui in tecto est non descendat tollere aliquid de domo sua*, quæ Christus Dominus dixit de tempore pressuræ Antichristi: sic scribit citata epist. 80. *Qui in talis vita sublimitate est velut in tecto, ne descendat ad carnalem vitam.* Sic ille Illa vero alia verba ibidem. *Et qui in agro est nõ reuertatur tollere tunicam suam*, sic exponit: *Qui profecerat in anteriora se extendens ne deficiendo in posteriora respiciat.* Sic ibi. Ex quibus colligitur Monachum qui ad tectum altũ Religionis, eiusque agrum seu desertum confugit: non reuersurum esse ad tunicam colligendam, nec negotium aliquod sæculare tractandum,

Religiosus abstineat à salutationibus & negotijs sæcularibus.

2. Tim 2.

dum. Ille vero Monachus proprie dicetur ex agro, & eremo Religionis reuerti ad tunicam relictam iterum induendam, qui priſtinos mores ſæculares, ac cõſuetudines quas exuerat, iterum reuocat, & ſuperinduit. Idẽ D. Auguſtinus lib. de contemptu ſæculi carpens Sacerdotes qui terrenas poſſeſsiones procurabant, vel non relinquebant. Sic inquit: *Cur ſaltem clericatus ſui ſigna, quibus à laicis diſcernuntur nõ perpendunt? Non enim ſine cauſa capita eorum raduntur, & tondentur, ſed perſpicaſiſsima, & euidentiſsima ratione. Nam his quis ſecernitur à laicorum conuerſatione. Cerebrum radimus per hoc ſignificantes malam terrenarum rerum ſolicitudinem noſtræ mentis oculos ad Deum contemplandum non impedire vnde Apoſtolus ait: nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus. Caput igitur radere ſignificat cogitationes terrenas, & ſuperfluas à mente reſecare.* Hæc ille, vbi ex ratione ſtatus clericorum in Domini ſortem vocatorum, & modo tonſuræ illos obligare vult, ad non recuperanda terrena, neque illorum curas: quod maiori iure Monachi facere tenentur. Pulchre etiam Caſsianus lib. 6. inſtit c. 7. hæc eadem verba noſtri thematis exponens, & Religioſis applicans, ſic ſcribit: *Et ita omni ſolicitudine, ac triſtitia, negotijſque ſæcularibus affectu etiam, & opere coniugali efficiuntur alieni, vt præter exercitium diſciplinæ, nihil aliud nouerint, nec vlli mundiali curæ penitus implicentur: ab eo tantum qui certamini præſidet ſperantes quotidiani victus ſubſtantiam, & coronæ gloriam, condignaque præmia victoriæ laude conquirere.* Sic ille. Denique D. Bernardus ſerm. illo de obedientia, patientia, & ſapientia hac alloquutione Religioſos ſuos monet huius obligationis, ac finis vitæ Monaſticæ, quã ſunt aggreſsi, ſic dicens: *Studioſe ſuſcipite datam vobis opportunitatẽ operandæ ſalutis. Obſecro per miſericordiam, pro quo tam miſerabiles vos facere voluiſtis, facite ad quod veniſtis, ad quod aſcendiſtis de fluminibus Babylonis.* Sic ille. Cum ergo Religioſi de mundo, ſeu Babylone ad Religionem venerint, non ad negotiandum ſæcularia negotia, non ad res humanas, amicorum conſanguineorũ & cæterorum agendas, ſed ad ſolã animæ ſalutem operandam, & in Chriſti Domini agone laborandum, reliquum eſt, vt iuxta Bernar. relinquant illa ſæcularia ad quæ non venerunt, ab illiſque abſtineant, & operentur illa ad quæ venerunt. patientiã ſcilicet humilitatem, paupertatem, & cætera quæ agoni Monaſtico ſunt adiuncta.

Clericorũ raſura capitis quid ſignificet.

Tertio tandem loco video illum

lum qui in agone contendit maxime abstinere à curiositatibus si enim illi vestis curiosa, quæstiones curiosæ seu verba curiosa offerantur, respuit omnino tanquam inutilia; solaque vtilia ac necessaria curat, curiosa contemnit. Hoc multum Religiosis video esse necessarium, vt scilicet curiositatis vitium deuitēt. Quod vt melius faciant aduerto D Thom. 2. 2. q 35. art. 4. ad 3. docere ex Isidoro curiositatē esse vitium quod nascitur ex accidia, & eadem 2 2. q. 167. art. 1. & 2. docet curiositatem opponi virtuti studiositatis, per quam discimus necessaria, cui studiositati opponitur curiositas per excessum, & nos inclinat ad discendum inutilia & impertinentia, seu nociua. Et hæc versatur etiam non solum circa cognitionem inutilium, sed etiam circa inspectionem ludorum, spectaculorum, vestitum & similia. Est ergo vitium hoc commune multis Religiosis, cum enim vt iam supra vidimus multi accidiam tristitiamue spiritualem incurrant, & curiositas filia sit accidiæ iuxta D. Thomam, vt pote inuenta ad leuandam accidiam, solent Religiosi ad leuandam accidiam in multis curiose occupari; primum in pertinētibus ad cognitionem, legendo, scilicet historias prophanas, & aliquando parum honestas; legendo & componendo carmina, ac metros vtraque lingua cōpositos ad solam vanitatem inseruientes. In vestitu præterea, & aliquibus alijs ad cellæ ornatum pertinentibus, occupantur adeo curiose, vt respectiue multos sæculares excedant. Hoc vitium in communi passim Doctores taxant, tanquam fontem multorū malorum, & occasionem illorū. Sufficiat illa elegans Bernardi redargutio qua Dinam filiam Iacob reprehendit, eo quod ducta curiositate videndi mulieres alienigenas, & ornatum earum, inde sibi ac suis, ac Sichimitis tot mala euenerunt, vt illa virginitatem Sichimitæ vitam amiserint pater vero, & fratres vitæ periculum, & magnam perturbationem incurrerent Verba ergo Bernardi sunt hæc. *O Dina, quid necesse est vt videas mulieres alienigenas? qua necessitate? qua vtilitate? an sola curiositate? & si tu otiose vides, sed non otiose videris. Tu curiose spectas sed non otiose spectaris. Quis crederet illam tuam curiosam otiositatem, vel otiosam curiositatem fore post non sic otiosam, sed tibi, tuis, hostibusq; tam perniciosam?* Sic ibi ecce vna tantum curiositas quantorum malorum causa extitit? Sic forte videas in Religioso aliquando, curiositatem sibi causam esse transgressionis voti

Curiositas vitium vitandū à Religiosis.

Curiositas quid? opponitur virtuti studiositatis,

Diuam Iacob filiam curiositas perdidit.

voti paupertatis emendo scilicet non necessaria contra votum paupertatis: esse item causam scandali, temporis perditi & similium. De curiositate autem primaria iuxta D. Thom. in addiscendis rebus impertinētibus legant D Ieron.epist. ad Damasum de filio prodigo quantum redarguat Sacerdotes qui dimissis Prophetis,& Euangelijs legūt comedias,& amatorum bucolicorum versuum verba cantant. Legant D Ieronymum in epist. ad Eustoch de custodia virginit. Narrantem illam visionem qua in spiritu ante tribunal Dei fuit præsentatus,& rigida examinatione, ac comminatione probatus,eo solum quod libros Ciceronis legeret. Ac tandem fuit dimissus cū protestatione quod codices sæculares nec haberet, nec legeret, quinimo scapulas flagellis notatas & exaratas se fatetur post visionem sensisse. Si autem talis sanctus talia passus est ob lectionem Ciceronis, cuius libri amatorij non sunt, nec vani poetici, nec fabulis inhonestis pleni. Quot possent hodie ad idem tribunal stare rigidius examinandi, quod libros fabulosos, vanos, amatorios, ac similes legant,& reuoluant: gloriantes, nihil in illis esse quod non legerint; & fortasse vt D. Ioannes Chrysost. queritur, nō

Religiosi poeticos & fabulosos libros deuitent.

solum Pauli epistolas non legunt,sed nec quot sint numero sciunt. Hi nimirum sunt,de quibus idem Paulus queritur 2. ad Timothæos 4. *quod sanam doctrinam non sustinent*, id est, lectionem sanctarum Scripturarū, ac Patrum Ecclesiæ tædio habēt: ad fabulas autem conuertuntur, illis student, in illarum lectione proficiunt,& delectantur. 2.Tim. 4.

Restat videamus præmium nobis reddendum pro eo quod his prædictis & alijs abstineamus in agone monastico Hoc exprimens Paulus de vniuersis Christianis, ait: & illi quidem (id est in agone publico certantes) tot ac tanta sufferunt ac patiuntur libenter, vt corruptibilem,vilem ac paruam coronam in ludo propositam accipiant: nos vero Christiani, iubemur agonem tolerare propter coronam gloriæ incorruptæ, impretiabilis, & æternæ. Si autē vniuersis Christianis talis corona à Paulo proposita esse dicitur: Religiosis pro agone Monastico, quanto maius præmium,& maior gloria promissa est? Habemus clarum hac de re testimonium non qualecunque, sed ipsius Christi Domini Matth. 19. qui D Petro cæterisque Apostolis ob terrenorum dimissionem, promisit præmium centuplum dicens: *Vos qui reliquistis omnia, &c.* Matth. 19

Corona magna Religioso promittitur.

centuplum

centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis. Cum ergo Religiosi in hoc Apostolos imitētur, illisque in Religioso tantum statu succedāt, quid nouū, si dicamus eisdem etiam promissam esse coronam incorruptam non qualēcunque, sed in centupla retributione. Sæcularibus enim imperfectioribus vt coniugatis corona trigesima: cōtinentibus vero sexagesima: Religiosis autem centupla repromissa est, tum citato Matth. loco, tum etiā Luc. 8. in parabola agricolæ seminātis. Quis ergo pro tanto præmio, ac corona recuset ad horam agonem tolerare Monasticum, cum tāta aliàs homines pro inani gloria, rebusque terrenis patiātur alacriter? Mire inter alios D. August. loquutus est epist. 45 sic scribens: *Quantis laboribus agitur, vt lōgiore tēpore laboretur! ergo si labores, & pericula, & exitia huius vitæ, pro eadē vita quandoque finiēda subeuntur: quanto magis pro æterna subeunda sunt vbi mortem nec natura solicite cauet nec ignauia turpiter timet, nec sapientia fortiter sustinet?* Sic ille. Vide quam pulchre dictum, laborare homines in hac vita vt magis laborent. Quæ enim & quanta faciunt, & patiuntur homines pro sanitate & vita acquirenda? xirupos, potiones, sanguinis effusiones per venæ incisiones, & multa alia à Medicis imposita per cibi subtractionem, patiuntur vt vitam conseruent, in qua tamen vita non est nisi labor, & dolor, imo est ipsa militia & tentatio, Iob cap 7. mire ergo laborant vt magis postea laborēt durantes in vita laboriosa. Præterea qui opes conquirunt maria tranando, milleque alias difficultates tolerando, quid in hoc faciunt, nisi laborare, vt postea plus laborent, diuitias conseruando, & mille angustias pro illis patiēdo; sic de honores venātibus & similibus. Si ergo, ait August. tot patimur pro vita statim peritura, quid nō patiamur aliquid pro vita nunquam desitura? Sufficiat nobis exemplum Iacob Gen 31. narrantis quanta passus sit in domo Laban per ānos viginti, quatuordecim pro filiabus in matrimoniū recipiēdis, & sex pro gregibus illius, vbi de se ipso ad Labā sic loquitur: *Die noctuque æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis,* vltra alia quæ prædicto loco cōmemorat quod tamē ille in figura & sācte faciebat Tales sumus in hac vita pro Laban, seu mūdo pessimo, & filiabus suis, amicis malis, & pro gregib' illius, rebus scilicet illius temporalibus, mira patimur non dico per viginti annos, sed per totam vitam: vrimur æstu, id est cupiditatibus

Luc. 8.

Labores multos tolerant homines pro vita corporali & vano fine.

Iob 7.

Gen. 31.


& malis

& malis affectibus, vtimur gelu, somnum amittimus, dies ac noctes insomnes ducimus, & horũ nihil nos defatigat. At vero pro cæli corona, & vita æterna si quid pati incipimus in stomacho propter ieiunium, in capite propter vigilias seu orationem, & sic de alijs paruis nocumentis, statim vel cessamus, vel causas cessandi reddimus, medicorũ corporalium, & spiritualiũ dispensationes quærentes & procurantes, ne tantillum pro tanta gloria, & corona incorrupta, & immarcescibili patiamur. Huius coronæ suauitas & magnitudo sufficit vt à longe, & in spe tantum considerata, socordiam, & segnitiem nostrã acuat ad quoscunque labores pro illa tolerandos. Si enim D. Ambros. super Psalm. 12. dixit: *Spem nostram esse furem laborum, & metum periculi abscondere*: nulla spes validior est, ac fortior ad furandos labores, diminuendos, suauesque reddendos, quam spes gloriæ tantæ uæ coronæ. In animalibus etiã hoc licet inspicere. Canis enim sola spe appræhendendi leporẽ, per dumeta saxa, spinas & alias difficultates quærit, & currens insequitur, sciens se leporem non esse manducaturum. Faxit Deus opt. Max. vt suis omnibus Religiosis animum, ac vires addat, vt in defessi in agone monastico decertantes, æternam & incorruptam centuplam coronam consequantur, Amen.

Spes fur laborum est.

EXHOR-





EXHORTATIO XXI.


AD MONIALES

IN COMMVNI MAXIME.

IN LAVDEM VIRGINITATIS.

Æmulor enim vos Dei æmulatione, despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo. 2.Cor.11.

2. Ad Corinth. 11.



SCio huius loci primarium, ac litteralem sensum, non ad fæminas, sed ad vulgus promiscuũ applicari: & iuxta D. Chrysost. ad hunc locum, monere Paulũ Corinthios promiscue, vt animas suas Deo puras, & virgines offerant: quemadmodũ sponsa virgo, & immaculata, & omnis viri nescia, præsentatur viro suo. Sicut enim, illa fæmina virgo dicitur, quæ omnino expers est ab omni carnis peccato: sic anima virgo dicitur illa quæ munda, & ab omni peccati inquinamento libera est. Anima virgo quæ. Hoc tamen non obstante, Ecclesia, prædicta verba Pauli tum in diuino officio, tum in Missarum solemnijs applicat sanctis fœminis virginibus, qua de causa nos eadem Monialibus Christi virginibus ac sponsis sequenti modo applicabimus.

Ex sacra Scriptura constat

verbum Æmulor, inter alia, significare etiam, inuidere: id quod maxime colligi potest ex illo Numer. 11 dicto Moysis ad illũ qui non patiebatur alios in populo prophetare, nisi Moysem. *Quid æmularis pro me?* Et Calepinus verbo, AEmulatio, ait per illam significari inuidiam. Hoc posito. Sensus horum verborum erga Christi moniales esse potest. AEmulor vos Dei æmulatione, idest inuideo vobis sancta inuidia, eo quod ad tantam status altitudinem euectæ estis propter virginitatem, vt sponsæ Christi nominemini, & sitis; & pro sponso ipsum Christum Deũ habeatis. Quod autem hæc sancta inuidia nobis licita sit, & sancta, ostendo primo: quia inuidia, iuxta D. Tho. 2. 2. q. 36. n. 1. est tristitia de bono alieno eo quod meam excellentiam minuat: siue tristitia sit de bono alieno corporali, siue spirituali, & hæc suo genere est peccatum mortale, & contra charitatem Si autem ego videns bonum spirituale in alio non quidem trister de illo ex defectu charitatis proximi, quia velim illum non esse bonum: sed tristor de me ipso eo quod non sim æque bonus vt ille: & tristor quia mihi deest illa perfectio, quam tamen in proximo laudo neque illius in illo me pænitet: tunc in rigore, non habeo inuidiam; sed quodã modo dici potest inuidia sancta, & proprius dicitur æmulatio, quatenus ego cõtendo absque odio, esse similis illi quem video perfectiorem Quod igitur hæc sancta inuidia, & æmulatio licita sit patet ex D. Paulo 1. ad Corint. 12. vbi, cum in toto capite iuxta D. Chrysost. Corinthios doceret, vt cauerent inuidiam, non enim omnes in Ecclesia poterant esse Doctores, Prophetæ, oculus & cæt in fine capitis concludit dicens: *AEmulamini autem charismata meliora*: idest contendite in bonis spiritualibus sanctioribus assimilari Et ead. Epistola cap. 14. in principio sic inquit. *Sectamini charitatem: æmulamini spiritualia.* Elegans porro huius rei exemplum habemus in Seraphico P. N. Francisco: cuius ardentissimũ paupertatis amorem explicans Doctor Bonauen. in vita ipsius. Sic de illo scribit. *Si quando enim pauperiorem se quempiam secundum exteriorem habitũ cerneret, se ipsum protinus arguens excitabat ad simile, tanquam si æmula paupertate concertans vinci se in illo spiritus quadam nobilitate timeret*. Sic ille. Ecce quo modo quadam spiritus nobilitate (non ignobilitate, idest odio) possumus quasi inuidere, & æmulari sancto, & licito modo bonis spiritualibus alterius hoc solum prætendentes vt illi

Num. 11.

Inuidia quid?

Inuidia sancta & licita.

1. Corint. & 14.

Inuidia sancta patris Francisci.

illi sanctiori (quem tamen diligimus) assimilemur. Hoc paulo fusius volui insinuare, tum vt sciatur quid sit inuidia mala: tũ vt excitemur ad sanctam æmulationem habendam.

In sensu igitur explicato persistentes, tanta est vnius virginis (quæ vere Christi virgo est) altitudo & perfectio, vt omnes merito illi possint sancte inuidere. Mira, & multa sunt quæ de hoc argumento sancti Patres reliquerunt scripta: ego pauca ex illis ad Christi sponsarũ consolationẽ, & exhortationẽ proferã, præcipue vero D. Ambros. tractatus multos hac de re cõposuit. Et quidẽ ille lib. 1. de virginibus inter alia sic ait: *Qualis est hæc virgo, quæ Trinitatis fontibus irrigatur? cui de petra (id est Christo) fluunt aquæ, non deficiunt vbera, mella funduntur?* Expende quæso verba proposita, & quod attinet ad perfectionem meritorum quibus status abundat, idẽ sanctus Pater eod. 1. lib. cũ prius aduerteret lectulũ Salomonis cõiugati, custodiri à sexaginta tantum fortibus: lectulum autem sponsæ Cant. 8. *Custodiri à mille ducẽtis qui seruant & custodiũt fructus eius.* Sic inquit D. Ambros. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, hic mille ducenti, creuit numerus, vbi creuit & fructus. Vobis virgines sanctæ speciale præsidium est, quæ intemerato pudore sacrum Domini seruatis cubile: neque mirũ si pro vobis Angeli militant, quæ Angelorũ moribus militatis.* Sic ille. Denique eod lib. 1. de virgin. sic ait de virginitate. *Quis humano eam possit ingenio comprehendere quam nec natura suis inclusit legibus? aut quis naturali voce complecti quod supra vsum naturæ sit? è cælo accersiuit quod imitaretur in terris.* Sic ille cum alijs ibi eleganter. Diuus Gregorius 3. part. pastor. cap. 29. virgines homines non solũ Angelis æquat, sed & præfert, sic dicens de Virginibus *Quo autem apud patrem loco habeantur ostenditur: quia in domo Patris videlicet in æterna mansione etiam filijs præferuntur, & cæt.* Gregorius Nazianzenus in carmine, de virginibus ipsam sanctissimam Trinitatem appellat primam virginem: eo quod Pater Æternus mundissima illa, ac prorsus castissima generatione per intellectum Verbum æternum producat: & simili virginali productione, Pater, & Filius per voluntatem producant Spiritum sanctum. Et hac de causa D. Cyprianus lib. de disciplina & habitu virginum ait *In virginibus spectari nouo modo imaginẽ Dei.* Sic scribens. *Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria, maior & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, de-*

Virginitas laudatur ex patribus.

cuiusque ornamentū gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atque incorruptum Dei imago respondens ad sanctimonium Domini. Illustrior portio gregis Christi Sic ibi Vide si potest amplius de virginitate prædicari, sed quid moramur in recensendis Doctorum dictis innumeris cum ipsa sacra Scriptura id clarius, & forte intensius docere videatur. Et quidem occasione eius proximi dicti Cypriani, qui virgines vocat illustriorem portionem gregis Christi, Apoc. 14. expresse dicitur, quod virgines sunt primitiæ selectæ Deo inter alios Christi fideles. De illis enim sic dicitur: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.* Et consonat quod pro eisdē virginibus D. Gregorius citato cap. 2. pastoralis citat. & eisdē applicat ex illo loco Isayæ c 56. vbi Spiritus sanctus sic de virginibus nomine Eunuchorum (iuxta Gregorij expositionem ibidem) loquitur. *Hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint Sabbatha mea, & elegerint quæ volui, & fœdus meum tenuerint, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus.* Vide si ibi videtur indicari virgines esse illustriores inter fideles, & melius nomen, ac locum in cælo habituros? cui consonat, virgines sequi Agnum quocunque ierit, & eos solos cantare cāticum nouum Apoc. 14. Denique virgines, ac in particulari Monialium communitates, sunt illæ familiæ quas Christus Dominus mundum ingressus instituit eo fine quem dixit Ieronymus epistola ad Eustochium sic dicens: *Filius Dei ingressus hunc mundum familiam instituit, vt qui ab Angelis adorabatur in cælis, ab alijs etiam, id est virginibus adoraretur in terris.*

Apoc. 4.

Isa. 56.

Iam vero si causam Theologam tantarum laudum, & virginitatis encomiorū percōtemur, nō aliā clariorem inuenio quam operis difficultatem. Crescit nāque meritū nostrū valde ex operis facti difficultate: vna sufficiat probatio Gen. 22 in Abrahamo filium Isaac sacrificare parato ex mandato Domini, vide quanta illi Deus fecerit, ac promiserit? ob vnum scilicet difficillimum factum: quia fecisti rem hanc, difficilimam scilicet, & fere insolitam. Si ergo Abraham adeo coram Deo meruit, eo quod carnem filij, tandem alienam mactare voluit vna vice: persona quæ per totam vitā virgo est & quotidie carnem propriam mactat, non alienam, à paruis etiam cogitationibus inhonestis abstrahendo: rem facit fere difficilimā, iuxta illud Matth. 19. qui se castrauerunt propter regnum cælorum;

Virginitas ideo meritoria quia difficilis.

Gen. 22.

Matt. 19.

cælorum, qui poteſt capere capiat: vbi vides ipſum Chriſtum Dominũ verũ Deũ inſinuaſſe, ſe nolle rem adeo difficilem homini, qualis eſt virginitas imperare Apoſtolos autem ad id præcipiendũ authoritate caruiſſe conſtat ex illo Pauli de virginitate loquẽtis 1. ad Corinth. 7. hoc modo. *De virginibus præceptum Domini non habeo: conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus à Deo &c.* Hac de cauſa videas ſtatum virginalem adeo fuiſſe ab omnibus æſtimatum, vt non ſolum Chriſtiani, ſed etiam Gentiles, illum tanquam regalem honorarent, ac venerarẽtur. Et quidem de Gentilibus ſufficiat exẽplum virginum Veſtaliũ, quas populus Romanus adeo colebat, & venerabatur, vt virgine Veſtali per plateam tranſeunte, ductos ad patibulum iuſſu ſuo liberaret quoſcunque: & quod maius eſt duces in curru triumphali vecti, qui honor cæteros omnes excedebat, ſi in platea Veſtalẽ vidiſſent, diuertebant, & quaſi reuerentiã illi exhibebant: vt paſsim hæc & alia apud Doctores hiſtoriarũ reperies, maxime apud D. Ieron. lib. 1. aduerſus Iouinianũ. Quod quaſi indigne ferens D. Ambroſ. lib. 1. de virgin. talem ſcilicet honorem exhiberi gentilibus virginibus ſine clauſura, & virginitatẽ non perpetuã, ſed vſque ad triginta tantum annos ſeruantibus, cõparans eaſdẽ Veſtales cũ Chriſti virginibus Monialibus ſic ait: *Qualis iſta eſt non morum pudicitia, ſed annorum, quæ non perpetuitate, ſed ætate præſcribitur, petulantior eſt talis integritas, cuius corruptella ſeruatur ſeniori ætati.* Sic ille: poterant enim Veſtales illæ nubere poſt triginta annos caſtitatis, omiſsis vero Veſtalibus quod attinet ad honorem Chriſtianis virginibus impenſum, mire illas coluit Cõſtantinus Magnus Imperatorũ maximus; de illo namque Euſebius lib. 4. in vita ipſius narrat, quod excepta adoratione (hãc enim ſoli Deo debitam agnoſcebat) cæteros omnes honoris, & reuerentiæ actus virginibus exhibebat. Verba Euſebij ſic ſe habent. *Virgineum chorum, ſolum non adorabat, iſ hic habitare Deum cui ſe puellæ deuouerant arbitrabatur.* Sic ibi. Denique non ſolum homines ſed etiam beſtiæ, & leones virgines agnoſcebant omni cultu, & veneratione dignas, quando eaſdem virgines ſibi obiectas, ipſi famelici non ſolum non deuorabant, verum potius lambebant pedes, & modo quo poterant venerabantur. Ponderauit hoc etiam Diuus Ambroſius lib. 2. de virginit. in leone ſanctæ Theclæ, de quo ſic ſcribit: *Cernere erat lin-*

1. Cor. 7.

Virgines Veſtales æſtimatæ.

Conſtantinus Magnus virgines mire coluit.

gentem pedes bestiam cubitare humi, muto testificante sono quod sacrum virginis corpus violare non posset: ergo adorabat prædam suam bestia propria oblita natura, nam induerat, quam homines amiserant. Et paulo infra. *Docuerunt castitatem dum virgini nihil aliud nisi plantas exosculantur demersis in terram oculis, tanquam verecundantibus, ne mares virginem nudam viderent.* Sic ibi diuus Ambrosius.

Virginitati potest inuideri.

Cum igitur virginalis status tantæ perfectionis altitudinem, tantorum meritorum cumulum habeat: tanta illi ab hominibus, ac bestijs reuerentia, & honor exhibeatur, quis non tantæ dignitati, & altitudini sancte inuideat, ac diuina æmulatione æmuletur? Econtra vero quæuis Christi Sponsa & Virgo cum adeo diues, plena, & honorata sit, cui nam alteri sæculari statui poterit inuidere? Quomodo poterit matrimonij statum optare, vel amissum dolere, etiam si sit Imperatricis & Reginæ? Considerauit hoc diuus Ieronimus epistol. ad Eusthochium de virginitate, vbi illam repræhendens quod conuentum egressa (tunc enim non seruabant moniales clausuram) inuiserit Imperatoris vxorem, quæ Hierosolymam adierat. Sic ait. *Si ad Imperatoris vxorem concurrit ambitio salutantium, cur tu facis iniuriã viro tuo?* (Id est Christo) *Ad hominis Sponsam Dei Sponsa quid properas? Disce in hoc superbiã sanctam, scito te illis esse meliorem.* Sic ille Ecce qualia sunt bona, & dona illius quæ desponsata est vni viro Christo! Vide quam fædum fuerit Christi Sponsæ matrimonij fæces laudare, suspirare, & quasi de amisso status illius bono ingemiscere. Eam ego, quæ sic doleret, compararem merito filiæ illi Iephte Iudicum 11. quæ sciens se patris voto morti destinatam, dixit ad patrem: *Hoc solum mihi præsta quod deprecor: dimitte me vt duobus mensibus circum eam montes, & plangam virginitatem meam cum sodalibus meis.* Exponunt ibi Doctores maxime Sà, quod volebat deflere eo quod cogebatur mori innupta. Et fortasse (vt ego suspicor) vltra alias causas à Doctoribus relatas, ideo talis filia non fuit miraculo liberata à Deo de manu patris sacrificantis, quemadmodum fuit Isaac de manu patris Abraham immolantis; eo quod illa virginitatem seruatam plorasset Occurrit præterea hoc loco elegans exemplum relatum á Seneca minore Rethore, 6. libr. de clamationum, controuersia 8. vbi compendiose, sed eloquentissime refert, quamdam virginem vestalem, scripsisse hunc versum.

Virgo maior quã Imperatrix.

Filia Iephte non liberata miraculo à sacrificio sicut Isaac quare?

Fali-

Felices nupta Moriar nisi nubere dulce est.

Optimũ exemplũ virginis vestalis cõtra virgines Moniales.

Nec ibi refertur quod prædictum versum alicui viro scripserit, vel miserit. Ob solam autẽ prædicti versus scriptionem, accusata est de suspitione stupri; & contra illam his verbis declamatum. *Felices nupta* 1. *capientis est Moriar nisi affirmantis est. Nubere dulce est aut experta iuras, aut in experta peieras. Neutrum sacerdotis est, (idest Monialis, Tibi Magistratus suas fasces submittunt, Tibi consules, pratoresque via cedunt: Nunquid exigua mercede virgo es? Moriar: Nunquid de nuptijs appellata es! Ad vltimum vestam inuoco, vt tam infecta sit Sacerdoti, quam inuisa est.* Et paucis verbis interpositis ait. *Si vtique laudare vis nuptias, Narra lucretiam de illius morte scribe antequam iures de tua. O te supplicio omni dignam cui quidquam Sacerdotio felicius est. Dulce est, quam expressa vox, quam eximis visceribus emissa non experta tantam, sed delectata Incesta est etiam sine stupro qua cupit stuprum* Sic ibi Pondera quæso singula verba istius authoris, & vide si à Doctore Christiano eloquentius posset taxari virgo Monialis tristis de suo virginali statu: vbi, vt dixi, nomine Sacerdotis vestalem virginem intelligit Vide ergo quomodo ex eo tantum quod nuptias laudauerit, suspectam illam de virginitate reputat. Vide secundo illud dictum, *Nunquid exigua mercede virgo es*: quanto potius Moniali Christianæ dici potest: si enim vestalibus tanquam virginitatis præmium, & merces exhibebatur ille honor, à Consulibus Prætoribus, & Magistratibus, vt propterea dicerentur, nõ gratis esse virgines: quanto quæso maiori iure Christianis virginibus eadẽ verba aptabuntur, scilicet: Nunquid exigua mercede virgo es, quæ Deo, Angelis, & hominibus sic accepta es sicut diximus in supradictis, & talem in cælo coronam repositam habes? Considera denique, illam vestalem laudantem nuptias iudicari ibi omni supplicio dignã, eo quod aliquid dignius suo statu virginali iudicauerit: quod de virgine Christiana maiori iure asserẽdum erit quanto virgines fideles excellentiores sunt vestalibus, quæ nec Deum agnoscebant, nec castitatem quo ad cogitationes obseruabant, nec ad illam perpetuam se obligabant.

Virginis magna merces est,

Descendamus iam in particulari ad id quod Moniales Christi possunt inuidere, videlicet matrimonium Quam proportionẽ habet vnum cum alio! quantis excessibus virginitas illud antecellit? Sufficiant pro hac materia Aurei illi libri D. Hieron. contra Iouinianum: vbi tot ac tanta

Virginitas cum matrimonio cõfertur.

dixit in laudem virginitatis quasi deprimens matrimonium (sed sanctè & Catholice tamen vt in omnibus fecit) vt fideles quasi illis libris offenderentur: vt testatur epist. 52. eiusdem Ieron. ad Pamachium. Et vt pauca ex illo priori lib. referamus sic primo inquit cap 4 *Oro te, quale illud bonum est quod orare prohibet. Quod corpus Christi accipi non permittit? Quandiu impleo mariti officium, nō impleo continentis.* Vbi, primum quod dicit, orationem impedi i à matrimonio, dixit Ieron. propter dicta à Paulo 1. ad Corinth. 7. ybi dicit personam vxoratam occupatam esse in ijs quæ sunt placita coniugi: & præterea ibidem ait Paul. posse coniuges abstinere à reddendo debito propter orationem: sed tamen vt reuertantur in id ipsum: & secundum quod ait, Matrimonium impedire receptionem corporis Christi: asserit, quia coniugibus consulitur ne misceantur quo tempore accidere debent ad sacrosanctam cōmunionem: ecce in quo sensu Matrimonium & impedit ad tempus orationem, & receptionē corporis Christi. Ad quod virginitas non solum non impedit, sed maximum adiumentum est. Et infra cap. 6 sic scribit *Quanta fælicitas non vxoris seruum esse sed Christi. Non carni seruire, sed spiritui. Qui enim adhæret Deo vnus spiritus est.* Et infra cap 7 in medio capitis, explicās illa verba Pauli dicta de coniugatis. *Tribulationem tamen carnis habebunt.* Sic inquit. *Nos ignari rerum putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiam Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias, quid erit reliquum propter quod nubant, cum & in spiritu, & in anima & in ipsa carne tribulatio sit?* Sic ibi. Denique eod. lib. cap. 26. ait. *Nec mirum hoc de hominibus cū Mineruam quoque, & Dianam virgines, Deos finxerit error gentilium, & inter duodecim signa cæli quibus mundum volui putant virginem collocarit. Magna iniuria nuptiarum vt ne inter scorpios quidem, & centauros, & cancros, & pisces, & agocerotas vxorem maritumque, contruserint.* Sic ille cum multis alijs quæ ibidem eloquentissime disserit. D. item Ambros. lib. 2. de virginibus de comparatione virginis ad coniugatam sic loquitur. *Quæ nupserit ad seruitutem pecunia sua venditur (ob dotem scilicet qua dotatur) Meliori conditione mācipia quam coniugia comparantur: in illis meritum emitur seruitutis, in istis pretium ad seruitutem additur.* Hæc ille. Quibus verbis innuit in illis, idest in seruis, emitur meritum seruitutis, idest id quod valet seruitus, ætas videlicet, sanitas & cæt. quæ faciunt ad seruitium,

1. Cor. 7.

Mire extollitur virginitas respectu matrimonij.

seruitium, non vero ipse seruus secum dat pecuniam. Vxor autẽ traditur in captiuitatem viro sub cuius potestate erit, & vltra seruitutem cui se tradit, ipsa dat pecuniam dotis. Ecce quibus inuident quæ matrimonio inuident, seruituti videlicet emptæ, impedimento orationis, & sacræ cõmunionis aliquando, & multis alijs Matrimonij oneribus quæ longum esset recensere, & nos aliqua iam in præcedentibus tetigimus. Non est ergo quod Christi sponsa & virgo matrimonio inuideat vel cuiuis alteri rei mũdanæ: sed quod immẽsas Deo gratias agat pro innumeris ab illo receptis beneficijs: & dicat cum Ecclesiastico, id quod Ecclesia virginibus etiam applicat ex cap. 51. Confitebor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deũ saluatorem meum, confitebor nomini tuo, quoniam adiutor, & protector factus est mihi, & liberasti corpus meum à perditione. Et alia quæ pro gratiarum actione occurrent.

Ecclef. 51.

Habemus ergo iam nostram virginem, Monialem dico, desponsatam Christo D. habemus etiam illam, vt suppono, matrimonio non inuidentem. Restat solum admonenda de fidelitate tali sponso præstãda: AEmulatio enim, quæ in propositis verbis cõtinetur, zelotipiam significat: & proinde Christum sponsum zelotipam indicat Oportet ergo vt qua circunspectione mulier nupta curat ne proprium maritũ offendat: eandem Monialis adhibeat, ne sponso Christo, displiceat, illi soli placeat; omnẽ aliũ, quicunque sit, inuisum habeat: Quo autem facilius & securius hoc possit efficere, inter alia omnino necesse est, vt sit seuera, intractabilis, verbo aspera, nõ affabilis maxime viris. Non imitetur Heuam, quæ etiam serpenti fuit affabilis, & proinde cecidit, si nõ â castitate, saltem ab obediẽtia. Meminerit qua asperitate, & verborũ rigore Beata illa Agnes, iuuenem se ad matrimoniũ postulantem affata sit. *Discede à me, inquit pabulum mortis.* Et eodẽ modo aliæ sanctæ virgines durius, se amantes increpabãt. Hoc etiã docuit Beatus Cyprianus lib. de bono pudicitiæ sic dicens. *Quid est aliud pudicitia quam mẽs honesta ad custodiam corporis data, vt sexibus redditus pudor seueritate signatus?* Sic ille. Sit in hoc virgo Christi sicut illa filia Iob post illius tribulationes genita, cui nomen, Cassia, imposuit: & in tali nomine imponendo, vt bene aduertit Pineda ad caput vltimum Iob, respexit ad conditionẽ hanc seueritatis in virgine: Cassia enim (vulgo canella) mordax est, & aspera gustui, & præterea bene olet.

Virgo sit seuera & fere aspera viris.

Heuæ affabilitas erga serpentem.

Virgo sit vt Cassia mordens, & aspera.

olet. Talis bebet esse virgo Christi olere moribus: & præterea debet esse aspera solicitātibus se ad malum amorem Et hac etiā forte de causa virgo, signū Zodiaci, posita est iuxta Leonem; Leo autem voce sua tantū, adeo terrificus est, vt sola voce animalia fuget, ac terreat, teste Pyerio lib. 1. Hierogl. verbo, seu titu. Terrificus; sic virgo Christi sola voce, & aspectu animali sensu viuentes terreat, & in fugam vertat. Et hoc etiam forte significat illud de Muliere sobria, ac prudēte dictū Prouerb. 31. *Mulierem fortem quis inueniet.* Et infra, *quod ridebit in die nouissimo:* non refert risum illius nisi in die iudicij Sit denique in hoc sponsa Christi vt illa virgo Mommia, licet gentilis, corpore pulcherrima, quæ hac de causa à Rege Mythridate solicitata, & magnis muneribus tētata ad stuprum, nunquā voluit consentire, eo quod esset aliàs pauper, & sciret Regem non illam ducturum in vxorem. Quod cum iterū, & iterū Rex tentaret, & illa negaret, mirabatur mundus de illius constantia, & alij in sanam alij intractabilem. alij eam vocabāt ferream, eo quod tāti Regis munera, & concubitū respueret Ob hanc vero causam Ouidius in epist Helen ad paridem. Hæc duo carmina fecit pro responsione, & laude eiusdem Mommiæ.

Virgo Mommia gentilis, sed mirabilis castitatis.


Ferrea, crede mihi, non sum, sed amare recuso,
Illum, quem fieri vix puto posse meum.

Vide elegantem responsionem: videlicet quod munera regalia non curaret: sed se non posse adduci vt illum diligeret, quem sciebat non posse fieri suū maritum ob disparitatem. Qua visa constantia Rex illam duxit in vxorem. Eodē modo Christi virgo proposita qualiacunque dona, ac munera cum periculo etiam leuissimo honestatis, respuat, ac reijciat, & cū Mommia millies dicat, se non posse in animum inducere vt alium hominem, vel Angelum diligat, cum iam non possit esse suus sponsus, eo quod viro Christo nobilissimo sponso desponsata sit. A quo multo præclariora, & excellentiora dona sperat, in hac vita per gratiam, & in alia per gloriam.

Amen.

†

SER-



SERMO I.

IN PROFESSIONE ALICVIUS MONACHI.

Dormiuit in eodem loco: viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque, &c. Gen. 28.

Genes. cap. 28.

EX proximo loco Genes. constat; quod egressus Iacob de domo parẽtum, vt fratris Esau iram declinaret, & Mesopotamiam adiret, fortunæ sorti expositus, in illo itinere, quodam die post solis occasum, cũ vellet ex itineris labore requiescere, lapidem vel lapides capiti supponens, cæpit dormire, ac requiescere, in quo somno vidit illam scalam celeberrimam. De qua antequam ad intentum dicamus, consideremus prius Iacobi somnum. Dormiuit itaque Iacob, (vt par est credere, & ex historia potest conijci) valde mæstus, tristis, & anxius, idque ob sequentes causas. Prima est quia cogebatur dulces parẽtes relinquere, sub quorum cura & protectione vixerat iucundissime septuaginta annos. Secunda quia dulcem patriam relinquebat vbi fuerat enutritus Chanaan scilicet, & adibat Mesopotamiam, distantem, ignotam, & Deo infidelem plagam. Tertia, quia dimittebat amicos & consanguineos

ſanguineos, ſibi chariſsimos, & ipſe ſolus pergeret, carens comite, & amico cujus conſilio, & ope iuuari poſſet in tam difficili itinere. Quarta denique, eo quod ipſe pauper, neque quidquam precioſum deferens, timere poterat ſe in terra aliena deſpectui futurum omnibus illis alienigenis. Quę omnia relinquere quantũ difficile ſit, quantine angoris cauſa, ſufficiat inſpicere ex eo tantum quod ſcribit Ouidius de ſolo amore patriæ, lib. 1. Pont. in hunc modum.

Amor patriæ quam dulcis.

Neſcio qua natale ſolum pinguedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.
Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa Barbarus vrbe fugit.

Si ergo patria, quæ nõ loquitur, ſic attrahit, ſic retinet homines: quid parentes quid amici, quid conſanguinei, & cætera omnia facient, quæ Iacob dimittebat? Affuit ergo diuina clemẽtia, imo & diuina prouidentia, dilecto ſuo Iacobo in tanta mæſtitia & angore poſito, eidem in ſomnis oſtendens illam celebrem ſcalam, cuius cacumen cæiũ tangebat, plenam Angelis, & ſupra ſcalæ cacumen Deum innitentem ſcalæ Quæ ſcala inter alias ſignificationes infra referendas,

Scala Iacob ſignũ diuinæ prouidentiæ.

primo ſignificabat diuinam prouidentiam erga Iacob, quem Deus in ſuæ prouidentiæ particularem protectionem ſuſcipiebat. Huius ſententiæ, ac ſignificationis author eſt Theodoretus q 82. in Geneſ. ſic ſcribens ad hunc locum. *Prouidentia diuina manifeſtius declaratur in rebus quæ videntur aduerſa: nam quibus omnia proſpere cedunt, non perinde intelligunt quantis bonis fruantur. Hac de cauſa Iacob aufugit, & ſolus perigrinatur, &c* Et paucis verbis interpoſitis ſubdit *Quam quidem apparitione ſua confeſtim Deus declarauit, oſtendit enim ei ſcalam ad cœlum vſque pertingentem & ſanctos Angelos aſcendentes, & deſcendentes. Ipſe vero Dominus ſurſum conſiſtens confirmabat eum, & metũ expellebat Declarabant autem Angeli miniſterium diuinum.* Et paucis verbis interpoſitis *Horum autem vnumquodque ſecurum poterat reddere Patriarcham.* Sic ille. Vides itaque ex mente tanti Doctoris ſcalam oſtenſam Iacob ſignificaſſe illi, nihil ſibi eſſe timendum in illis quatuor cauſis ſuæ triſtitiæ, habebat namque paratam, & aſsiſtentem ſibi diuinam prouidentiam & protectionem, ad illum in omnibus protegendum. Ne vero abſque fundamento videamur diuinam prouidentiam aſsimilare ſcalæ Deo innitentem plenã Angelis: conſidera

considera Deum Angelorũ ministerio his rebus omnibus inferioribus prouidere, iuxta illud Pauli ad Hebr. 1. *Vbi Angelos vocat administratorios spiritus*: seruiunt enim Angeli in rerum guberna tione tanquam ministri, est tamen ipse Deus scalæ principio innitens prima causa vniuersalissima prædictæ prouidentiæ. Hæc præterea prouidentia Dominus (sicut illa scala) attingit à terra vsque ad cælum: iuxta illud Psal. 112. de diuina prouidẽtia. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra*. Et clarius habetur Sapien. 8. de diuina prouidentia in hunc modũ *Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter & disponit omnia suauiter* Ex hoc vero vltimo loco amplius re. clarere potest. Duo enim lateralia ligna scalæ significant duas virtutes seu proprietates diuinæ prouidentiæ, fortitudinem scilicet, & suauitatem Deus enim omnibus prouidet fortiter & suauiter, vt habent citata verba Sapien 8. infallibiliter enim, ac fortiter omnibus prouidet etiam minimis: & præterea suauiter, quia nulli violentiam faciens, & accommodate ad suam naturam prouidere solet. Habemus ergo ex hoc loco intentum, Deum scilicet ostensione illius scalæ, voluisse monere Iacobum tristem, & anxiũ, vt securus pergeret, certusque esset de diuina prouidentia in omnibus sibi affutura. Quod idem clare indicant verba illa mox eodem capite dicta à Deo Iacobo dormienti: *Ero custos tuus quocunque perrexeris, &c.*

Habr. 10.

Angelorũ ministerio cũcta Deus administrat.

Psal. 112

Sap. 8.

Hæc omnia vide omnino quadrare iuueni profitenti vitã monasticam. Ad Religionem venit motus ex eo quod corpus suum, quod est erga animã Esau frater, velit perimere animam suam: per annum iam nouitiatus iter ingressus, deuenit ad hũc locum professionis, in quo humanus affectus, & carnalis appetitus non poterit non, illum sollicitare, mæstum ac anxium reddere tanquam alterũ Iacob, ob dimissionem illorum quibus in professione renunciat: in professione nãque relinquit, sicut Iacob, parentes, patriam, amicos, consanguineos, & præterea pauper, & inermis ingreditur nouam vitam nouos incolas, vt & illis, & mundo despectus fiat propter Deum. A quibus omnibus diuidi, ac separari, nihil aliud est quam gladio doloris animam à corpore diuidi. Comprobantur hæc illo Christi Domini dicto Matth 10. *Non veni pacem mittere sed gladium veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem*

Nouitius in professione vt Iacob videns scalam.

Matt. 10.

trem suam, & nurum aduersus socrum suam, vbi ad separationem filij a patre gladium, doloris vtique intercedere pronuntiat. In hoc porro ingressu Religionis, rerumque relictarum mæstitia, & noui difficilisque status introitu, nouo profitenti astat sane diuina prouidentia, illum consolans, illumque quasi certum ac securum reddens, de diuino auxilio, ac protectione sibi non defutura, quo possit lætus, & gaudens, Religionis tramite incedere. Iam vero Deum præsto esse Religioso, vt illi specialiter prouideat, considero ego ex duobus principijs. Primo ex eo quod Deus est, & vniuersalis omnium prouisor copiosissimus, ac vigilantissimus. Secundo ex ratione particulari status Religiosi, nam quasi ex contractu inito, & fide data, non dimittit Deus specialiter succurrere Religioso, qui soli Deo fidens, omnia terrena propter illum dimisit. Nam si inter duos homines pactum præcederet, vt vnus alteri confideret, & sub illius promisso, ac fide data, de re aliqua non curaret, eo quod alter prædictæ rei negotium in se reciperet, quod negotium illum hominem cedentem valde attingeret: infidelitatis certe argueretur ille qui negotij curam suscepit, si illud negligenter ageret, prædictique

Prouidentia Diuina maxime assistit Religiosis.

fidentis sibi hominis curam negligeret. Eodem modo de Religioso cum Christo ac Deo possumus ratiocinari. Inter Religiosum ac Deum quasi pactum initur, vt si ille cuncta pro Deo relinquat, Deus illius curã agat in hac vita, & in futura Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, fratres, &c.* Et Matth. 11. *Venite ad me reficiam vos, &c.* Et hac de causa Religiosus soli Deo fidens, vniuersa temporalia in hac vita propter illum dimittit: consequens profecto est, vt Deus peculiari modo Religioso assistat, illumque consoletur, quando ad prædictam temporalium relictionem non solum pactũ inijt, sed etiam inuitauit, vt hac etiam de causa supra scalam Deus innixus astet & immineat, quasi vocans, inuitans, & solicitans, ad vitam Religiosam. Hæc fuit causa, quare Deus cum Abrahã Gen. 12. præciperet, *vt egrederetur de terra sua & cognitione sua, & de domo patris in terram quam sibi monstraret,* vltra illa quæ statim eidem promisit: addiderit Gen. 15. *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* In huius rei gratiam refert Ieronymus Plato lib. 1. de bono status Religiosi cap. 33. quod cum pater noster Franciscus primum capitulum generale Assisij celebraret: & pro fratrum

Matt. 19.

Matt. 11.

Gen. 12.

Mira confidentia P.N Francisci de Diuina prouidentia.

trum prouisione temporali non solum nihil faceret, sed etiam fratribus omnino interdiceret ne de rebus temporalibus essent soliciti: præsens B. Patriarcha Dominicus, & tantam fiduciam admiratus, cum statim post videret miraculose finitimos populos, mira cum abundantia cibi ac potus corporalis confluentes, ita vt quinque millia fratrum ibi existentiũ abundantissime pascerentur: idem B. Dominicus ex eo tempore in sua Religione, annuales redditus amouendos decreuerit. Quod idem in alijs ad vitam necessarijs, vtpote in patientia, & consolatione ad labores tolerandos, euidenti experientia quotidie comprobatum est. Hæc est ergo prima significatio scalæ illius celeberrimæ Iacobo monstratæ.

Scala Iacob significat laborẽ & agonẽ.

Secunda significatio eiusdem scalæ instituto nostro deseruiens est, vt scala laborem & agonem significet. Vsitatissimũ est apud omnes fere nationes vt Domini, quando seruos volunt verberare secure pro illorum emendatione, illos ad scalam ligari iubeant, vt immotos illos puniant. Huc spectant illa vulgata Aristhofanis verba.

Modis omnibus de illo quæstionem habe,
Scalæ impone, suspende, loris cæde, &cæt.

Eodem modo quæcunque Religio scala sancto modo torquendi potest appellari. In ea namque Religiosus quasi immotus tot quotidie laboribus trium votorum, & alijs Religiosis obseruãtijs torquetur propter Deũ, & quasi flagellatur immobilis, vt ligatus, & religatus sanctæ scalæ dici possit. Est tamen hæc differentia, quod seruus scalæ ligatus: illa verbera fert inuitus: At Religiosus libenti, & alacri animo propter Deum, in Angelorum consortio, & visitatione, & propter Deum paternali animo labores permittentem, illa patitur non vt seruus, sed tanquam charus, & gratus Deo filius.

Scala Iacob & vita ipsa Religiosa.

Iam vero propius accedentes ad scalæ istius applicationẽ significat tertio, prædicta scala Iacob ipsammet Religiosam vitam, ad quam Deus summitati scalæ innitens, inuitat, & inuitatos consolatur est author huius significationis D. Bern in tract. super illa verba Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*, qui vocatur, declamationes Bernardi. Vbi ait illam scalam significasse vitam Religiosam perquam D. Benedictus in cælum ascendit, & ascendunt hodie veri Religiosi. Quanuis autem ibidem D. Bernardus duo latera Religiosæ scalæ faciat asperitatem vitæ, & humilitatem: possumus & nos

clari-

claritatis gratia, etiam dicere, huius Religiosæ vitæ scalam duo ligna lateralia habere; ex vna scilicet partæ legem Dei; ex alia Regulam monasticam: gradus autē quibus ascenditur, esse quotidiana exercitia Religiosorū tum à lege Dei, tū à Regula monastica illis præscripta quibus quotidie crescunt, & vadant de virtute in virtutem, quo ad vsque videant Deum in Sion Psal. 83.

Psal. 83.

Multiplices porro sūt huius scalæ Religiosæ gradus quibus quotidie ascenditur ad Deum; humilitas nempe, abstinentia vigiliæ, orationes, proximorum charitas, & sanctæ cæremoniæ Religiosæ, quibus quasi gradibus gradatim ascenditur, in Religione, vt perfectam, & posibilem Religiosus cū Deo vnionem in hac vita assequatur. Iam vero primus finis & intentū scalæ eo spectat vt à terra fiat eleuatio: & primo gradus ascensu terra relinquitur. Hic nempe primus & præcipuus Religiosi gradus est, à terra abscedere, illam relinquere, & ab illa eleuari. Huc spectat illud Apostolorum Matth. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*; spectat & dictum Pauli ad Phil. 3. cum dixit non solum reliquisse omnia; *sed illa omnia temporalia mundi reputasse stercora vt mundum odio habens Christum lucrifaceret*. Sunt & alij gradus accliuiores adhuc qualis

Scala seruit vt eleuemur à terra. Sic Religiosus à terra eleuetur.

est propriæ abnegatio voluntatis, iuxta illud Luc. 9 *Qui vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Sunt denique alij qui in Religione quotidie docētur & practicantur, & a Prælatis mandantur. Neque his dissentanea est illa alia D. Bern. expositio seu doctrina, de prædicta scala Iacob ad vitam monasticam applicata, quam tradit epist 253. ad Abbatem Garinū. ibi enim docens Religiosum semper ad maiorem perfectionem aspirare debere, neque aliquando sua propria virtute contentum esse debere: affert in exemplum prædictam scalam Iacob, in qua nullū Angelum sedentem, aut quiescentem, sed omnes ascendentes, vel descendentes describuntur verba Bern. audiamus: quæ sic se habent. *Vbi ergo sunt qui dicere solent, sufficit nobis; nolumus esse meliores quam Patres nostri. O Monache non vis proficere? Non (inquit) vis ergo deficere? Nequaquam, ait; Quid ergo? Manere, inquit volo, in eo quo perueni, nec peior fieri volo, nec melior cupio Hoc ergo vis, quod esse non potest. Vidit enim scalam Iacob, & in scala Angelos, vbi nullus residens, nullusue subsistens apparuit, sed vel ascendere, vel descendere videbantur. Quo palam daretur intelligi inter profectum, & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil mediū inueniri.*

Religiosus sicut per scalā quotidie ascendat.

Sed

Sed vt ipsum corpus nostrum aut crescere, aut decrescere continue constat: sic necesse sit & spiritum aut proficere semper aut deficere Sic ille. Ex quibus omnibus patet ipsam vitam Religiosam assimilari omnino prædictæ scalæ Iacobo ostensæ.

Video etiam alia adhuc ratione Religiosam vitam scalæ assimilari. Nam supposito quod aliquis sursum ascensurus sit versus cælum, nullum habet cōmodius & facilius remedium, siue instrumentum quā scalam: sursum enim absque scala ascēdere vel est impossibile vel fere difficile. Eodem modo supposito quod ex hac vita ad cælum debemus ascendere facilius, ac securius remedium, & iter expeditius est vita Religiosa. Vnde Religiosi ad cælum ascendunt facilius, ascendunt enim per scalam: seculares vero ascendunt quidem, sed difficilius & maioribus obstaculis præpediti Hoc ex multis capitibus probare valemus: & primo quidem ex eo quod, signum D. Prædestinationis est esse Religiosum in hac vita: quod doctores colligunt primo ex illo Matth. 19. quod Christus D. dixit Petro & cæt. Apostolis *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me*; & prætèrea *omnis qui reliquerit patrem, matrem & cæt. Centuplum accipiet & vitam æternam possidebit* Ecce vita æterna clare promittitur ijs qui reliquerunt omnia propter Deū, & secuti sunt Christum: quod tamen intelligo de vero ac perfecto Religioso, qui suæ approbatæ regulæ in nullo deest. Colligunt præterea doctores hoc ipsum ex illo Matth. 7. *Arcta via est quæ ducit ad vitam.* Quæ verba D. Gregor. 32. Moral. cap. 17. edisserens, & Religiosis applicans sic inquit. *Quid angustius est humanæ menti quam proprias voluntates frangere? de qua fractione veritas dicit, intrate per angustam portam & cæt.* Et sane, quæ via angustior quam scalæ ascensus: vbi neque ad dexteram neque ad sinistram est declinare, & vix latitudo corpus humanū recipit? Eodem modo quid angustius in vita, quam Religiosus status ab vna parte legem Dei, ab alia Regulam habens Religionis, cum continuo illo rigore disciplinæ monasticæ, ita vt neque ad dexteram, neque ad sinistram libertas sit deflectere? Hoc denique prædestinationis iudicium in Religiosis qui perfecte regulam seruant declarauit ac docuit Laurentius Iustinianus de perfectione Mo.con.cap.7. ad Religiosos sic loquens. *Secure speret post hanc perigrinationem ad illam supernam intrare Hierusalem, quicunque in iustorū congregationē fuerit vocatus.*

Religiosi cælū ascēdunt per scalam. Seculares absq; illa.

Matth 19.

Prædestinationis signum est esse Religiosum.

Matth. 7.

Magnum

Magnum quippe electionis indicium est, huius fraternitatis habere consortium. facileque ab illa excluditur, qui ab hac fuerit segregatus. Sic ille. Secundo eadem securitas Religiosæ vitæ, & facilior proinde ad cælum aditus probari potest ex eo quod leues, ac liberi onere diuitiarum, temporaliumque curarum solicitudine, expeditiores sunt ad currendum, & angustam cæli portam intrandam, id quod argumento, à contrario sensu possumus concludere. Nam si
Matth.19 Christus D Matth.19. dixit *Facilius esse Camellum intrare per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cælorum*: Idque asseruit, ob impedimenta quibus diuites detinentur per solicitam diuitiarum, ac terrenorum curã. Recte infertur, facilem Religioso patere aditum ad cælum, qui nullis diuitijs, nullis terrenorum curis præpeditur. Hac de causa dicere possumus quod Religiosi rebus sæcularibus expediti currunt ad cælum, sæculares vero lente ambulãt, & multoties retro cedũt. De Beata Virgine & Matre clara, propter Deum omnia relinquente ait. D. Bonau. in officio Diuino eiusdem hoc modo. *Hæc paupertatis titulo pollens, intitulata, post Christum sine sacculo currit exonerata.* Ac proinde de Religiosis omnibus suo modo potest
Isa.60. intelligi illud Isa. 60. quod de pauperibus Apostolis communiter doctores intelligunt, videlicet. *Qui sunt isti qui vt nubes volant?* Ad hunc etiam finem, de securitate scilicet Religiosæ vitæ: applico dictum illud Iacob hoc loco esomno euigilantis: visa enim scala dixit. *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.* Et vere quidem, eadem verba Religioni congruunt; cum enim tot modis illam scalam esse Iacob diximus, merito etiam de illa dicere possumus, quod in illa non sit aliud nisi domus Dei & porta cæli. Vere quidem Religio domus Dei est: si enim domus Dei per hoc cognoscitur quod domus orationis est: iuxta illud Matth. 21. *Scriptum est quia domus mea domus orationis vocabitur.* Matth.21
Quænam alia in mundo seu in Ecclesia, magis dici potest domus orationis quã Religio quæcunque: in qua vltra diuinum officium horarum canonicarũ, statutis horis quotidie ad orationem publicam, seu communem fratres conuocantur? Vere item domus Dei: si enim domus Dei dicetur illa in qua Deus peculiariter habitat, & vbi habitant domestici eius: vbi nam Deus peculiari modo magis habitat, quam in domibus Religiosorũ? Si enim Christus D. promisit Matth. 18. se fore, *Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine ipsius*: Matth.18.
Quot

quot nam congregantur in Religionibus in nomine illius non duo vel tres, sed mille millia. Domestici item Dei, & ciues illius in Religionibus maxime habitant. Denique porta cæli Religio est, quam qui intrant eo quod angusta sit iuxta prædicta securiorem viam ad cælum ingrediuntur.

Hic vota tria emittuntur: & illis finitis subditur consequenter.

VNum restat admonendũ, in eadem scalæ consideratione, periculum scilicet grande cadendi ex illa: cum enim adeo angusta sit, & accliuis, omnino necessarium est, vt qui illã scandit, & manibus, & pedibus securitatem procuret, pedibus inquam, vt videat vbi pedem figat: manibus item vt nunquam illam deserat, sed fortiter semper manu illam apprehendat, vt sit securus: secus si fiat vitæ periculum aliquando, & aliquando iacturam magnam cadens incurrit. Talis est Religiosa vita, secura est vt vidimus & securior sæculari: quia tamen angusta ac ardua, accliuis est: videat Religiosus qui illam apprehendit ne cadat. Quo enim perfectior est, eo grauiori ruina ab illa cadet, ac proinde videant attente Religiosi vbi pedem figant, & quid manibus apprehendant. Hoc primũ ostẽdo ex D. Ieron. epist. ad Eustochiũ de virgin. vbi sic dicit de Religiosis vota non seruantibus. *Rectius fuerat homini subiisse coniugium, ambulasse per plana, quam ad altiora tendentem in profundum inferni cadere.* Hæc ille: vbi dicens, melius esse ambulare per plana, quam tendere in altum, innuit, melius fuisse non ascendere scalã Religionis, quã cadere è loco adeo sublimi. Melius huic erat facere quod Dauid 1. Reg. 17. qui pugnaturus cum gigante, & indutus armis Regijs Saulis, dixit: *Non possum sic incedere quia non vsum habeo*: assumpsit autẽ fundam & lapides, arma scilicet facilia, obuia, & communia, & cum illis gigantem superauit. Eodem modo ille qui in se vires, ac animũ nõ agnoscit ad fortiter dimicandum in agone Christi in Religione: melius illi erat per plana ambulare, etenim regulæ monasticæ Patris scilicet Francisci Patris Dominici, ac cæterorum sunt arma regalia, arma onerosa, ac fortia, qui autem frigidus est, nec ex animo cuncta renunciare proponit, melius faceret his armis regalibus non indui, sed facilẽ ac cõmunem legem Dei suscipere, cum illa enim facilius saluabitur,

Religiosa vita periculosa negligentibus.


1. Reg. 17.

tur, ac diabolum superabit, quã cum Regalibus armis Religionum. Vt enim dicebã, quo status, & locus altior est, eo periculosior est, eo ruina ex illo peior, ac fœdior. Docuit hoc idem D. Bernar. serm. de tribus ordinibus Ecclesiæ ad patres in capitulo facto tom. 1. vbi inter alia de statu Religionis, ac Religiosorum sic inquit: *At continentium quidem ordo, & ponte pertransit quod iter breuius, & facilius, & securius esse, nemo est qui nesciat. Sed omitto laudes, pericula magis ostendo, hoc enim multo melius, atque vtilius est. Recta quidem semita vestra charissimi, & securior coniugatorum via, non tamen omnino secura, timendũ enim periculum triplex, id est, ne forte aut æquare se alteri, aut respicere retro, aut certe in medio ponte stare, aut residere quis velit. Neque enim vllũ ex his tribus pontis patitur angustia, & arcta via quæ ducit ad vitam.* Hæc ille. Oportet igitur, assimilari homini qui ascendit per loca alta saxosa, scopulos & similia, hic namque manibus ac pedibus etiam reptat attentissime: eo nempe modo quo 1. Reg. 14. quando Ionathas & armiger eius decreuerunt ascendere ad stationem Philistinorũ qui erãt positi in loco alto ait Scriptura ante locum prædictum in quo erant Philistini, fuisse eminentes petras ex vtraque parte, & scopulos quasi in modum dentium hinc inde præruptos, per quos Ionathas transiens, ait textus: *Ascendit autem Ionathas manibus & pedibus reptans, &c.* Hoc autem quod ibi historialiter gestum est, moraliter à professore oportet fieri. Religio scala est, vt diximus, scalam ascendens, & in scala residens pedibus ac manibus scalæ nititur, & illam apprehendit. Præterea sæpius in Religione exurgent scopuli, & petræ eminentes, quasi rupes laborũ, ac difficultatum: optimus ergo Religiosus similis Ionathæ, si vitiorum, ac difficultatum stationem superare desiderat: pedibus ac manibus moraliter reptet, pedes inquam & manus animæ nũquã à sancta operatione retrahat: eosdẽ pedes, & manus animæ attentissime figat, ne cadat à tãta perfectione tãto cũ periculo. Fixam ante oculos habeat illam Pauli sententiã, & monitionem ad Philip. 2. *Cum metu, & tremore vestrã salutẽ operamini.* Non solũ enim metũ, sed & tremorẽ illis cõmendauit, vt cautissime, & attẽtissime ambularẽt. Quod si sæcularibus adeo necessarium est ambulãtibus per plana, multo magis conuenit vt fiat à Religiosis, per scalam, per scopulos, per accliues rupes ascendentes. Quod si faciant hic gratiã, & in alio sæculo consequentur vitam æternam

1. Reg. 14.

Philip. 2.

æternam in professione promissam. Ad hoc enim Christus Dominus apparet in fine scalæ siue Deus opt. Max vt scilicet professus sciat quod si prædictam scalam perfecte, & intrepide ascenderit ille cum corona in fine vitæ expectat paratus coronare in Religione perfecte pugnantem, Amen.



SERMO II.

PRO EADEM MONACHI PROFESSIONE.

Vouit etiam votũ dicẽs: Si fuerit Deus mecũ, & custodierit me in via per quã ego ambulo, & dederit mihi panẽ ad vescendũ, & vestimentũ ad induendũ, reuersusque fuero prospere ad domũ patris mei, erit mihi Dominus in Deum, &c. Gen. 28. *Gen. 28.*

Sãcti legis nouæ fortiores, & maiores sanctis legis veteris.

EX Sacra scriptura colligitur quod Sancti legis nouæ, cõmuniter loquẽdo, sunt fortiores, sanctiores, & proinde maiores quã fuerint sancti legis veteris. Hoc ego primo conijcio ex illo dicto Ioan. 10. â Christo Domino. *Ego veni vt vitã habeãt, & abũdantius habeãt* Qui locus cõmuniter exponiatur de maiori gratia in lege noua data per Christũ Dominũ, vt sit sensus, Ego veni vt per incarnationẽ, & passionẽ meã homines legis nouæ, non solũ gratiã obtineant, sed etiã maiorem gratiã, & abundantiorẽ assequãtur, quã homines legis veteris, siue quoad gratiã habitualẽ iustificantẽ siue quoad gratiã auxiliantem. Cuius rei causam etiã tetigit Diuus Paulus ad Galat 4. vbi

Ioan. 4.

Galat. 4.

vbi sacramenta legis veteris circuncisionem scilicet, & si quæ erant alia, vt reuera erant: *Sacramenta in quam hæc vocat Paulus infirma & egena:* neque enim cõtinebant, neque causabant gratiã, vt latius à Theologis disputatur. Idque ratio naturalis suadere videtur, cũ enim tũc redẽptio nõ esset consummata, sed gratia tũc daretur quasi sub pignore futuræ redẽptionis, nõ adeo copiose dari debuit. quẽadmodũ dari dignũ erat post Christi Domini aduentũ opere iã redemptionis consummato, per cuius merita iam patri exhibita, nobis gratia habitualis & actualis confertur. Hinc videas, vt plurimũ, Sanctos legis nouæ feruẽtiores in rebus tẽporalibus despiciẽdis propter Deũ, fortiores in laboribus perferendis & in cæteris actionibus meritorijs vt plurimũ extitisse perfectiores. Exemplũ habemus præ manibus in sancto Patriarcha Iacob, qui (licet aliàs sanctissimus) in hoc tamen voto hic emisso, multũ exceditur à votis Religiosorũ, quæ hodie nouus professor debet emittere. Imprimis enim Iacob hic vnũ tantũ votũ emisit: Religiosus vero Euãgelicus, nõ vnũ sed tria simul deinde Iacob votum emisit non absolutum, sed conditionale, vt dicunt: ***Si Dominus dederit tale vel tale, erit mihi Dominus in Deũ,***

Votũ Iacob confertur cũ voti ; Religiosorũ.

vota autem conditionalia non sunt adeo pura, & respicientia honorem tantum eius cui vouetur; quin etiam respiciant bonum vouentis. Tertio denique cõditiones appositæ omnes vergebant ad bonũ tẽporale Iacob vouentis, si nẽpe Deus eũ liberaret à periculis, itineris, cibũ, & potũ præberet, & in domũ paternã reduceret, quorũ nihil prætẽdit professor Euãgelicus, imo illorũ omniũ fere possessionẽ renũciat, vt clarius in sequẽtibus videbimus, singillatim singula persequendo, ordine quo posita sunt in textu. ¶ Tres ergo cõditiones Iacob præmisit, & postea votũ emisit. Prima cõditio fuit, vt eũ Dominus à periculis itineris liberaret. Secũda vt cibũ, ac vestitũ præberet. Tertia vt ad domũ patris reduceret. Tunc votũ emissum, fuit quod Deum speciali modo coleret, & locum in quo erat in Dei honorem consecraret, videlicet, quod lapis erectus, & vnctus vocaretur domus Dei. Et præterea quod de vniuersis rebus temporalibus sibi à Deo dandis, decimas seu decimam partem redderet eidẽ Domino. Religiosus vero noster, non vnum sed tria vota absoluta, absque cõditionibus, & de re maiori vouet Deo, vt iam cõparatione exponimus.

Votum Iacob tres conditiones continens.

Prima ergo conditio à Iacob voto

voto præfixa fuit, vt eum Dominus à periculis corporalibuss itineris liberaret. Cui cōsonat magnus ille pauor quo idem Iacob infra cap 32 fratris iră pertimescebat, & pro quo tot, ac tanta patrauit. In hoc porro timore periculorū tēporalium, tū Iacob, tū patres illos antiquos à professoribus, & sanctis Euangelicis videas superari Cōsidera animū intrepidum Sanctorum testamēti noui, circa labores. & cruciatus perferendos: inuenies vnum Ignatium timentē sibi leones placatos fore: ac de illis dicentem: *Vtinā fruar bestijs, quæ mihi sunt præparata, quas & oro mihi veloces esse ad interitū. Quod si venire noluerint, ego vim faciā egome vrgebo vt deuorer.* Et paulo infra (in lectionibus Breuiarij *ignis crux, bestiæ, cōfractio ossiū, membrorū diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant tantum Christo fruar.* Inuenies præterea alterum laurentium, in medijs flammis quasi irridentē Tyrannum, eūq; segnem ad torquendū arguentē, & ad maiores in se cruciatus exercendos, dum dixit intrepidus: *Assatum est iam versa. & manduca:* Quæ verba D Leo Papa ad eūdē sensum exponēs contra tyrannū ait *Tu deficis flammis tuis* Innumera huius rei possemus afferre exēpla maxime puerorū, ac fæminarum debiliū ad martyriorū loca

Ignatij martyris cōstantia.

confugientiū, ne in martyrij corona præteritētur. Nec solum in martyrio, sed etiam in infirmitatibus videas admirabilem patiētiā, maxime legatur Antoninus p. 3. tit. citās memorabile illud, matronæ cuiusdam Bonæ, vocatæ, quæ Romæ graue vlcus ad mamillas habens, scatentibus in eo vermiculis, quibus mire angebatur: cū ad illam beatus Pater Dominicus accederet, eamque rogaret, vt sibi vnum vermiculum ostenderet: illa facere recusauit, nisi sub obtestatione, quod illum sibi redderet, vt in idem vlcus reduceret, quò posset pati propter Deum. Receptus porro vermiculus in manu patris Dominici in lapidem preciosissimum versus est: & paulo post in pristinum vlcus intromissum, fuit vermiculus redditus. Et vt de historijs taceamus, Scripturamque Sacram proferamus Actor. 5. Apostoli: *Gaudentes ibant à conspectu Concilij quoniam digni habiti sunt pro Christo Domino contumeliam pati:* Videbimus Paulum 2. ad Corinth. 12. vbi libenter dicit: *Se gloriaturum in infirmitatibus suis vt inhabilitet in illo virtus Christi.* Denique videbimus eundem Paulum aliud iter aggredientem Actor. 20. versus Ierusalem. Multo maiori animi constantia, ac fortitudine iter arripuisse quam Iacob: Hic enim vt vidimus

Mira patientia fæminæ bonæ.

Actor. 5.

2 ad Cor. 12.

itineris pericula metuens pro liberatione votum vouit. Paulus prædicto loco Act. 20. sic inquit: *Ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalē, quæ in ea ventura sint mihi ignorans nisi quod Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur dicēs quoniā vincula, & tribulationes Ierosolymis me manēt, sed nihil horū vereor nec facio animā meā pretiosiorē quā me, dūmodo consumem cursū meū &c.* O animū intrepidum, o constantiam Euangelicam! Hæc eadem verba necesse est proferātur in corde à nouo professore, facto enim ac rebus, ille eadē subindicat. Nouū enim hoc, ac difficile iter Religionis ingrediēs intrepido animo sicut Paulus dicere debet· *Ecce ego alligatus spiritu* Et recte quidē, nā talis via, & tale Religionis propositū homini nō venit in mentē nisi ex impulsu Spiritus sancti. *Vado in Ierusalē.* Religio enim Ierusalē terrestris dici potest, visio pacis, ciuitas sancta, & cætera quæ de illa sancta vrbe quondā dicta sunt, *quæ in ea ventura sint ignorās*, hoc professus partim dicere potest, quia pēdet ex prælati volūtate ad nutū illū præcipientis: partim iā potest coniecturare ex ijs quæ per annum expertus est. Hoc tamen certus sit, quod *vincula & tribulationes illum manent in Religione.* Vere enim tria vota vincula sunt, & cōpedes. quāuis sint aurea vincula propter Deum recepta. Tribulationes etiam paratæ sunt profitenti nouo, non enim possunt non euenire molestiæ, ac corporales tribulationes illi qui tria vota, & monasticas obligationes debet implere. His tamen non obstantibus intrepido animo professus cum Paulo, non liberationem horum postulare debet; sed cum eodem Paulo intrepide dicere: *Nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiorem quam me.* Id est, non æstimo vitam corporalem, (quam scio per labores ordinis minuendam, & aliquando periclitaturam) non inquam illam æstimo plus quā animam, de cuius tantum salute curare decerno, & cursum meum in vita Religiosa quam voueo, consummare.

De secunda conditione voti Iacob scilicet, si sibi panem & vestimentum ministraret: nihil est differentiæ inter Iacob, & nostrum professorem quoad substantiam: sed solum quod Iacob quidem illud in voto suo inclusit: eius memoriam faciēs, ac petens. Professor autē Euangelicus quasi maiori spe & confidentia in Deum sperans, nihil petit, nec de cibo, ac potu mentionem facit, certo sperans Deum in necessarijs vitæ non sibi defuturum. Absolute vouet

Votum Iacob docet vt paucis contéti simus.

uet, obedientiam, paupertatem, & castitatem, quæ omnia in Dei cedunt obsequium: de suo commodo, neque quidem de cibo omnino ad vitam necessario, aliquid curat. Quoad substātiam vt dixi, nō est taxandus Iacob imo laudandus, imo imitādus à professore Euāgelico: non enim Iacob delicias petijt, neq; abūdantias, neque itē paupertatem recusauit, vt postea nepos illius Salomon fecit, Prouer. 30.

Prou. 30.

Petens ne paupertatem, nec diuitias illi daret Deus, vbi ad minus paupertatem recusauit: Sanctus hic Patriarcha, nec diuitias petijt, nec paupertatē recusauit, sed potius ad illam inclinans Frugalis satis, parcus, & modestus solū panem quo sustentetur, & vestimentum quo operiatur à Domino postulat. In quo frugalitatis exemplum Religiosis præbet, eosdem docens quam paucis cō tenti esse debeant pane scilicet ad vitam, & vestimento ad nuditatem reparandas Eandem doctrinam Paulus Doctor gentiū postea tradidit 1. ad Timoth. dicens hoc modo:

1. Tim. 6.

Est quæstus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur his contenti simus, &c Hæc fili mi, in tota hac Religiosa vita, sit tua sup-

Religiosus pane & vestitu diues.

pellex, hæ tuæ diuitiæ, panis ad edendum, & vestimentum ad operiendum: his sis contentus, quoniā his eris diues. Vide rationē quā Paulus indicat, vt hoc tātum contenti simus, quia scilicet nihil intulimus in mundū, & nihil ab eo nobiscum deferre poterimus: hæc consideratio si fixa in cordibus nostris permaneat, facile erit prædicto Pauli consilio stare, vt solo pane, & vestitu simplici contenti simus. De hoc Diuus Augustinus serm. 205 de tempore cum retulisset verba Pauli eod. cap. 6 præcipe diuitibus, &c dicit: *Quid habet diues, si Deum non habet? & quid non habet pauper, si Deū habet:* Clarius autē D. Ieron explicans illa verba Psal. 76. *Vox tonitrui tui in rota*, & ad hoc intentū applicās, de solo pane ac vestitu sic scribit: *Rota modico quodā vestigio stat in terra, & nō solū stat, sed quasi percurrit, nō stat, sed tāgit & præterit, denīq; voluitur ad altiora transcendit Ita & sanctus vir quoniam in terra est, necessitatem habet aliqua de terrenis cogitare, & quando venerit ad victū & vestitum, & cætera huiusmodi habens victum, & vestitum his contentus est, & tangens terram, ad altiora festinat* Hæc Ieron. Talis ergo debet esse Religiosus: in rota continua chori, & cæterarum actionum Monachalium, posita est vita illius: sit ergo

Psal. 76.

etiam ille vt rota, puncto solũmodo necessitatis illam terram tangat, de illa tantum victum & vestitum sumat: in illa nõ quiescat, & statim ad altiora mente & cogitatione consurgat.

In tertia conditione voti Iacob, de reductione scilicet illius ad domum paternam, non concordat nouus professus cum illo: imo altius consurgens virtualiter vouet oppositum, dicens: ex nunc patrem, matrem, cõsanguineos & omnia sæcularia renuncio, & contemno. Hæc est enim perfectio consiliorũ Euangelicorum supra legem veterem, vt scilicet illa omnia prædicta relinquat: iuxta Christi Domini consilium Matth. 19. *Promittentis centuplum & vitam æternam ijs qui prædicta reliquerint.* Et iuxta illud eiusdem Christi Domini Matth. 10 *Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filiũ aduersus matrem suã.* Denique iuxta illud Psalmi 44. maxime Religiosis applicatum. *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Ecce adolescentulum imbelem & imberbem animo intrepido superantem Patriarcham Iacob septuagenarium, hic enim pro domo paterna suspirat, noster adolescentulus paternam domum contemnit, & reijcit. Nec mirum dilectissimi si nunc adolescentulus adeo fortis sit,

Matt. 19.
Matt. 10.
Psal. 44.

tunc autem Iacob quasi in hoc infirmus. *Tunc enim nondum Iesus cœperat pauere, & tædere sicut in lege noua Marc. 14. dicitur de illo quod cœpit pauere, & tædere.* Ideo namque pauere ac timere Christus Dominus voluit, vt suo illo timore nos fortes redderet, & nunquam homines adeo fuerunt fortes, & intrepidi, nisi postquam Deus pauorem ac timorem, nostrasque infirmitates assumpsit, iuxta illud Isayæ 53. *Et liuore eius sanati sumus.* Consonant his dicta Augustini tractatu 15. in Ioann. dum explicat fatigationem Christi Ioann. 4. vbi sic scribit: *Non enim frustra fatigatur Iesus, non enim frustra fatigatur virtus Dei, non enim frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur.* Sic ille. Denique postquam infirmitas carnis nostræ verbi Domini fortitudini vnita est, plusquam leoninum robur acquisiuit, & ideo, mirum non est si in lege Euangelica, saltem in aliquibus, pueri & infantuli seniores legis veteris antecedãt. Explicatis iam tribus conditionibus in voto Iacob inclusis, veniamus ad id quod promisit.

Marc. 14.
Isa. 53.
Ioan. 4.

Duo ergo in substantia vouit Iacob sub tribus illis conditionibus. Primum fuit, quod lapis ille ibidem erectus vocaretur domus Dei, seu consecraretur domus Dei. Vnde multi

Doctores

Doctores colligunt hoc contigisse in illo monte & loco, vbi postea ædificatum est templum Ierosolymitanum (quod ad nos non pertinet), ac proinde consecrauit Iacob lapidem vel locum tantum in quo postea rediens ex Mesopotamia nouo ritu & sacrificio ibidem Deo gratus esset. Secundum promissum à Iacob fuit quod de omnibus rebus temporalibus à Deo receptis decimas Deo oblaturus esset. Et ratione horum duorum promissorum præmisit: erit mihi Dominus in Deum, id est impletis illis tribus conditionibus colam Deum peculiari cultu, & gratificatione cũ his duobus obsequijs, lapidis scilicet seu loci consecratione & decimarũ oblatione. Hæc igitur duo Iacobi obsequia professori nouo applicantes, dicimus multo excessu Iacob à professore superari. Nam quoad primũ Iacob, non se, sed rem externã Deo sacrauit locũ scilicet, vel lapidem: at Religiosus se totum, omnesque suas actiones in æternũ offert ac consecrat Deo Hoc népe est Religiosum esse, videlicet esse sacratũ, & oblatũ Deo, vt totus dicatur esse Dei, & peculiari modo sit téplũ sacratũ Deo Hoc primum ostédo ex D Bern qui serm. 1. de consecrat. Ecclesiæ sic suos Religiosos alloquitur in principio

Religiosus est téplum sacratũ Deo

sermonis *Festiuitas hodierna fratres tanto nobis debet esse deuotior, quanto familiarior est. Nostra est quia de Ecclesia nostra magis autem nostra quia de nobis ipsis.* Sic ille, cum cæteris multis quibus probat Religiosos esse templũ cõsecratum Deo. Multo ergo magis est se consecrare Deo, quam rem alteram à se & externã illi offerre. Si enim iuxta D. Gregor. ad illa verba 1. Reg. 15. *Melior est obedientia quam victima.* Ideo obedientia est magis meritoria quam sacrificium, quia in obedientiæ actu mactatur, & offertur propria caro, in sacrificio autem offertur & mactatur caro aliena animalis: eodem modo cõsecratio & oblatio propriæ personæ quę fit à Religioso, erit Deo magis accepta, & magis meritoria, quã oblatio, & cõsecratio lapidis ac domus externæ. Hac de causa cũ magna cõfidẽtia quisque Religiosus dicere Deo debet, ac potest *Tuus sũ ego, saluũ me fac.* Ps. 118. peculiari enim iure Religiosus est totus Dei, ob cõsecrationẽ, & oblationẽ sui totius Deo factæ. Duo tamẽ hinc restãt aduertenda, primum est, quod eo ipso quod totus est Dei, & templum illi dicatũ iam non potest esse mũdi, & obligatus manet ad ita viuendũ, & incedendum, tãquã templũ perfectissimũ, & dignissimũ Deo. Si ergo Religiosus *Psal.* 118.

totus

totus est Dei, nihil sit diuitiarũ, nihil sit ambitionis, nihil sit mũdi iam enim tunc furatur, & se, Deo cuius est subtrahit Eodem modo si templum est Dei, & Ecclesia illi dedicata, videat quid Apocal. 21. dicatur de Ecclesia sponsa, quam vidit Ioan. *A Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Legat Religiosus D. Ambros super Psal. 118. ad illa verba. *Tuus sum ego, saluum me fac*, vbi sic ait. *Satis rarus est qui potest Deo dicere tuus sum. Ille enim dicit, qui adhæret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non nouit. Nunquid hac voce vtitur auidus pecuniæ, honoris & potestatis? Non potest dicere sæcularis, Tuus sum. plures enim Dominos habet. Venit libido & dicit, meus es, quia ea quæ sunt corporis concupiscis. Venit auaritia, & dicit: Argentum, & aurum quod habes seruitutis tuæ pretium est: possessio quam tenes, iuris tui emptio, venditio libertatis tuæ est. Venit luxuria & dicit meus es: venit ambitio & dicit plane meus es. Nescis quod ideo imperare alijs te feci vt mihi seruires? Veniunt omnia vitia & dicunt singula, meus es Quẽ tanti competunt, quã vile Mancipium est?* Sic ibi elegantissime Ambrosius cũ alijs multis quæ citare volui, vt moneatur quicunque professus qui eo ipso quod per professionem Deo consecratus est, & totus effectus Dei, quales non sunt sæculares, videat idem Religiosus: ne per affectionem malam fiat possessus â mundo, à vitijs & cæteris de quibus ibi eleganter Ambrosius. Secundum aduertendum est: quod eo ipso quod Religiosus totus est Dei, confidat quod peculiaris cura Deo incumbit ipsum protegendi: quemadmodum eodẽ versu innuitur. Quasi enim sensus est. Causa ob quam Deus me debes saluum facere est quoniam tuus sum, idest possessio tua. insitum enim à natura est vt res quarũ iam habemus possessionem maiori cura conseruemus, ac defendamus, quam illas quibus caremus, & desideramus.

Apoc. 21.

Religiosus proprie dicere Deo potest tuus sum ego &c.

Denique quod attinet ad secundum Iacob promissum de offerendis Deo decimis rerum temporalium, quis non videat, nostrum professorem, maiorem esse oblatorem, magisque terrena despicere, quam Patriarcham Iacobum. Ita sane Iacob enim de decem partibus, ac portionibus nouem sibi reseruatis, vnam tantum Deo offerebat At noster professus nulla sibi reseruata, omnia relinquens, omnia sua habita, & habenda de rebus temporalibus Deo offert. Omnia inquam quia cum D. Petro Matth. 19. dicere debet. *Ecce nos reliquimus omnia*: Et iterum ibi à Christo Domino, renunciatio sæculi, non dimidiata acceptatur, sed

ſed totalis omnino cum dicitur, *Vos qui reliquiſtis omnia & cæt.* Nihil itaque ſibi reſeruat profeſſus Euangelicus quia ſecus faciens, iuſte ſibi timere poterit punitionem Ananiæ & vxoris illius Act. 5. qua à Deo puniti ſũt, eo quod habentes votum paupertatis, (vt omnes doctores fere, ad citatũ locum exponunt) aliquid pecuniæ de agro vendito ſibi reſeruarunt. Timere etiam poteſt ne fiat ſimilis Iudæ, qui poſt rerum omnium dimiſsionem, pecunijs iterum intendit, illasque procurauit. Et huc etiam adhuc ſpectat dictum Ambroſij ad citatũ verſum Tuus ſuus ego, ſic dicentis. *Ille ergo dicit Tuus ſum, qui poteſt dicere ecce omnia reliquimus, & ſecuti ſumus te. Apoſtolorum itaque vox iſta eſt, nec omnium tamen Apoſtolorum: Nam & Iudas Apoſtolus fuit & cæt.* Vbi quamuis Iudam ob aliam cauſam dicat nõ fuiſſe verum Apoſtolum, ob hanc etiam tamẽ illam notam incurrit, quia ex animo non omnia dimiſit. Explicauimus huiusque votum Iacob conditionale, illique antepoſuimus tria vota abſoluta profeſſoris Euangelici, declarantes quid in illis promittatur, & quãtæ ſint perfectionis: quantique meriti materia: reſtat vt ad illa emittenda accedatur.

Act. 5.

Religioſus nihil ſibi reſeruare debet de temporalibus.

Hic fiat profeſsio, qua finita dicat.

Ecce tibi hodie quaſi per cõtractum in remunerationem votorũ ego (vel prælatus) in perſona Dei promitto tibi vitam æternam. Si autem à me petas: & quomodo poſſum certificari quod propter horum votorum impletionem mihi dabitur hæc vita æterna modo promiſſa? Reſpondeo figurari hanc promiſsionem, & quæſtionem in eo quod contigit Abrahæ Gen. 15. Ibi enim, cum illi dixiſſet Deus: *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldeorum, vt darem tibi terram iſtam, & poſsideres eam.* Cui cum Abraham reſponderet: *Domine Deus, vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim eam.* Iuſsit illi Deus vt ſumeret vaccuam triennem cum alijs animalibus de quibus ibidem: eademque animalia diuiſit per medium in duas partes, & vtrasque partes contra ſe altrinſecus poſuit: & poſtea lampas ignis tranſibat inter diuiſiones illas: ſtatimque ſubdit, *In illa die pepigiſſe Deum fœdus cum Abraham.* Quam cæremoniam, & animalium ſectionem, doctores ad illũ locum explicantes, dicunt, in more poſitum fuiſſe apud Hebræos, quando fœdus cũ aliquo feriebant, occidere aliquod animal, & ſecare in duas partes easque ſeparatas collocare, & inter vtranque tranſire, tanquã talem ſibi cædem, & ſectionem impre-

Geneſ. 15.

Imprecantes, si fœdus illud violassent. Qui etiam mos apud gentiles vigebat, iuxta illud Virgilij Æneidos 8.

Et cæsa iungebant fœdera porca.

Intentum igitur Dei cum Abrahamo in illa animalium sectione, præcedente promissione diuina fuit hoc, quasi Deus diceret. Ego tibi aliqua iam præcepi, vt egredereris de terra tua & cæt propter quæ, quasi in modum præmij hanc terram tibi, & semini tuo promitto. Petis â me signum seu Arrham huius promissionis: Respondeo, feriamus pactum & fædus per animalium sectionem, & stet obnoxius pænæ ibi significatæ, qui fædus violauerit Itaque intentum Dei illa cæremonia fuit monere Abrahamũ, vt staret promissis, diuinoque præcepto obediret, & tunc de promissione terræ prædictæ non dubitaret: quoniã ex parte Dei non poterat defectus contingere. Eandem historiam ac responsionem tibi o professor applico. Hodie tibi dicit Deus. Ego eduxi te de Vr Caldæorum, id est de mundo: & promitto tibi vitam æternam. Si dubitas de promisso ex parte Dei, scito, te per hæc vota cum illo inijsse contractum; tu enim promittis, ille acceptat, & vicissim promittit. Sta igitur pro

Professio est pactũ, & fædus cum Deo initum.

missis à te ne deficias in ijs quæ modo promisisti; & sta securus quod pactum, & fædus initum non poterit violari. Memor esto votum magis obligare quam iuramentum, sic enim docet D. Tho. 2 2. q 89. art. 8. cum doctoribus communiter fere illum sequentibus. Vide ergo quã graue peccatum sit iuramentum falsum: peius ergo est votum falsum, seu votum non impletum.

Votũ plus obligat quam iuramentum.

Sufficiat vnus locus Ierem. 34 Vbi Deus comminatur ijs qui quoddam sibi promissum, vel contractum cum Deo initum, non obseruarunt; id quod agit, alludens ad cæremoniam iam explicatã de animalium sectione. Sic ergo citato loco Ieremiæ scribitur. *Et dabo viros qui prauaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo*, Et paucis interiectis. *Dabo eos in manibus inimicorum suorum, & in manus quærentium animam eorum, &cæt.* Caue igitur ne sis infidelis promissis, si vis cauere supplicium in præsenti, & in futura vita.


Ierem. 34.

Sta promissis tuis de votorum obseruatione. Deus enim stabit suis de redditione vitæ æternæ.

Amen.

†

SER-




SERMO III.

IN EADEM PROFESSIONE MONACHI.

Creuit igitur puer & ablactatus est; fecitque Abraham grande conuiuium, in die ablactationis eius. Gen. 21.

Genes.21.

Ablactari puerum à lacte necesse est, ne euadat stolidus & imbecilis.



Rancifcus Vallesius cap. 38. de sacra Philosophia scribit, puerũ qui à matris lacte non fuerit amotus congruo tẽpore, euadere stolidum, debilem ac mollem, eo quod lac sit cibus humidus ac tenuis Variant autẽ doctores in assignando tẽpore, quo consueuerunt parentes in lege veteri infantes ablactare: alij enim dicunt fuisse in trienio, alij in quinquenio, alij in anno duodecimo: qui vero ablactationem pueri in anno duodecimo constituebant, eam sic explicabant: vt talis tunc ablactatio, non esset amotio à lacte, quod iam puer non sugit, sed esse ablactationem à moribus, exercitijs, & curis puerilibus, & translationem ad mores perfectiores, ac viriles De quibus videatur inter alios Pineda de rebus Salomonis lib. 1. cap. 17. & Pereira ad hunc locum Genes. fuisse porro consuetudinem conuiuandi, lætandi, & epulandi in die quo puer ablactabatur refert Pineda citato cap. & ex præsenti facto Abraham colligitur Causas vero ob quas in tali ablactatione parentes lætabãtur, & conuiuia

Consuetudo ablactãdi infãtes.

facie-

faciebāt; duas inuenio, quæ fere in vnam coeunt. Prima eo quod iam puer per se comedere incipiebat in dependens á cura nutricis. Secunda, eo quod iā puer ætate proficeret, aptusque esset ad vitæ actiones & exercitia per se subeunda. Quibus addi potest, lætatos fuisse tunc parentes, eo quod filij iam apti essent ad solidos, ac duros cibos gustandos, laboresque, & verberationes tolerandas. Hanc vero ablactationem pueri Isaac, non tam fuisse à lacte, quam à moribus puerilibus, & exercitijs infantilibus & proinde factam in anno non tertio, sed forte duodenò, indicat Ambros. lib. 1. de Abrahā cap. 7. sic scribens. *Non mediocre istud nec vsitatum. Non enim quia à Nutricis lacte subductus est puer, magnum conuiuium exhibuit Abraham: sed quia idoneus habitus est Isaac fortioris gratiæ cibo, & virtutis alimento: non adhuc, vt Corinthij, lacte potandus, sed epulis solidioribus mandatorum cælestium mentis suæ lacertos firmans.* Hæc ibi. Quadrant hæc omnia præsenti actui, in quo habemus adolescentem à lacte mundi ablactatum, & ad solidiorem cibum, doctrinamque monasticam translatum: Habemus & parentes illis conuiuium huic conuentui exhibētes in die huius ablactationis. De vtroque autem fusius sic disputamus.

Professio est ablactatio à lacte mundi.

Quod ergo parentes de filiorum ingressu in Ordinem, ac pro fessione lætari debeant, & conuiuari, non autem tristari, quantumcunque filij sint maiores natu & cæteris perfectionibus præditi: deduco primo ex ipsa significatione nominis. Nam filij aliàs in latino idiomate communiter vocantur, pignora sicut est notissimum: iam vero quando quis apud aliquem deponit pignus, simpliciter, non donat tale pignus recipienti, sed solum ad tempus deponit, vt cum placitū fuerit ipsi deponenti, pignus repetat, sine eo quod de tali repetitione possit conqueri qui receperat Cum ergo filij sint pignora à Deo deposita apud patres, non absolute donantur filij parentibus, sed apud illos deponuntur, vt quoties Deo placitum fuerit illos repetere, id possit facere absque parentum iusta querella. Repetit ergo Deus filium ad mortem, quæ causa querellæ est parentibus? Pignus est, non possessio. Repetit Deus filium ad Religionem, quid queruntur parentes, quid causantur, quid indignantur? Filius est, pignus est, sibi repetijt Deus pignus suum. Huc videtur alludere illud dictū Sancti Augustini serm. 1. de Sanctis Infantibus Innocentibus, scilicet, *Pignora sunt, non credita sed creata.* Quæ sic debent exponi. O ma-

Parentes lætari debent de monachatu filiorū, nō tristari

Filij sunt pignora: & quid hoc significet expli catur.

Innocétes infantes quo sentu dicti sint ab August.

Pignora.

O matres horum Infantium, grandes clamores, & querellas in cælum extollitis ob filios crudeliter vobis ereptos: in quo assimilamini ouibus pro ablatis agnis lugentibus, non est quod cõqueramini de horum filiorum ablatione quos Deus per martyrium ad se voluit repetere, nam hi filij vestri, absolute non erant vestri, erant pignora, non vobis credita, idest non vobis donata absolute, sed erant pignora creata, quia scilicet Deus illa sibi creauit, vt per sanguinis effusi coronam illos ad se assumeret: hunc eundem sensum habēt sequentia verba Augustini, dum ait, *Filios illos fuisse pignora, non deposita, idest absolute data, ac donata, sed exposita morti inferendæ per Herodem in laudem Christi.* Idem omnino dici potest parentibus inquietis ac tristibus ob filiorum Monachatũ, assumit illos Deus ad suum obsequium, & ad suũ quasi incruentũ martyrium Religionis: pignora erant, à Deo, creata sibi, & exposita huic martyrio: quid tristamini, quid clamores ingeminatis ad cœlum, cõtra prælatos illos recipientes. Si filius vester Adamaret mulierem sibi æqualem extra matrimonium, cum qua & Deũ offenderet, & mortis periculum subiret, non doleretis non resonarēt vestræ querimoniæ, & tamen si Deo dicari vult, & Deũ diligere, ibique in Religione seruire indignamini, ac tristes estis: Optime de hoc D. Ambros. libr. de Virginibus. Carpens Matres ob filiarum castimoniam, ac virginitatem tristes, ac nolentes illas fieri Moniales sic scribit *Nempe si hominem amarent filiæ vestræ, per legem possent eligere quem vellent: quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? &cæt.* De his talibus vere dici potest quod malũt filios bonorũ temporalium habere hæredes, ac possessores, quã pro peccatis suis apud Deum intercessores. Colebant AEgyptij Crocodilum pro Deo vt notum est in historijs, & Hieroglificis Pyerij: si quando tamen contingeret quod hæc fera pessima Crocodilus, filium alicuius voraret, nefas erat, & grande piaculũ talem filium lugere, imo gaudebant eo quod filius à Deo voratus esset. Quid ergo faciunt parentes crudeles, filios, ac filias lugentes, eo quod Religiones intrent, & à Deo Opt. Maximo, non vorentur, non occidantur, sed viuificentur, sed meliorētur, sed quasi ad cælum regenerentur? Legant hi epistolam 192. D. Bern. aduersus quendam innominatum, qui Nouitium á proposito Monachali fuerat dehortatus, ibi enim multa satis illi exprobrat, sic præcipue dicens.

Crocodilus, Deus AEgyptiorum, filius eoũ deuorans, non accusabatur.

Non

Nouitiũ à Religione dehortari culpa grauis est.

Non sufficiebant tibi peccata tua, nisi te & alienis inuolueres, & rursum ad peccata, quod in te fuit, pœnitentem iuuenem reuocares. Sic ille. Legant eundem Ber. adhuc elegantius epistola 111. quam ipse scripsit nomine cuiusdam sui nouitij ad parentes illius, eundem Nouitium inquietantes, ac suadentes ad mundum regressum: inter alia enim sic illos alloquitur in persona Nouitij. *Si diligentis me, gauderetis vtique, quia vado ad meũ, atque vestrum imo vniuersorum patrem. Alioquin quid mihi & vobis? Quid à vobis habeo nisi peccatum, & miseriam Hoc solum quod gesto corruptibile corpus de vestro me habere fateor & agnosco. Non sufficit vobis quod me in hanc sæculi miseriam, miseri miseram induxistis? &cat.* ibidem.

Parentes lætentur de feriorũ laboribus pro Deo susceptis.

Causam vero ob quam parẽtes lætabantur in ablactatione filiorũ applicantes ad professum dicimus; illos quidem lætari solitos ex eo quod iam filios haberent aptos ad solidiores cibos, & proinde ad labores perferendos. Si autem illi sic gaudebant de filijs aptis iam ad labores corporales, & humanos, & ordinarios: quid non glorientur multo magis in professione filiorum cum eos iam vident & aptos, & alacres ad labores propter Deum in Religione intrepide perferẽdos? Mitto multos Patres, ac Matres qui læto animo filiorum mortẽ audierunt, & susceperunt, scientes illos in bello pro patria fortiter occubuisse, de quibus historiæ prophanæ produnt: de parẽtibus Christianis lætanter ferentibus labores filiorũ pro Christo D. patientium, duas matres in exemplum adduco: primã illam inuictam matrem septem filiorũ Machabæorum lib. 2. Matth. c. 7. 2. Matt. 7. quæ plusquam virili animo eosdem filios hortabatur ad mortes acerbissimas tolerandas propter Deum, illorumque quasi in constantiam timens, miris verbis incitabat dicens. *Non enim spiritum & animam ego donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego compegi, sed mundi creator qui formauit hominis natiuitatem, &cat.* Et Paulo ante, habentur hæc verba. *Singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia, & fœminea cogitationi masculinum animum inserens dixit ad eos, &cat.* Secunda fæmina sit illa Beata fælicitas de qua & historia, & B. Gregor. hom. 3. in Euang. multa prodiderunt Inter alia vero refert D. Gregor. quod hæc Beata parens septem alios filios ad Martyrium hortata fuit, sic timens ne illos viuos in vita ipsa relinqueret, quemadmodũ carnales parentes senes timere solent ne illorum filij ante se ipsos moriantur, & hæredibus spolientur.

lientur. Videas hodie parentes aliquos, quorum filij maxime maiores natu, si forte crimina in populo committunt, quibus sint per leges plectendi, qualia sunt duella, adulteria, ac similia non indignantur, non parcunt expensis illis, imo aliquando lætantur, eo quod filij viriliter, & vrbane egerint: & omnia sua consumunt pro illis facinoribus in Dæmonis obsequium patratis: si vero contingat eosdem de Monachatu cogitare, quid non faciunt, quid non tentant vt eos â sancto proposito deterreant? Sufficiat videre quid fecerint in hoc, parentes, vel fratres Angelici doctoris Thomæ Aquinatis, qui cum à Religiosis Patris Dominici deferretur, vt habitu Religionis vestiretur: à fratribus in via de illorum manibus vi raptus est: & domum reductum, mireque exagitatum, etiam introducta ad illum fœmina, tentarunt illius constantiam, vt propositum Religiosum deponeret

Lac significat doctrinam. Quod vero spectat ad nouum professorem, hodierna festiuitas tua est: ablactatio enim tua est, & ad te solum spectat. Quam vt melius intelligas nota, lac in sacris litteris, inter alia significare doctrinam, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 3 *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Sic ibi Quemadmodum enim mater eo lacte quo abundat, reficit, ac nutrit corpus infantis: ita Doctor, seu Magister doctrina illa qua abundat, reficit mentem discipuli Vnde, vt obiter dixerim, hac etiam forte de causa Diuinus ille Paulus, qui plusquam omnibus alijs Apostolis doctrina abundauit in Ecclesia Dei, in abscisione sui capitis simul cum sanguine lac fudit vt produnt historiæ, in testimonium quod caput illud doctrinæ lacte refertum erat, quod doctrinæ lac ille abundantius omnibus exhibuit, ob quam causam nos aliquando de illius capite sic diximus.

1. Cor. 3.

Caput D. Pauli cur lac fuderit in decoliatione.

Quid nisi lac fundat, doctrina lacte redundans,
Et plenum Aethereo nectare, grande caput?

Cũ igitur lac doctrinã significet: & professus statũ Monachalẽ dicatur ablactari: nihil aliud significat, nisi quod per huius status assumptionem, omnis doctrina mũdi qua hucusque lactatus erat, prorsus dimittenda sit, & post tergũ mittẽda vt denuo regulari disciplina imbuatur. Est mũdus vere synagoga Sathanæ, similis illi de qua scribitur Apoc. 3. Episcopo Philadelphiæ Et enim

Apoc. 3.

Professus lac mūdi reijciat, quod est mores nociui.

in mundo docentur omnia genera vitiorum, ibi docetur ambitio, auaritia, gula, luxuria, & quidquid vitiosum est, ibi docetur, ita vt possit merito vocari mundus schola vitiorum, synagoga Sathanæ, & in quo posita est cathedra pestilentiæ de qua Psalm. 1. E contrario vero Religio est schola virtutum; in ea enim docetur castitas, humilitas, oratio, ieiunium, & quidquid bonum, & sanctum est, ibi habet Doctores suos rude donatos, antiquos suos nempe Religiosos quamlibet virtutem publice docentes: oportet ergo, vt qui de mundo ad Religionem assumitur, mundi doctrinam dedoceatur, illam penitus relinquat, & lac mundanum abominetur, Religionisque lacte, ac doctrina imbuatur. Et quod in mundo sint Doctores vitiorum, qui lac diabolicum propinent suis amatoribus mōstrat illud Prouerb. 1. *Si te lactauerint peccatores ne acquiescas eis.* Quod autem oporteat à mundo vocatum alio scientiæ genere instrui docuit in praxi beatissimus Paulus, qui Actor. 9. ad Apostolatum vocatus, licet alias in legis doctrina esset sufficienter instructus, quia tamen alijs forte malis doctrinis abundabat morum; ipse vocatus intellexit in illo Apostolatus officio necessariam sibi esse aliam diuersam doctrinam. Nam statim dixit, *Domine quid me vis facere?* Et ibidem statim ad Ananiam remissus est, qui illum de necessarijs edoceret. Expresse autem hoc docuit Spiritus sanctus Isayæ 28. cum dicitur. *Quē docebit scientiam, aut quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.* Optime quidem ad nostrum intentum: vis scire quem esse oporteat illum qui regulari disciplina, ac doctrina est instruendus? Oportet nempe vt ablactetur à lacte doctrinæ mundanæ, & auellatur ab vberibus mundi. Sunt in mundo Lamiæ, quæ iuxta illud Thren. 4. *Nudauerūt mammam lactauerunt catulos suos.* Lamiæ sunt peccatores mundani, qui vel doctrina, & consilijs diabolicis, vel facto suo scandaloso, nihil aliud faciunt quam nudare mammas seu vbera ad nutriendos catulos, & discipulos suos: ab his ergo mundanorum, & Lamiarum vberibus, ac doctrinis auelli oportet illos qui Religionis lacte, ac doctrina nutriendi sunt. Expresit hoc Diuus Ieronymus lib. 9. in Isayam sic scribens. *Quis dignus est doctrina Domini: Quis verbis saluatoris dicentis, qui habet aures audiendi audiat, vt quod auribus audit corde intelligat?*

Prou. 1.

Act. 9.

Isa. 28.

Tren. 4.

Mundani docentes vitia, sunt Lamiæ nudantes mā mas.

Qui

Qui nequaquam lacte nutriuntur infantiæ, sed solido vescuntur cibo qui auulsi sunt ab vbere. ij merentur Domini audire misteria, & intelligere quæ sacerdos & Propheta nesciunt, inebriati & absorti à vino, & cæt. Eleganter etiam de hoc Diuus Bernardus scripsit ad Abbatem Suggerium epistola 78. vbi referens illius ante malam vitam, & scandalosam quam habuerat; eiusque præsentem iam conuersionem sic inquit: *Quod vbi longe fecisti à te dignum te probasti oleo & lacte Sanctorum. Quærunt sibi iam in paruulis Babylonis dulces, sed truces matres, quibus lac mortis emulgeant quos blandis mulceant fauoribus, ac flammis nutriant sempiternis. Nam Ecclesiæ alumnus ex vberibus sapientiæ lactis melioris, expertus dulcedinem, iam in eo cæpit crescere in salutem, iam & ex eo satiatus eructat dicens. Meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis.* Sic ille.

Mundi sapientia, & doctrina, quæ?

Si autem quæras in particulari quæ nam sit sapientia mundi quam iuuenes hodie in mundo specialiter addiscunt, & quã Religionem profitentes debeãt obliuioni mandare? Explicauit hoc eleganter Diuus Gregorius Papa lib. 10. Moral. cap. 16. in hunc modum. *Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. Hæc à pueris pretio discitur, hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt subiecti, & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadem duplicitas munimine palliata diligitur, dum mentis peruersitas, vrbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere: adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere: irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere, cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare.* Sic ibi Diuus Gregorius. Ecce, hæc est iuuenum sapientia mundana. ista illorum vrbanitas, hæ illorum leges diabolicæ. E contra vero ibidem idem sanctus Pater docet quæ sit sapientia Sanctorum, maxime è contrario *commendat simplicitatem, ac puritatem animi, mala pro malis non reddere, nullam iniuriæ vltionem quærere pro veritate contumeliam lucrum putare, & cæt.* quæ docet eodem pertinentia. Ecce quæ sit doctrina mundi, quam omnem totaliter, & cæteras vitiosas doctrinas Religiosum decet exuere, & penitus obliuioni mandare. Et simplicitatem Religiosam, cære-

Sapientia Sanctorũ quæ?

monias ordinis quæ aliàs videbantur humiles, & indiscretæ, tota auiditate arripere, non enim malum, & indiscretum esse potest quidquid in sanctis Religionibus communiter à sanctis Religiosis practicatum est. Hanc autem mundanam doctrinam si nouus professus non exuerit, omnino nunquam religiosam doctrinam, ac scientiam poterit edoceri. Quemadmodum enim, si terra aliqua prius seminata sit, & plena multis malis seminibus zizaniorum, lolij, & similium immundiciarum, frustra post modum, eidem terræ super seminabitur bonum triticum: periculum enim manifestum est, ne mala illa semina super crescentia suffocent omnino grana tritici, & reddant infructuosa. Eodem modo si adolescens è mundo veniens intellectum plenum his malis doctrinis, ac seminibus portet, nec tales doctrinas deponat. Frustra eidem Religiosæ doctrinæ semen infundetur, periculum namque certum est, à malis doctrinæ mundanæ seminibus fore suffocandum. Quod potest etiam per comparationem colligi ex eo quod Christus Dominus discipulis dixit Ioann. 16. *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Si enim discipuli illi, non iam peccatorum doctrinis malis imbuti, sed solum affectione carnali ad Christum hominem affecti, ob hanc affectionem carnalem sanctam, non poterant penetrare, & recipere arcana illa mysteria quæ postea per Spiritum sanctum intellexerunt. Quo modo poterit mundanum cor mundano lacte, ac doctrina peccatorum redundans sanctam, & Religiosam doctrinam Religionis apprehendere? ablactari igitur ab ista doctrina oportet.

Ioan. 16.

Significat etiã lac delitias, & blanditias huius vitæ: nam lac tanquã mollis, dulcis, tener, ac delicatus cibus paratus est à natura molli, tenero ac delicato corpusculo infantis nutriendo. Dulce præterea, & suaue est lac gustatui, & hac de causa lacticinia ab Ecclesia prohibentur in prãdio ieiunij tanquã cibi delitiosi, & inepti ad maccerationem carnis tẽpore ieiunij intentã Ablactari ergo nouũ professum in Religione, est à delitijs mundi, vocari ad asperitatem, & austeritatem Religionis. Huc forte potest inseruire quod dicitur à Chrysost. tom 1. serm. de Iob & Abraham in hunc modũ: *Quãdiu imperfecti sumus nobis parcitur, quandiu lactamur, paterne fouemur* vbi

Lac significat etiam delitias dimittẽdas à Religioso.

vbi autem perfectiores facti fuerimus perfectorum certamina etiam suscipimus, dicit enim, ablactati à lacte, auulsi ab vbere, afflictionem super afflictionem sustinere, spem super spē. Hæc ille. In mundo ergo imperfecti dum existimus, fouemur paterne, blanditijs in vestitu, potu, ac cibo nutrimur: dum autem in Religione perfectiores esse incipimus, certamina duriora incurrimus, & ad laborem, & afflictionem vocamur. Et reuera ita est, non enim Religiosus ad delitias, & blandimenta vocatur, sed his spretis vocatur ad crucem, iuxta illud Christi Domini Matth. 16. *Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Cruces multæ & in Religionibus sunt, & actiones laboriosæ, ad quas Deus inuitat: vt iam in supra dictis diximus, & ad quarum supportationem patientia Religiosis necessaria est. Hæc tamen crux ad quam Religiosus vocatur, teste Bern. ser. 1. dedicationis Ecclesiæ, crux est mollis, & inuncta diuina gratia Monachum specialiter adiuuante ad prædictam crucem subleuandam quod non habent cruces sæcularium. Verba Bernardi sunt hæc. *Vos qui experti estis, ecce scitis quia vere crux nostra inuncta est, & per gratiam spiritus adiuuantis suauis, & delectabilis est pænitētia nostra, & vt ita dicam amaritudo nostra dulcissima* Hæc ille. Iam tu o noue professor experientiam habes huius crucis Religiosæ in hoc anno, ad hoc enim tibi annus integer conceditur probationis, vt probes scilicet an crucem prædictam ferre possis: vidisti, expertus es, quod cū diuina gratia poteris: & si uidē in hoc proposito perseueras, accede ad optatam horam, & in manibus meis tua vota deprome.

Matt. 16.

Crux est vita Religiosi, sed crux vncta & suauis.

Hic emittuntur vota.

SIcut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite. 1. Petri 2. habentur hæc verba quæ tibi nunc conuenire videntur. Hactenus tibi dissuasi lac, mundanum scilicet significans doctrinam, ac delitias mundi Nunc tibi cum Diuo Petro suadeo diuinæ doctrinæ, Religiosæque sapiētię lac huiusque vitæ delitias. Et imprimis reputare te debes modo genitum infantem spiritualem. Hactenus enim per vnum annum Religio ista in vtero te concepit, formauit, & spiritualia membra compegit. Hodie per professionem te parturit: & sicut infans recens natus indiget teneriori cibo, ac delicatiori, curaque

1. Pet. 2.

Professus est quasi infans spiritualiter genitus.

curaque vigilantiori, eodẽ modo recens professus indiget doctrina particulari quæ cibus est animæ, & vt de illius instructione vigilantius curetur. In alio etiam sensu prædicta verba tibi applicantur. Nam illa eadẽ verba Diui Petri intelligit & applicat Ecclesia in Dominica in Albis, ad recenter baptizatos albis vestibus indutos, indicans illorum in Christo innocentiam, puritatem & sanctitatem per baptismum acquisitam. Talis es hodie per professionem, puritatem namque quasi baptismalem assecutus es, quamuis non omnino similem. Dico non omnino similem quia professio non est sacramentum sicut baptismus: eo tamen excepto ipsa professio cũ ijs quæ hodie concurrunt, professorem reddunt similem baptizato. Nam baptizatus hoc præcipuum habet, vt omnium peccatorum, & pariter totius pœnæ peccato debitæ, remissionem accipiat. Hoc idem fit in professione. Imprimis enim semper sacra confessio, & sacrosancta communio præcedunt, quibus peccata quo ad culpam remittuntur: omnis vero pœna purgatorij debita peccatis professoris, quantacunque illa sit, per professionem condonatur. Hoc imprimis constat ex motu proprio sanctissimi D. Nostri

Professus similis baptizato

Papæ Pauli quinti, qui in die professionis Monasticæ, Professori, plenariam indulgentiã impertiuit. Constat idipsum ex D. Thom. 2.2. quæst. vltima artic. 3. ad 3 dicente per ipsum solum actum professionis (exclusis indulgentijs) remitti professori omnem pœnam in purgatorio debitam suis peccatis. Talis enim actus professionis, ait ille, excedit omne genus sanctificationis, etiam publicæ pœnitentiæ, vt habetur in decretis 33. q. 2. cap. admonere, sicut etiã holocaustum excedit sacrificium, & cæt. cuius rationem proxime ante tetigerat, dicens, *quia homo per professionem totaliter se mancipat obsequijs diuinis.* Ecce quomodo per professionem effectus es quasi infans modo genitus in teneritudine, & indigentia doctrinæ: & in puritate, innocentia, ac sanctitate quasi baptismali, & infantili. In alio præterea te video nunc similem recens baptizatis: & tibi lac denuo modo propinari, & exhiberi. Nam Tertullianus lib de corona militis, & D. Ieron. lib. contra Luciferianos, dicunt olim in primitiua Ecclesia morem fuisse, vt recens baptizati finito baptismo (maxime si erant adulti) prægustarent ibi lac, & mel. In quo significabatur, legem Christi, quam tunc profitebantur, & ipsum Christum,

Professio similis holocausto. & remittit omnem pœnam debitã peccatis.

Baptizatis denuo, olim dabatur lac, & mel. vt comederent, & ad quid?

Christum, esse dulcem, & suauē, quod videtur innuisse Diuus Petrus citato supra cap. 2. post allegata enim verba, lac concupiscite dicta baptizatis adultis, subdit: *Si tamen gustastis quoniā dulcis est Dominus.* Hoc ego idem tibi dico & propono, concupisce hodie sicut recens puer istius Religionis lac, doctrinam & asperitatem, quia lac sunt & mel ijs qui ex corde illam profitentur. *Gusta, & vide quoniam suauis est Dominus* & quod non potest prima veritas mentiri Matth. 11. promittens: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.* Concupisce inquam hoc disciplinæ Religiosæ lac, & mel, & gusta illud, verum enim tunc inuenies illud Psalm. 30. *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abscondisti timentibus te: Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum &c* Quod in particulari de Religiosis videtur assertum, in Religione à Deo absconsis, & ab hominum tumultu ac perturbatione liberos. Hæc autem dulcedo communicatur hic cum gratia, & postea consummatur per gloriam, Amen.


Matt. 11.

Psal 30.

(∵)

V 4 EXHOR-





SERMO IIII.

IN EADEM PROFESSIONE MONACHI.

Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quã monstrauero tibi faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, &c. *Gen.12.*

Genes. cap. 12.

HÆc verba, & in illis contenta, propria videntur ad nouũ professorem, cui eadem fere præcipiũtur, quæ citatis verbis continentur. Sunt autem illa tria, primo vt relinquatur patria, secundo vt dimittatur cognatio, id est consanguinei vel amici, tertio vt deseratur domus paterna, quæ tria misticã & moralem habẽt significationem varie à Doctoribus traditam, quorum sensus aliquos in professoris gratiam proferemus.

Igitur prima prædictorũ verborum, & trium ibidem contentorum expositio, est Cassiani collat.3.cap.6. vbi Abbas Paphnutius in prædictis verbis tria Religiosis contemnenda, seu facienda considerat. Primum vt vniuersis bonis temporalibus renuncietur. Secundũ vt cupiditates etiã eorũ exuantur. Tertium, vt animus à terrenorum omniũ cogitatione abstractus, ad cælestiũ, & inuisibiliũ considerationem transferatur. De primo, intelligũtur ea verba, *Exi de terra tua,* *Religioso tria faciẽda.*

tua. Id est de facultatibus huius mundi, opibusque terrenis. De secundo accipiuntur illa de cognatione tua. Id est de conuersatione, moribus, vitijsque prioribus quæ nobis à nostra infantia quasi cognata & affinia sunt. De tertio accipiuntur illa verba, de domo patris tui. Id est de omni memoria mundi huius, rerũque mundanarũ, quæ perpetuo oculis nostris occurrunt. Itaque in substantia tria illic præcipiuntur, scilicet, vt diuitiæ relinquantur, peccata vitentur, & oblitis terrenis, cœlestia cõsiderẽtur. Secũda expositio est Philonis Iudæi lib. de migratione Abrahæ tom. 1. in principio illius libri, vbi sic exponit illud. Egredere de terra tua: *Volens Deus purificare hominis animam primum offert ei perfectæ salutis occasionem, migrationem à corpore sensu, atque ratione: nam terra corpus, cognatio sensum, patris domus rationem significare intelligitur.* Sic ille. Quibus verbis rem magis cor&tans innuit, ad perfectionẽ in hac vita posibilem, requiri vt deseratur corpus, corporis voluptates, vt infra exponit, deseratur præterea sensus, seu sensualis affectus per mortificationem: ac denique vt aliquando relinquatur ratio vt quasi insipiens factus, & mundi sapientiam calcans, mundo videatur insanire, & sapere Deo. Tertia denique expositio innitens duabus præcedentibus esse potest, in prædictis verbis contineri triplicem statum Christianorum, videlicet incipientium, proficientium, & perfectorum, de quibus sæpe Doctores maxime Climacus grad. 26. Hoc nempe modo, vt incipientes denotentur in illo 1. *Exi de terra tua:* Incipiunt enim viri sancti à relictione diuitiarum vt dixit Cassianus, & voluptatum corporis vt dixit Philo. Proficientes vero innuantur, ibi: *De cognatione tua*: Proficimus enim iam in victorijs pugnando scilicet, & superando vitia, vt secundo loco tradit Cassianus, & in sensualitate mortificanda interius vt dicebat Philo. Tertio denique perfecti significantur, ibi: *De domo patris tui*: Perfectio enim in hac vita posibilis est quoad animus abstractus à cogitatione sensibili totus in Deo contemplando occupetur, illique vniatur vt dixit Cassianus: & eò accedat; vt ratione carnali relicta mundo insanire videatur vt Philo docebat. Ecce hæc est summa contentorum citatis verbis Dei ad Abraham dictis: in quibus si aduertis continentur omnia, quæ perfectissimus religiosus facere potest, ac debet. Et hæc est summa quæ nouo professo potest imperari: *Egredere de terra tua, cognatio-*

natione tua, & domo patris tui Videlicet relinquendæ tibi sunt diuitiæ, vitia, cogitationes terrenæ, corporis voluptates & aliquando ipsa ratio, si vis perfectus esse Religiosus. Dico etiam rationẽ relinquendam aliquando, neq; in hoc multum dico: Nam ille doctor gentium Paulus qui vidit arcana verba, & in cælestibus misterijs peritissimus, de se dixit, *Nos stulti propter Christum, &cat.* Itaque si bene consideres à viro Religioso ac perfecto expetitur, id quod D. Gregor lib. 31. Mor. cap 9. ait de viris sanctis ac perfectis quod scilicet viuant inter cælum & terram Illis enim applicat illud Ezech. 8 *Emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis & eleuauit me spiritus inter terram & cælum*. Non fuerit vero iniucundum Gregorij verba audire ab illo quæ sic habẽt. *Manus ergo desupermittitur, & propheta per cincinnum capitis eleuatur, quia cum nostra mens sese per custodiam colligit vis superna sensum nostrum ab infimis trahit. Bene vero inter calũ & terrã sublatũ se asserit quia quilibet sanctus in carne mortali positus, plene quidem adhuc ad superna non peruenit sed iam tamen ima derelinquit. In visione vero Dei in Hierusalem ducitur, quia videlicet vnusquisque proficiens per charitatis zelum contemplatur* Sic ille Ecce, quæ continentur in illis quæ præcepta sunt Abrahamo. & quæ perfectus Religiosus dimittere, ac facere tenetur.

Religiosus & aliquãdo rationẽ debet relinquere.

Ezech. 8.

Quot vero, & quantas difficultates Abraham superauerit in hoc diuino implendo præcepto, explicat eleganter, & curiose Chrysost. hom. 31 super Genes. sic exordiens. *Sed aduertamus quantum Imperij pondus*, & in summa difficultates erant, quod ipse iam senex erat, iubebatur in tali ætate peregrinari ad terrã sibi ignotam, relinquere patriã, amicos, circunducere secum mulierem vxorem pulchram, familiam deducere, & alere in terra aliena, & alia multa itineris incomoda quæ tamen omnia intrepido animo, sine cunctatione, sine obiectione superauit, de quo ait Chrysost. ibi. *Verum omnibus illis impedimẽtis quasi aranea tela essent, disruptis, menteque fide roborata bene fidens dignitati promittentis iter aggressus est*. In quo sanctissimus Patriarcha veræ, ac miræ obedientiæ exemplum reliquit Religiosis, non discutiendi, neque examinandi præcepta maiorum, qui enim hoc agit, vere obediens dici non potest. De quo sic ait D Gregor. in cap. 3. 1. Reg. *Qui omne iudicium vita sua maiori subdidit, in hoc solo gaudet si quod præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare quisquis perfecte didiscerit obedire, quia hoc tantummodo bonum*

Obedientiæ exemplum.

Obediens non discutit mandatum.

bonum putat si praeceptis obediat. Sic Gregor. De eadem prompta obedientia Abrahami, recte considerat Philo Iudæus lib de Abraham, haud secus reliquisse certã patriam cognationem &cæt. imperata, quam si è perigrinatione aliqua longinqua dulcem patriã redire iuberetur. Notandum vero est quod Abrahamus ad nihil illorum se voto obligauerat, vt constare potest ex sacra scriptura. Videant ergo Religiosi, qui se virtualiter, vel etiam formaliter ad dimissionem illorum omniũ voto constringunt, si perfecte Abrahamum vxoratum imitantur. Hoc vnum scio D Chrysost. citata hom 31 super Genes. pulchram hinc in omnes Christianos taxationem retorquere, sic enim ibidem scribit. *Iustus ille Abraham cum de terra in terram vocaretur, praetulit diuinæ voluntatis, & Imperij obedientiam, vt eam neque temporum difficultas, neque senectus, neque alia multa quæ eum remorari debere videbantur tardiorem ad obediendum Deo facere potuerint, sed ruptis omnibus vinculis tucurrit semper tanquam iuuenis (tametsi numerosæ familiæ oneribus impeditus esset) cucurrit inquam omnia superans atque postponens, vt quod à Deo mandatum sibi fuerat, quo ad eius fieri poterat exequeretur atque perficeret. Nos autem qui non de terra in terram vocamur, sed de terra in cælum non eandem quã ille iustus alacritatem in obediendo exhibemus, sed frigidas, & futiles plerumque prætextimus causas. Et neque nos promissorum nobis bonorum magnitudo, neque visibilium rerum vilitas, & breuitas, neque vocantis dignitas attrahit, &cat.* ibidem. In qua elegantissima sententia primo nota quod si sanctus doctor vniuersos fideles de tanta frigiditate spirituali coarguit: multo magis, reprehenderet Religiosos qui ad Abrahamum imitandum voto sua sponte se obligarunt. Secundo noto quod Chrysost. non semel dixit, scilicet Abrahamum solutis illis omnibus vinculis difficilibus obediuisse: vt interim videas multos Religiosos vilibus, ac debilibus vinculis, seu aranearum telis irretitos, tanto tepore, ac segnitie præpediri, vt perfectioni Religiosæ cui se deuouerunt non solum non intendant, sed potius ab illa distent longissime. Quod si mihi respondeant, impossibile esse hodie miseræ, ac fragili naturæ humanæ rigorem illum ac perfectionem tenere supra expositum à Cassiano & Philone, super cita verba *Egredere de terra tua*; dicam imprimis Deum non præcipere impossibilia. Dicam secundo illum viuendi rigorem absque miraculo seruasse tot Monachorum Myriades in eremis illis Ægypti, Nitriæ,

Tepor & frigiditas nostra taxatur.

Nitriæ, Palestinæ, & cæteris & in multis extra eremum Monasterijs quos Religiosos, certum est non perigrinam, sed eandem nobiscum habuisse naturam. Dicā tertio, (quod maius est) tot viros vxoratos miris impedimētis detentos hanc perfectam mundi renunciationem adeo coluisse, vt & miraculum non interuenisse constet, & ad illos vxoratos remittere oporteat Religiosos, & omisso quidē Abrahamo coniugato, de quo iam satis: consideremus Dauid Matrimonio multarum vxorum, & regni occupationibus vinculatū: plena item memoria tam multi sanguinis in bellis effusi, qui tamen his non obstantibus, de se ait Psal. 118. *Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Quid enim mihi est in cælo. & à te quid volui super terram? In meditatione mea exardescet ignis Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, &cæt.* Multa quæ dixit ac fecit altissimæ perfectionis indicia, vt cunctis Religiosis Magister extiterit. Cōsideremus vnum Elzearium Comitem Illustrissimum tanta familia & negotijs præpeditum, pulchra vxore ligatum, & nihilominus altissimæ contēplationi vacantem, perpetuam virginitatem cum vxore sua seruantem, & quod maius est de se fatētem, tunc continentiam, ac virginitatem suam securiorem fuisse, quādo magis vxori suæ appropinquabat, sicut refert Surius tom. 5. die 27. Septembris fuse per totā eius historiam. Addens quod quædam Monialis Soror eiusdē suæ vxoris Delphinæ, cum multas carnis tentationes pateretur, genibus circumiens lectum, in quo Elzearius cum vxore Delphine cubabat, à carnis tētationibus liberabatur. Omitto multos alios coniugatos sanctos, cōtemplatiuos, & vere pauperes spiritu, quos longum esset referre: vt Mirandum fere ac plorandū, seu inuidendum sit coniugatos in negotiorum tumultu, mundique turbine quiescere, ac proficere: Religiosos autem in tranquillo Religionis portu deficere & inquietari.

Multi cō-iugati excidunt Religiosos.

Psal. 118.

Sed cur Domine, dilectum, & sanctum seruum tuum Abraham ire iubes ad terram alienam in qua scis tot illi pericula parari, ac tribulationes præsto esse? statim namque in hoc capitulo capitis periculum timuit ob pulchritudinem vxoris coram Rege Pharaone Postea cap. 26. famem passus est magnam in terra illa, postea iurgia, ac dissidia inter pastores suos Loth. Deinde periculum illud capitale in bello illato contra tot Reges captiuos ducentes Loth Et alia forte pericula quæ subijt. Cur inquam

Deus

Deus sanctum tuum Abraham omnia iubes relinquere, vt illum his tantis periculis obijcias & exponas? Respondeo, quin potius ea de causa Deus Abraham peregrinationem voluit suscipere, vt illum tentaret seu probaret, coronaret, ac mundo ostenderet quātæ patientiæ & meriti Abraham esset. Hoc namque est ingenium Dei seruos suos ad agonē vocare, quò illos probet, & mundo ostendat, & cumulatius in cælo coronet. Sic fili mi o Recens professor intelligas te non hodie ad quietem corporalem vocari, sed scias in hoc deserto Religionis non defuturas pugnas non defutura spiritualia certamina, quæ tamen Deus parat, vel permittit, nō vt destruat, sed vt probet, & vt cumulatius coronet. Neque enim tu melior esse cupies Christo D. qui cum Deus esset impeccabilis, *Ductus est in desertum vt tentaretur à diabolo.* Non enim odij, sed amoris gratia Deus Opt Max seruis suis tentationes permittit propter causas proxime dictas. Illustre est hac de re testimonium illud Angeli dictum Tobiæ 12. quo Tobiam senem post transactam cæcitatem in captiuitate, post paupertatis agonem sic affatus est' *Et quia acceptus eras Deo necesse fuit vt tentatio probaret te.* Hoc etiam intellexit gentilis ille Plutarcus lib. de discrimine adulatoris & amici: vbi, ait, *Homines per tribulationes tentandos esse quem sonū reddant, ad eum modum quo pulsu tentamus vasa si sana sint, si integra, si plena si vacua extinnitu, quem reddiderint.* Sic Deus tentauit Abraham hic & in filij immolatione, vt plenum illum & admirabilem obedientiæ sonum per totū orbem emitteret, sic tentauit Iob. Vt mirum illum patientiæ sonum ederet quo totus mūdus edoctus est, cum dixit *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum*; præter dictos autem fines in tentationibus à Deo intentos, probandi scilicet & coronandi, prætendit etiam Deus in tentationibus iustorum gloriam & honorem proprium, vt scilicet glorificetur Deus cui tam fideles serui famulantur. Hoc docuit Petrus Apostolus 1. sua Canon. cap. 1. dicens. *Oportet contristari in varijs tentationibus vt probatio vestræ fidei multo preciosior auro quod per ignem probatur, inueniatur in laudem & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi, & cæt.* Et præterquam quod ipse Deus seruis suis ob prædictos fines tentationes permittit, ipse etiam diabolus ex aduerso longéque diuerso fine, seruos Dei, quo ipsos sanctiores videt, eo magis illos tētationibus impetit & conturbat. Apostolos Christi.

Abraham cur Deus mittat ad pericula & tribulationes.

Tentat Deus vt coronet.

Vasa tentantur sono, vt probetur si sint plena vel vacua.

1. Petr. 1.

In nostris tentationibus Deus prætendit honorem suum.

Luc.

Luc. 22. Luc.22. *Expetiuit, vt cribraret sicut triticum.* Illos omnes excepto Ioanne fecit varijs supplicijs occidi, & sic de alijs viris sanctissimis Quod idem D. Leo Papa consilerauit serm. 1. de quadr sic dicens. *Accedentes ergo dilectissimi ad quadragesimæ initium, idest ad diligentiorem Domini seruitutem, quia quasi ad quendam agonem sancti operis introimus ad pugnas tentationum animos præparemus & intelligamus, quanto studiosiores pro nostra salute fuerimus, tanto nos vehementius ab aduersarijs impetendos.*
Eccles. c.2. Sic ille. Vbi videtur alludere ad illud Ecclesiastici 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem.*

Causa autem quare diabolus sanctiores magis tentet, & inuadat, est fortasse, quoniam cũ ille nos ex inuidia tentet dolens de bono nostro, quod ille amisit, & nos recuperauimus, quo videt aliquos spirituali bono plus abũdare, maiorem inuidiæ nactus occasionem, plus inuidet, & plus persequitur. Itaque fili mi inuenies etiam in ingressu, & in progressu huius sanctæ Religionis tu fugiens à mundi AEgypto inuenies inquam illas septem gentes Hethæos Gergesæos, Amor-
Deuter. 7. thæos, Cananæos, & cæt. de quibus Deuter. 7. cum quibus filij Israel AEgyptum relinquentes, ante terræ sanctæ possessionem pugnarũt, de quo optime Cassianus, qui proinde legatur collat. 5. à cap. 16 & sequentibus, cum enim in antecedẽtibus pugnam contra aliqua vitia Religiosis in eundam diceret cap. 16. Sic incipit illa explicare peccata. *Hæ sunt septem gentes quarum terras egressis ex AEgypto filijs Israel daturum se Dominus repromittit, quæ omnia secundum Apostolum cum in figura cõtingerent illis, ad nostram commonitionẽ scripta debemus accipere, & cæt.* quæ persequitur eleganter vsq; ad cap. 19 Itaque inuenies etiam in hoc sancto deserto Religionis ignitos serpentes qui tentationũ morsibus corpus & mentem infestent: sed reperies simul serpentem illum AEneum, Christum Iesum dico crucifixum, vtique apparentem, vbique confortantem cuius intuitu corporali, vel intellectuali, (sicut filij Israel ad conspectum illius AEnei in deserto) contra omnium tentationum morsus, & aculeos & consolationem & remedium inuenias, tutissimumque refugium. Illud porro dixisse nõ pigeat pro Religiosorum consolatione & commonitione, quod eleganter à D. Ber. scriptum est tom. 1. inter serm paruos serm. cui titulus est, De, cure, carne, & ossibus animæ Ibi namque intendit docere sanctus pater Religiosos in suis tẽtationibus ordinario semper

Religiosi & sancti quomodo se habent in tentationibus anima habet suo modo cutẽ carnẽ. & ossa.

per resistere, ita vt per consensum absolute non cadant mortaliter, licet fluctuent & venialiter labantur. Ad hoc intentum considerat animam habere suo modo, cutem, carnem, & ossa spiritualia. Per cutem animæ intelligit cogitationes: (sicut ego opinor & ex littera conijcio) quæ á Theologis dicuntur motus primo primi, omnino indeliberati, & subiti in quibus neq; peccatum veniale reperitur. Per carnem animæ, intelligit affectionem, idest (vt ego conijcio) iam aliqualem consensum appetitus & voluntatis, non tamen plene deliberatam, & quæ solũ pertingit ad peccatum veniale. Tertio per ossa animæ intelligit intentionem, & propositum firmum animæ, per quod anima non consentit absolute, sed semper firma intentione persistit se nolle Deum mortaliter offendere Quo posito inquit Bern. viros sanctos licet in tentationibus venialiter claudicent, per intentionem tamen firmos stare Vocans igitur hanc animæ intentionem, ossa, & firmitatem animæ: viris iustis applicat illa verba Psal. 33. *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus Custodit Dominus ossa eorum, vnum ex his non conteretur.* Cognita ergo vtcunque mente Bernardi iam verba illius audia-

Psal. 33.

mus ad consolationem, doctrinamque nostram Sic scribit cito loco. *Quæ sunt ergo tribulationes iustorum, nisi quod interdum decoloratur cutis, cum videlicet inutilis cogitatio in corde versatur? (idest motus primo primus.) Non nunquam vero etiam caro vulneratur, quando scilicet ad hoc vsque cogitatio perniciosa procedit, vt delectatione corũpatur affectio, (idest appetitus corporeus) Nam ossa iustorum omnino integra atque illæsa custodiuntur à Domino, vt nunquam frangatur propositum cordis eorum, nunquamque salubris intentio conteratur, vt videlicet concupiscentiæ titillanti detur assensus.* Sic D. Bern. Ecce ergo quo modo viri Religiosi in quotidianis tentationibus se debent habere, vt quamuis motus primo primi insurgãt, & appetitus corporeus suo impetu consensum extorquere, nitatur; si per fragilitatem naturæ semiplene & venialiter tantum consentiant: absolute tamen per firmum propositum nunquã vlli tentationi succumbant.

Secundo percontari libet: Bone Deus, dato quod Abrahamum peregrinari iubes, vt quid illum, vxorem pulchram circunducere mandas, onus grande, & periculum sibi ipsi, & alijs intuentibus? Respondeo, vltra quam quod inde Deus maiorẽ meriti occasionem sumebat, vt

Abrahamo cur Deus, saltẽ virtualiter, secum vxorẽ pulchram deferre mandauerit.

propter

propter pericula ob illam in cursa plus illum coronaret: erat præterea status conditio, & obligatio, vxorem enim dimittere non poterat, sed alere & circunducere tenebatur. Ego in Religioso Religionem profitente carnem propriam seu corpus considero vxorem Abraham: nam Religiosus cuncta alia dimittẽs corpus & carnem dimittere nõ potest, sed semper hunc inimicũ circũferre, & alere tenetur quocunque perrexerit, à quo sibi multæ malorum occasiones nascuntur, maxime in gullæ vitio superando. Considerauit hoc eleganter Cassianus citata collat. 5. cap. 19. Vbi diligenter aduertit, Deum citato cap. 7. Deuteron. octo gentes numerasse, & septẽ tantum dixisse esse destruendas, quia scilicet vna illarum octo, non interimi iubebatur, sed deseri. Per septem ergo gentes intelligit cætera vitia quæ vt cunque possunt à nobis euitari. Per illam vero quæ non interimi, sed deseri iubetur ac declinari, gullã seu corporis necessitatem intelligit quæ quotidiana est, & in euitabilis Sic ergo inquit ibi Cassianus *Quod autem illa gens in qua nati sunt filij Israel non penitus extingui, sed tantummodo deseri eius terra præcipitur, hæ vero septem vsque ad internitionem iubentur extingui hæc ratio est Quod quantolibet ardore spiritus succensi eremum virtutum fuerimus ingressi vicinitate, ac Magisterio Gastrimargiæ, & quodam modo quotidiano eius comercio nequaquam carere poterimus semper enim in nobis edulij & escarum, vt ingenitus ac naturalis viuet affectus licet amputare superfluos eius appetitus, ac desideria festinemus.* Et Paulo infra. Sic habet, *Possumus ergo horum quæ naturæ super inducta sunt radices abscindere vitiorum, vsum vero Gastrimargiæ nequaquam valebimus amputare.* Sic ibi Cassianus. Itaque constat corpus proprium nos non posse relinquere, sed illud gullæ vitio, alijsque obnoxium circumgestare & sustentare tenemur, à quo nobis scandala, & pericula tanta nascuntur. Hinc iam ego ad aliud consurgo motiuum, pro infamia scilicet Religiosorũ & accusatione propulsanda. Si enim mirari desinimus Sanctum virum Abrahamũ ob vxorem pulchram quam circunducere & alere tenebatur, aliquid humanum passum esse, & periculum saltem corporale incurrisse ob sociam ineuitabilẽ: bis etiam periculum honoris ob adulterium occasionatum incurrit hoc capite 12. & infra cap. 20. Interim non curo si peccauit, de quo Pereira adhuc locum. Quid inquam, mirandum si aliquando Religiosum labi, seu cadere in peccatũ aliquod videamus qui corpus

Corpus nostrũ est nobis sicut vxor Abrahami.

Responsio ad sæculares Monachorum vitia nimis accusãtes.

corpus seu carmen sociam, pecca ti fomitem, non dimittat, nec potest occidere, sed circunducere, & sustentare tenetur? Aduertit hoc luculente contra sæcularium accusationes, & clamores in lapsu religiosorum, diuus Basilius lib. const. Monast. cap. 5. ibi enim de sæcularibus sic habet: *Præter ea quæ diximus temeritatis vitio aliud etiam peccatum incurrunt, cum scelicet cogitant eos, (Religiosos scilicet qualis erat Basilius) qui a communi cum cæteris viuendi ritu recesserunt, eo quod viuendi institutum mutarunt, non consilium mutaße, sed diuersam plane ab humana induisse naturam, neque de pietatis cultoribus iudicant tanquam de ijsdem affectionibus versentur, eas tamen animi virtute, & voluptatibus à se segregandis rationis imperio subijciant: sed illud existimant naturales ex illorum corporibus omnes funditus affectus esse sublatos. Quod fit vt si transuersum vnguem spiritualis vir à recto declinauerit confestim vniuersi vel ij ipsi, qui vehementissime ipsum antea laudibus efferebant, admirabanturque eius accusatores existant. Acerbissimi, palamque reprehendant.* Et paulo infra idem Basilius asserit quod si quando sæculares Religiosum vident cibum sumere necessitatis causa, vellent illum, tanquam incorporeum, aut nullum cibũ sumere, vel saltem paruissimum. Ad hos ergo regularis vitæ obseruatores, & oculatissimos accusatores dico in præsenti, videte o miseri quia Religiosus iste in professione non mutat naturam, non dimittit corpus sed solum habitum: eandem naturam retinet, carnem sociam tanquam Saram pulchram, & periculosam portat, quid mirum si miser homo aliquando potenti, domestico, & intimo amico succumbat, quando vos per totam vitam eiusdem carnis tot, tanta ac tam lethalia vulnera non sentitis?

Hic fit professio, & emittuntur vota.


POst imperatam Abrahamo egressionem â terra cognatione, & domo patris, præmium illi tanti laboris promittitur illis verbis. *Faciam te in gentem magnam & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum.* Quam promissionẽ considerãs diuus Chrysostomus cit hom. 31. supra Genes. quemadmodum antea, iussionem Dei difficilem, vocauerat pondus imperij. Ita & nunc promissionem hãc Abrahæ factam, vocat: *Magnum promissionis pondus.* Re enim vera magna ibi Abrahamo præmia promissa sũt. cum quo coincidit illud quod infra Genes. cap 15. eidem Abrahamo promisit Deus: *Ego protector* Præmium Abrahamo & religiosos promissum.

tuus sum, & merces tua magna nimis. Hoc idem tibi applico nouô professori, pondus magnū sunt quæ promisisti, & tria vota ad quæ te obligasti, sed vicissim, magnum pondus promissionis quod tibi in retributionē promittitur, videlicet vita æterna, huius enim vitæ æternæ collatio est eadem Abrahæ promissio est Deum te benedicere, te magnificare & esse in gloria, esse ipsam mercedem tuam per visionem beatam. Consonant his

2. Cor. 4. dicta illa à Paulo 2. ad Corin. 4. *Momentaneū, & leue tribulationis nostra supra modum in sublimitate æternum gloria pondus operatur.* Nota verba & misterium sententiæ, quia omnes labores huius vitæ pro gloria susceptos, vocat momentaneos & leues: præmiū vero illis promissum vocat æternū pondus gloriæ. Ipse itaque Deus erit merces tua sicut promisit Abrahamo: vnde ex hoc cum Paulo dicere poteris, *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Vide tamen quod refert Tertullianus lib. de corona militis cap. 15. iuncta expositione Pamellij ibidem, videlicet, quod quando apud Romanos aliquis miles coronabatur, & cōsecrabatur Deo Mythræ, seu soli, talis miles claudebatur in castro illi Deo sacrato; & ibi cogebāt illū certū vitæ genus profiteri similē fere martyrio cū multis actionibus bonis moraliter ac difficilibus. Denique pro præmio illius laboriosæ vitæ illi coronā offerebant, intromissa tamen erat corona in nudo gladio illā peruadente, ecce tibi idem fere cōtingit. Hodie Deo cæli & terræ cōsecraris per vota hæc emissa, recluderis in castro Religionis Deo sacratæ. Actiones, & operationes multæ morales tibi iniungentur in vita. Corona cæli tibi hodie promittitur, sed hæc corona immissa gladio est: per gladios, per ignes, per tribulationes ad illā necesse est peruenire. Non deerit ex parte Dei auxiliū adiuuans vt difficultatibus omnibus superatis, ab illo in cælis promissam coronam, & hodiernam promissionem accipias. Amen.

Corona quomodo olim dabatur militibus.

SERMO




SERMO V.

IN PROFESSIONE MONIALIS SECRETO AD crates quando velo velatur.

Ecce mille argẽteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamentũ oculorũ ad omnes qui tecũ ſunt. Et quocũque perrexeris memento te deprehenſam. Geneſ.cap.20.

Geneſ.12.



Olet aliquãdo prælatus in ſoléniori-bus profeſsionib⁹ Monialiũ ipſemet vota in ſuis manibus recipere profitentis, eidemque velum imponere, cuius veli impoſitio eſt præcipua cæremonia profeſsionis Monialis. Ad intentum accommodatiſsima videntur citata verba.

Quæ verba Abimelech Rex Gen. 20. dixit Saræ pulchræ vxori Abrahami, quam ideo ad ſe tulerat animo laſciuo, eo quod Abraham tacuerit eſſe illã vxorem ſuã; ſed ſolum dixerit eſſe ſororẽ. Poſtquã vero Rex diuina reuelatione monitus, ac territus cognouit illam eſſe vxorem Abraham, vocato ad ſe viro, & vxore, illã viro intactam reddidit, dicens citata verba thematis: *Mille argenteos dedi fratri tuo, id eſt Abrahamo*. Quæ donatio, & hæc mea monitio, tibi poſtea inſeruiãt, vt veles faciẽ, & oculos, neque amplius neges eſſe te vxorem viri tui. Et in particulari illa verba, *Quocunque perrexeris memẽ-*

to te deprehensam, sic communius explicatur Ad quascunque gētes iueris noli ista dissimulatione vti, dicendo tantum te esse sororē Abrahami, cū iā bis deprehensa sis, & bis periculū pudoris incurreris. Dic ergo palā te esse vxorē viri tui, vt similia pericula deuites & vela, seu cōtege faciē tuā, eo quod & pulchra sis & coniugata. Et vt obiter dicā, consideratione attenta dignū est, quod tantus vir Abraham suā vxorē pulchram bis periculo pudoris exposuerit (passiue tantum, non actiue) 1 Genes. 12. apud Regem Pharaonē, consulens Saræ ne diceret esse suā vxorē sed sororē Secūdo hoc loco apud Regem Abimelec, dum ipsemet Regi tātū dixit esse sororē, vt propterea Orig Ieron & Chrysost. dicant Abraham aliquid in hoc facto peccasse, sicut refert Perera to. 3. in Gen. disp. 5 ad cap. 12. licet ipse oppositū teneat pro laude Abrahami. Dato autem quod aliquid Abrahā vtrobique peccauerit, nō erit ab aliquo peccato libera Sara in facto Abrahami cōsentiens Ego tamē in neutro volo cōsiderare peccatum, inuenio citata verba Regis Abimelech, multū facere pro præsenti instituto profitentis Monialis. Nam parētes illius dāt mille argēteos conuentui tanquam dotem pro velo professionis illi imponendo: summā enim monetæ cōputans Pereira hoc loco inclinat, vt fuerint dati Abrahamo pro velo Saræ mille aurei argentei: & nō fuerint solū mille Iulij Romani, seu mille regales Hispani Itaque charissima soror vt tibi velū oculorū, & faciei, Religio sancta cōcedat, quasi in dotem offers mille argenteos, seu mille aureos. Hæc pecunia oblata & velū obtentū, sit tibi in velamentū oculorū tuorū. Et vbicunque inuēta fueris nunquā dicas te esse sororem amicam, vel charā alicuius: palā cōfitere te esse vxoratā, ac spōsā solius Iesu Christi, ne pateas vlli periculo sicut Sara. Verum hæc largi , ac fusius disputemus.

Galat. 1.

Abraham bis vxorē periculorū posuit. passiue tantum.

Et quidem hac de re nullus, quem sciam, in Ecclesia ingeniosius, & elegātius, imo & copiosius scripsit quā Tertullian. qui tres libros hac de re edidit, nempe primum de habitu muliebri, secundū de cultu fæminarū, tertiū de velandis virginibus, in quibus mira sparsit illius admirandi (licet postea infælicis) ingenij monimenta. Vnde vt puto, nec prolixus, nec molestus fuero si ex illius libris prædictis sparsa, selecta á me hic produxero meliora. Quod ergo attinet ad velum virginis, Tertull. illo lib. de velandis virginibus quamuis omnibus fæminis Christianis in nuptis, & vxoratis facies velandas

Veluū Monialis fuse, & pulchre explicatur ex Tertulliano.

das esse cōmendat, eius tamen dicta multo magis Monialibus conuenient, quæ ex præcepto id facere præcipiuntur. Cap. ergo 3. illius lib. sic inquit: *Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est.* Et infra cap. 7. sic habet. *Debet ergo adumbrari facies tam periculosa, quæ vsque ad cælum scandala iaculata est.* Quod ego cum Pamellio ibi interprete, & Ambrosio, intelligo, de scandalo, & periculo quod timens Paulus præcipit velari caput fæminarū in Ecclesia propter Angelos, id est Episcopos, & Sacerdotes 1. ad Corinth. 1. Vide tamen hyperbolicam exagerationem, quod scilicet facies mulieris vsque ad cælū periculū iaculetur. Cap. vero 15. sic habet: *Sed enim vera, & tota virginitas, nihil magis timet quam semetipsam etiam fæminarum oculos pati non vult, alios ipsa oculos habet confugit ad velamē capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeum qui bonum suum protegat aduersus ictus tentationum. aduersus iacula scandalorum aduersus suspiciones & susurros, & æmulationem.* Sic ibi. In quibus duo notatu sunt digna: primū est, quod pura virginitas etiā oculos aliarū fæminarū debet timere, & euitare, quāto magis oculos virorū. Secūdū quod officiū veli Moniali impositi ibi optime describitur dū vocatur galea, & clypeus virginitatis. Nā quemadmodū homo in bello securū se ad dimicandū putat si galea & clypeo munitus sit: ita etiam fæmina, maxime Monialis in sancto velo Religionis cōtra castitatis insidias præsidium habet tanquam in galea, & clypeo fortissimis. Et huius rationē reddens Tertullian. paulo infra dicit: *Quis enim audebit oculis suis premere faciem clausam, faciem non sentientem, faciem tristem? Quicunque malus cogitatus ipsa seueritate frangetur.* Denique multo adhuc elegantius cap. 16 in particulari (vt videtur) alloquens Moniales Christi spōsas, de illarū velo sic loquitur: *Indue armaturā pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Adimple habitum mulieris, vt statum virginis serues, mentire aliquid ex his quæ intus sunt, vt soli Deo exhibeas veritatem quam iam non mentiris nuptam. Nupsisti enim Christo: illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam. Incede secundum sponsi tui voluntatem. Christus est qui & alienas sponsas, & maritatas velari iubet, vtique multo magis suas.* Sic ibi. Vt autem ad hoc velamen, religiosumque ornatum magis inuitentur, potest eisdem Monialibus applicari quod scribit idem Tertullianus libro de cultu fæminarum ad omnes

1. Cor. 11.

Velū Monialis est clypeus, murus, galea, &c.

In Monialibus virginitas etiā oculos fæminarū timet.

fœminas Christianas in communi, vbi in vestitu honesto eas distinguens ab infidelibus, sic eas alloquitur. *Cur non vestris armis indutæ proceditis tanto magis quanto ad extraneas fidei, vt sit inter ancillas Diaboli, & Dei discrimen, vt exẽplo sitis illis vt ædificentur in vobis, & cæt.* ibidem D. etiam Ieron. in epist. ad Eustochium de cust. virgin. eodem alludens sic ait: *Zelotipus est Iesus non vult videri faciem tuam.* Cum his etiam quodammodo consonat quod scribit Cyprianus lib. de habit. virg dicens: *Sic dum ornari cultius, dum liberius euagari virgines volunt, esse virgines desinunt, furtiuo dedecore corrupta, vidua antequam nupta* Sic ille. Itaque â contrario fine debent Moniales in hoc facere quod dicitur fecisse Moyses Exod. 34. cum enim de monte descenderet, ex consortio sermonis Dei facies eius ita splendebat & rutilabat, vt filij Israel non auderent ad illum accedere. Hoc enim ibi significat faciem Moysis esse cornutam: vt enim Doctores exponunt, ex duabus maxillis Moysis ascendebant sursum duo radij directi rutilantissimi, qui videbantur cornua. Quem locum pro facie cornuta, vertit Oleaster: *Moyses non cognouit quod radiasset cutis faciei suæ.* Illa ergo de causa Moyses (inter alias quas non est institutum persequi) ponebat ibi velamen super faciem suam, quando loquebatur filijs Israel, ne offenderentur à splendore vultus illius. Suo ergo modo, quamuis ad diuersum finem, Monialis fœmina, ne faciei suæ splendore, & pulchritudine oculos intuentiũ lædat, faciem velet ne scandalũ alijs generet.

Exod. 34.

Velum faciei Moysis positũ, quid?

Iã vero in hoc veli tegumẽto duo prætenduntur, primum est salus, & vtilitas ipsius Monialis, secundũ, illã intuentium bonũ, & securitas. Et quod attinet ad ipsius Monialis bonũ consistit in eo ne per oculos proprios, vanitates, & tentationes hauriat: quoad intuentes vero consistit, in eodem fere periculo, ne vultu ipsius conspecto contra Dei sponsam malam cogitationem concipiant. Hæc ambo colligũtur ex eo quod supra diximus ex Tertulliano, dicente *velum esse murũ Moniali ne emittat oculos proprios, & ne admittat alienos.* Id ipsum clarius expressit Tertullian. lib. de cultu fœminarum cap. 2. sic loquens: *Cum igitur & nostra, & aliorum causa versetur in studio periculosissimi decoris, iam non tantum conficta, & elaborata libidinis suggestum recusandum à vobis sciatis: sed etiam naturalis speciositatis ob litterandũ dissimulatione, & incuria, vt proinde oculorum incursibus molestum.*

Velum Monialis ob quem finem imponitur.

molestum Sic ibi. Et quidem de intuētibus ipsis Monialibus quā tum periculū insit in eo solum quod videāt, quantūque per oculos nostros periculū incurramus, colligo primo ex eo quod Ecclesia cantat in illo hymno iam lucis orto ad primam. Ibi namque petens à Deo oculorū custodiam, dicit: *Visum fouendo cōtegat, ne vanitates hauriat.* Nota verbū *haurire*. quod denotat quā dā facilitaté, & celeritaté. Nullus enim sensus. vt Philosophi docēt, facilius, & celerius obiectū suū percipit quā visus: in instanti enim fere fit visio per multas leucas, quod nō fit in auditu ob rationes physicas alibi tactas. Vnde nō immerito conqueritur Ierem. Træn. 3. *Oculus meus deprædatus est animā meā in cunctis filiabus vrbis meæ* Quo etiam alludit illud aliud eiusdē Ierem cap. 9 dicētis: *Ascendit mors per fenestras nostras* Si auté per fenestras ibi etiā auditū intelligas, habebis etiā Tertullianū authoré dicentem etiā velū fæminatū ad aunū obstructioné seruiste: ille nāque lib. de velandis virginibus c. 16. reprehendens illas quæ nudis & apertis auribus incedunt ad melius forte audiendū, quasi per ironiā irridens sic ait: *Misereor si tam infirmo auditu sūt, vt per tegmen audire non possint.* Audiui ego ab expertis piscatoribus

Thren. 3.

Ierem. 9.

Fenestræ in nobis quæ sint.

in piscibus saliendis, quādo illos salitos in longum tempus volūt reseruare, primo illis oculos eruendos esse: quia compertum habēt in oculis piscis mortui, primo incipere corruptioné, & ab illo oculorū humore primo corrūpto deriuari corruptionem ad totum corpus. Vnde piscis mortuus per oculos maxime dignoscitur si sit recens, & vegetus, an vero putridus & antiquus. Eodé fere modo accidit in corpore humano, seu humano cōposito, iuxta duo loca citata Ieremiæ, ab oculis nāque incipit corruptiò spiritus & animæ, per nociua obiecta apprehésa, à quibus tentationes nascūtur, vt ergo tali corruptioni spirituali obuietur, necessariū est Moniali cōsiliū illud Christi Domini Matt. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum &c.* Si oculus tuus per visum occasio tibi est cadēdi spiritualiter, erue illū, nō realiter, & corporaliter, sed moraliter, amputa illi occasiones, remoue obiecta nociua, & impedimenta quod nihil facit cōmodius quā sanctū Monialiū velum. Quod vero attinet ad scandalū & periculū intuentiū, illud etiam virgo Christi euitare tenetur ex charitate, & proinde facié velare. Hoc etiam notauit Tertullianus lib. de cultu fæminarum cap. 2. in persona illarum sic loquens: *Quid autem*

Oculus in piscibus primo corrumpitur, sic & nobis accidit.

Matt. 18.

alteri periculo sumus? Quid illis alteri concupiscentiam importamus? perit enim ille in tua forma si concupierit, & admisit iam in animo quod concupiuit. & facta es gladius illi &c. Et paulo infra sic habet. *Expingamus nos vt alteri pereant: vbi est ergo, diliges proximum tuum sicut te ipsum. Nolite vestra curare: sed alterius?* Et in præcedenti cap. 2. dixerat pro eadem intentione, in hunc modum. *Quid igitur in te excitas malum istud? Quid inuitas cuius te profiteris extraneam?* Huc etiam pertinet dictum Saluatoris Matth. 18 *Qui autem scandalizauerit vnũ de pusillis istis qui in me credunt, &c.* vbi de periculo animæ alteri dato manifeste loquitur & conqueritur. Refert Maiolus in suis canicularibus colloquio 7. fol. 264. ex Æliano, Alberto Magno, & alijs Catoblepam esse animal monstrosæ, & perniciosæ naturæ ita vt solo oculorum intuitu cætera animalia perimat. Quod Catoblepa ipsa cognoscens instinctu naturali in bonum naturæ cõmunis, semper oculos portat defixos ad terram, ne tot animalia interficiat quot fuerint sibi obuiam facta. Quod ergo facit animal irrationale naturali instinctu, quid non faciat rationale animal Monialis, & quæuis altera fœmina ex charitate Christi faciem & oculos velamento contegendo? Refert pratum spirituale in libro Hispano 2. part. lib. 4. titulo de castitate cap 14. & 1. part lib. 1. eodem tit cap. 1. quendam adolescentem singulis diebus appa-ruisse cuidam virgini Moniali importune: quod cum illa moleste ferret, iuuenique, vt ab illa coram præsentatione abstineret obnixe diceret: Ille se excusans dixit, non posse non facere, eo quod Monialis amore captus esset. Cui illa. Et quid in me specialiter diligis? Ille dixit: Oculi tui deprædati sunt cor meum. Illa arrepto gladiolo sibimet oculos eruit, iuuenique in disco præsentans ait. Si hos diligis, illos accipe, & discede à me. Quo facto compunctus, & conuersus adolescens Religionẽ quandam ingressus, magnus in illa Religiosus euasit, sane plusquam ad litteram, hæc consilium Euangelicum impleuit, de oculo eruẽdo, sibi, ne sibi & alijs noceat. Dico, plusquam ad litteram, nõ enim hoc Christus Dominus docuit, paucioribus contentus est: non realem auulsionem præcipit, sed malum vsum oculorũ, cuius remediũ est sibi & alijs in Moniali, velum Religionis assumptum.

Catoblepa animal nociuos oculos ad terram deijcit ne aliis noceat.

Exemplũ mirũ charitatis de quadam moniali eruenter sibi oculos.

Non omittam hoc loco aduertere id quod B. Ambrosius ad c. 12. Gen. adnotauit, de periculo ibi Abrahæ in simili casu incurso

incurso apud Pharaonem ob Saræ pulchritudinem: vbi vir sanctus aduertit quam periculosa sit pulchritudo in fœminis, quæ viris necem aliquando, & infamiam causet. Hæc, quantorum malorum spiritualium & corporalium sit causa, experientia satis confirmat. Quod notare libuit tum vt magis pateat causa veli sancti imponendi: tum etiã vt videant fœminæ, maxime Moniales, quam fœdum illis sit bonum naturale pulchritudinis, procurare, in illo gloriari, vel de illius carentia tristari. Nihil enim aliud in hoc faciunt quam vires inimici sui augere, & confortare. Inimicus noster est corpus proprium; eius pulchritudo additio virium, ac roboris est, quo maiora nobis parat pericula. Hoc dixerim quia nescio vnde audierit, vel nouerit Tertullianus lib. illo de cultu fœminarũ, vt de aliquibus fœminis sic diceret *Pudet eas etiam nationis suæ, quod Germanæ aut Gallæ non sint procreatæ, ita patriã capillo transferũt* Sic ille Et optime eod. li c. 2. citans locũ Gen. 12. & 20. de hoc facto & periculo Abrahæ ob Saræ pulchritudinẽ sic scribit: *Nam etsi accusãdus decor nõ est, vt fælicitas corporis, vt diuinæ plastica accessio vt animæ aliqua vestis vrbana, timẽdũ tamẽ est vel propter iniuriã & violẽtiã spectatorum, quã etiam pater fidei Abraham in vxoris suæ specie pertimuit, & sororem mentitus (id est simulans) Saram, salutem contumelia redemit* Sic ille. Et paulo infra cap 3. dicit, *quod vbi pudicitia est, vacua est pulchritudo*, id est, non habet vsum nec æstimationem pulchritudo apud illam quæ pudicitiam diligit. Hoc etiam docuit, & monuit Ieron. suam Eustochium epist de custod. virginitatis cap. 10. vbi postquã dixit vitandas illi esse puellas sæculares vane, & pulchræ ornatas, ne illi forent tentatio forte idem faciendi. Subdit hæc verba: *Illa tibi sit pulchra, illa amabilis illa habẽda inter socias, quæ se nescit esse pulchrã, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicũ non pectus & colla denudat, &c.* Sic ibi Et quoniã Latine scribo, ponam vltima verba illius capitis, siquidem sunt tanti Patris, ac Doctoris Monialẽ alloquentis: aduertens tamẽ, hoc nõ esse prædicandum coram sæcularibus, sed solis Monialibus dicendũ. Cõcludit ergo S. Pater citatũ cap. 10 his verbis. *Vt prope periculosius sit lasciuis puellis ad loca Religionis, quã ad publicũ procedere.* Exponat hæc verba quisquis sicut potuerit, vel intellexerit, & sic illa applicet. De illo vero quod ait D. Ieron. illam reputãdam esse pulchrã, quæ propriam pulchritudinem non aduerterit: possumus etiam fortasse intelligere

Pulchritudo in fœminis est robur inimici.

In Monialibus pulchritudo quid.

Pulchra est quæ se talem nõ agnoscit.

Cant. 1. ligere illud Cantic. 1. *Si ignoras te o pulcherrima mulierum*: Vt inter alios communiores sensus possint etiã illa verba hunc sensum pati, vt scilicet ibi commendetur pulchritudinis corporalis oblivio, & cõtemptus: quasi dicatur: Si ignoras, & non curas pulchritudinẽ corporalem, &cæt. Egredere & abi, &cæt. Hæc igitur causa est impositionis veli, vt scilicet pulchritudo naturalis, quæ passiue occasio est periculorum habenti, & videnti, occultetur, supprimatur, & quasi deturpetur.

Quo vero facilius hæc tanta pericula in se, & in alijs Monialis euitet, in Sara edoceatur. Hæc periculum castitatis sibi, & viro honoris fuit, eo quod tacuerit se esse vxorem, ac desponsatam alteri: Monialis & sponsa Christi semper in ore gestet, ac respondeat se esse sponsam Christi. Si quis ab ea prætendat, verba indecentia, litterulas blandas, & similia: si quis illam velit habere loco sororis, proximæ, vel alijs titulis nominatam, neget omnino, nullum cum viro aliquo titulum admittat, sed semper ante omnia dicat, sponsa sum Iesu Christi, non possum contra illius fidem facere: hoc enim respõso, & confessione & alios ab impura intentione deterrebit & se ipsam in sancto Religionis, ac virginitatis proposito in corruptam conseruabit In Pontificali Romano, in titulo de consecratione Virginum: quando Episcopus vel consecrans virgines, eisdem imponit velum consecratum, sic iubetur dicere. *Accipe velamen sacrum quo cognoscaris mundum contempsisse, & te Christo Iesu veraciter, humiliterque toto cordis annisu sponsam perpetualiter subdidisse, qui te ab omni malo defendat. & ad vitã aeternam perducat, Amen.* Sic ibi. Et Paulo infra, cum cõsecrans, Moniali annectit annulum, iubetur dicere hoc modo. *Desponso te Iesu Christo filio summi Patris, qui te illæsam custodiat. Accipe ergo annulum fidei, signaculum Spiritus sancti, vt sponsa Dei voceris si ei fideliter seruieris in perpetuum coroneris. In nomine Patris, & cæt.* Libuit citata verba producere, tum vt videat Monialis obligationẽ suã, tum etiam vt consideret dignitatem suam, qua meruit ipsius Dei filia, sponsa nominari. Quæ dignitas sponsæ adeo illis conuenit si seruent, quæ sponsæ postulat officium, vt etiam ad Matres illarum deriuetur excellentia, dicique possit mater Monialis Socrus Dei, seu Socrus Christi Habemus huius tituli Authorem D. Ieron. epist. ad Eusthochium de virginitatis custodia, vbi alloquens in cõmuni matres indignatas eo quod illatũ filiæ nollent nubere,

Monialis dicat semper se esse sponsam.

Monialis quomodo sponsa Christi D.

Annulus datus virgini consecratæ.

Socrus Dei est mater Monialis.

nubere; sed fieri Moniales sic inquit. *Indignaris quod militis noluit esse vxor, sed Regis: grande tibi beneficium prastitit. Socrus Dei esse capisti, &cat.* Vide excellentiam sponsæ, quæ etiam Matrem Socrum Dei efficiat. Dicat ergo Monialis se esse sponsam Christi vt malos prætensores absterreat, quod si Sara faceret, non periclitaretur cum viro suo. Nec solum dicat Monialis se esse sponsam Christi, sed etiam in eo sancte & humiliter glorietur, eo tantum fine, vt tanto sponso fidem seruet, & illũ sicut oportet diligat, & nullius alterius in hac vita tota cogitatione, quasi sobrie insaniens recordetur. Discat hunc intensum, & totalem sponsi amorem à D. Bern. Serm. 74. super Cãtica, vbi de sponsa inuitante sponsum vt rediret, quem antea abire permiserat sic ait. *Quid? modo it, modo reuocas? Nam vide nunc quomodo illum pene adhuc incipientem ire iam tamen redire eflagitet sponsa, oblita totum quod nõ est ille se ipsam quoq;.* Sic ibi Hæc est sponsæ obligatio, cui spirituales sponsæ magis quam temporales tenentur satisfacere.

Monialis quasi insaniet sobrie in amore Dei.

Adhuc in facto Abrahæ hoc loco & maxime Gen. 12 considerandum duco pro fine istius solemnitatis cur scilicet ille noluerit Saram Matrimonij vinculum publicare? Et quamuis ille Gen. 12. causam indicarit dicens. *Cum viderint te AEgyptij dicturi sunt vxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt.* Adhuc tamẽ hæc verba postulant maiorem huius dicti explicationem, quã nempe affert Pereira ad citata verba Gen. in hunc modum.

Abraham cur tacue... Saram esse vxorẽ.

Magis scilicet horruisse AEgyptios adulterium quam homicidium. siquidem interfecturi erant Abraham, ne eo viuo, si vxorem eius haberent adulteri viderentur, cum tamen homicidium sit grauius crimen adulterio. Itaque Aegyptiorum gens adeo erat zelatrix status, & honoris matrimonialis, vt stante scientia quod Sara esset vxor Abraham, eam non attingerent: sed potius prius Abrahamum occiderent, ne illo viuente adulterium committerent. Est itaque adulteriũ omnibus legibus gentium, & regnorum acerbissime punitũ, vt saltem pœna mortis apud omnes infallibiliter damnetur. Si ergo hac pæna feriuntur, & merito, qui alienam hominis sponsam tangunt, quanto maiori digni pæna erunt illi, qui sponsas Dei, non dico tangere, sed praua intentione, & non rectis oculis, ausi fuerint intueri? Existimo hic posse applicari. Id quod habetur Apocal. cap. 14. *Virgines scilicet portare in frontibus. Scriptũ nomen Agni, & nomen Patris ipsius Agni,* Vt scilicet intuentes virginem,

Sponsas Dei tangere grauissima culpa

Apoc. 14.

nem, neque audeant concupiscere, neque attingere (quanquã video ibi de virginibus in cælo sermonem esse, de illis tamen in terris agentibus liceat applicare) Quemadmodum igitur homines, maxime potentes, res suas peculiares maxime preciosas suo sigillo, signant, & muniunt, vt talis res tam sigillo cognita, à nullo concupiscatur, vel rapiatur. Eodem modo Deus Opt. Max. suas sponsas virgines, sibi preciosas, signat in fronte, ac pronuntiat, eas rem sibi esse dicatam nequis illas tangere vel sola cogitatione lædere, præsumat. Docuit hoc D. Ambro. lib. 2. de virginibus, ponderans enim illa verba dicta Herodi á Ioanne Baptista, Marc. 6. Non licet tibi habere vxorem fratris tui sic inquit *Si hoc de vxore hominis, quanto magis de virgine Deo consecrata? Si hoc dictum est Regi, quanto magis dicendum priuatis?* Sic ille. Sufficiat pro hoc dictũ seu consideratio Titi Liuij, qui lib. 2. Decad. 3. describens illud Cannarum bellum Romanis in fælicissimũ, aduertit, ante illius belli initium, Romanos aliqua tristia habuisse prænuncia, & omina tantæ cladis præsagia: inter quæ illud fuit potissimum, quod duo viri, deflorauerint duas virgines vestales, quæ de stupro, & violato voto publice fuerunt damnatæ. Hæ duæ virgines vocabantur altera Opimia, altera Floronia. Vide quanti gentiles fecerint virginitatem falsam diabolo dicatam, vt propter sponsam dæmonis violatam, crediderint tot mala Reipublicæ contigisse. Quid timendum non esset ob veram virginitatem, ac sponsas Deo vero dicatas si forte violarentur? sed hæc missa facientes ad votorum emisionem accedamus.

Virgines portare in frontibus scriptũ nomen Dei, quid?

Marc. 6.

Vestalis virginis casus præsagiũ cladis Romanæ.

Promittuntur, vota, vel velum imponitur.

DOctores Theologi cum Magistro in 4. dist. 31. dicũt tria bona esse de substantia matrimonij, videlicet fidẽ, prolem, & sacramentum: & in hoc tertio bono sacramenti dicunt contineri indissolubilitatem, quatenus alter ab altero coniuge separari nequit. Hæc autem, quæ in carnali matrimonio referuntur, liceat applicare huic spirituali desponsationi quam modo cum Christo D. contraxisti, vt tuam obligationem ante oculos semper habere posis. Et quidem vt ab vltimo incipiamus hæc professio, & desponsatio, licet non sit sacramentum: debet tamen modo suo habere indissolubilitatem quandam inter te, & Deũ: quatenus neque mortis, neque vllius

Matrimonij tria bona applicata Monialis profesſioni.

vllius lucri vel pretij causa amicitiam cum Deo violare debeas quacunque peccati occasione oblata. Secundum matrimonij bonũ quod est fides, omnino spiritualiter in hac desponsatione debet interuenire, vt scilicet à fide, seu sponsione diuino sponso exhibita, nunquam recedas, iuxta illa quæ latius in superioribus dicta manent. Quomodo autem hanc fidem diuino sponso seruare debeas: Consule inuictã illam puellam Agnetem dicentem *Ipsi sum desponsata cui Angeli seruiunt: cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur Ipsi soli seruo fidem, ipsi me tota deuotione committo.* Tertiũ denique matrimonij bonum, proles videlicet, non corporalis, sed spiritualis ab hoc sancto cõiugio non debet abesse, quatenus sponsa Dei castas cogitationes concipiens Spiritu sancto inspirante, atque edocente, diuina misteria debet contemplari: Itaque proles sponsæ Dei, sint sanctæ meditationes & contemplationes à Spiritu sancto infusæ, & quasi suo modo, sponsa Dei dicatur etiam concipere de Spiritu sancto, non Christũ, sed meditationes circa spõsum Christũ, idq; inspirãte Spiritu sancto, ita vt suo modo dicere possit cum sponsa, Cantic. 1. *Lectulus noster floridus* Quo alludit Ambro. lib. 1. de virginibus sic virgines alloquens,

Cant. 1.

Non vteri vobis onus notum, nõ dolor partus, & tamen numerosior soboles pia mentis, quæ omnes pro liberis habet, &c. Et Paulo infra ad hoc intentũ applicat illa verba Isaiæ 54. *Lauda sterilis quæ non paris, quoniam multi filij deserta magis quam eius quæ habet virum.* Idem docuit D Fulgentius epist 3 ad probam de eodem. Sic scribens de virginali ac spirituali coniugio. *Sic enim ibi non est mortalis fructus ex corpore, vt immortales fætus, non desint ex corde, ibi maritalis accessus nõ vitiat corpus, quia Christi spiritalis amplexus, & animam seruat, & corpus.* Sic ille. Siquidem vero ad lectu'um floridum sponsæ deuenimus, in horum florum gratiam comparemus illam cum apibus quæ flores depascuntur, D. Ambrosius libr 1. de virginibus virginitatem, seu virgines apibus comparat ob similitudinem & causas, quas insequentibus eius verbis inspicies Sic enim inquit. *Digna virginitas, quæ apibus comparetur. Sic pudica, sic continens rore pascitur apes: nescit concubitus. Ros quoque virginis est sermo diuinus. Quam te velim filia imitatricem esse huius Apiculæ, cui cibus flos est, ore soboles legitur, ore componitur. Florem tibi demonstro carpendum, illum vtique qui dixit, ego flos campi. Sume igitur alas virgo, sed spiritus,* vt

Isai. 54.


Virgines apibus cõparantur.

vt superuolites vitia si contingere cupis Christum. Hæc Ambro. elegãter. Vbi in summa vides illũ dicere, virginẽ esse similem apibus quæ non generant per concubitum, sed ore seu oratione, & floribus tantũ pascuntur: cibus autem virginis debet esse Christus qui dicitur in Canticis flos campi & lilium conuallium. Ego autem alia de causa non multum dissimili, virginem hortor vt sit imitatrix apis auiculæ. Hæc nãq; singulis floribus affixa insidens modo rosæ, modo violæ, modo lilio, modo libanoridi, modo thymo, ex his omnibus succum meliorem extrahit, & inde vadẽs conficit fauũ mellis dulcissimũ. Eodem modo professa iuuencula apis esse debet: & cunctas antiquas Religiosas in conuentu, more florũ variorũ rutilantium, attendere, & ex singulis singulas apprehẽdere, & quasi extrahere virtutes, ex altera obedientiam, ex alia ieiunium, ex alia orationem, & similes, vt ex his quasi varijs virtutum floribus fauũ conficiat Christo sponso præsentandum. Sic illam castissimã virginẽ. & Christi sponsam Ceciliã imitabitur, de qua dicitur in breuiario. Cecilia famula tua Domine quasi apis tibi argumentosa deseruit. Hoc si faciat cum eadem Cecilia, in cælo Christo sponso fruetur per gloriam, Amen.

Finis huius sermonis qui numerũ trigesimum perficit.

HActenus vt vides præcesserunt triginta fere sermones & exhortationes, quarum initio themata particularia apposuimus, quia in particulari personis Religiosis tantũ illas intendimus applicare. Vt vero sæcularibus etiã prodesse possimus ab intento Monachali non recedentes: subijcimus sequentes sermones iuxta aliquas Dominicas, & occurrentia festa per annũ, in quibus professionis solemnitas occurrit: fere enim omnes illi sicut infra habentur à me sunt prædicati, in quibus sequor Euangelium illius diei, siquidem ad populum sunt habiti. Et vt plurimũ illos nomino sub professione Monialis, quoniã sub tali titulo sunt habiti: & communiter professiones Monialium solemnius celebrantur, quam professiones Monachorũ. De professione autem Moncahorũ satis, vt puto, dictũ est per quatuor integros sermones supra positos, & duos in receptione Nouitiorũ ad habitũ. Ad intentũ ergo reuertentes, sit sermo primus ad populũ in professione Monialis, ne tamen numerũ perturbemus sit in ordine sext⁹ respectu quinti supra positi.

SER-



SERMO VI.

DOMINICA SECVNDA QVADRAG. IN PROFESSIONE MONIALIS.

Duxit illos in montem excelsum, seorsum, & transfiguratus est ante eos.
Matth. cap. 17.

Mat. 17.



Irum est quantum nobis dominetur gloria vana, seu mundana huius vitæ, & quam parum apud nos valeat gloria vera, seu gloria cælestis. De primo occurrit quod Narrat D. Ieron. libr. illo aduersus Heluidiũ, de quodam homine ignobili, qui templum illud admirabile Dianæ, reputatum inter septem mirabilia mundi succendit: cumque post inquisitionem malefactoris, non constaret de criminis authore; ipse se prodidit principibus, clamans se tẽplũ incendisse. Cumque ab illo quæsitum esset, quo fine id fecerit: Respondisse fertur: *Vt, quia bene non poteram, male omnibus innotescerem.* Sic de illo Narrat D. Ieron. vnde ibidẽ subdit hæc verba. *Ex quo colliges quantorum malorum sit causa ambitio in illo qui tam grandem Dea (quam talem credebat) irrogauit iniuriam: tamen vt inde si non claram cum laude notitiam reportaret, vel notus mundo esset nobilis factus in scelere.* Sic Ieron. Vbi vides vires vanæ gloriæ, quæ ignobilem hominẽ adegit, vt nõ timeret iniuriam

Gloria vana multũ nobis dominatur, & parum vera gloria.

Dianæ tẽplũ incensum ob vanã gloriã.

riam Deæ suæ, talis templi excidium, & tanti periculi propriæ vitæ cui se libere subiecit, dummodo tamen apud homines vanam gloriã consequeretur. Idem cernere licet in Magno illo Alexandro, quem duodecim annis vana gloria sola traxit tortum, anxium, afflictum, tot pericula itinerum cum siti, & fame aliquando, passum, toties vulneratum, per tot vigilias & alios conflictus deductum, vt mundi gloriam captaret. Et in particulari narrat de illo Quintus Curtius, ad nostram intentum hoc loco, quod cum expugnare vellet vrbem quandam oculis humanis inexpugnabilem: (erat enim posita supra altissimam rupem inaccessibilem omni fere ex parte ita vt ad illam per planum vna tantum breuis & angusta via, seu porta pateret) Isuero applicato exercitu ad conspectum illius portæ, eo tãtum fine vt obsessos terreret & ad illam portam intentos faceret. Iussit ex parte aduersa aliquos milites excelsam, & præruptam illam rupem sic ascendere. Portabant malleos, & cuneos ferreos: infixoq; cuneo, fixis super illo pedibus alterum figebant sursum versus, & sic ascendit copia militum, qui in superiori parte vrbis apparentes, ciues incautos ad se auocarunt, & portam vrbis deserentes nouo casu perterriti sunt, ita vt Alexander irruens magno impetu ciuitatem ingressus possideret. Vide quas difficultates vincere faciat vana gloria? famem, sitim, vigilias, vulnera tolerare, rupes ascendere cum tot periculis cogit: & ad hæc omnia non solum vires addit, sed & quod mirabilius est, laborẽ minuit, facitque suauem. E contra vero magna illa, & vera, solidaque cælestis gloria, non posita in incerto sicut gloria mundi, sed diuina reuelatione cognita, & diuina sponsione promissa à Christo Domino multis in locis Euangelij, & hodie in monte excelso monstrata, tam parum hominum animos mouet, vt pro illa nec ad horam leui tribulatione cruciari dignẽtur. Pono exemplum vnicũ in re facili. Orare Deum, non est ex se afflictiuum, est enim cum Deo loqui, & nos cum amico terreno tres & quatuor integras horas attentissime confabulamur. Iubeatur ergo homo per vnã horã integre Deum orare attente: bone Deus quale fastidium, quales euagationes mentis nos statim apprehendunt? Constat ex facto trium hominum perfectiorũ qui tunc erant in mundo, Matth. 26, *Math. 26.* Petri scilicet, & Iacobi, ac Ioannis quos secum ad orandũ Christus D. inuitauit, & tamen neque illo præsente, & inuitante perseuerunt

uerarunt per horam, vt patet ex illa Christi Domini reprehẽsione. *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? vigilate &c.* Falsi profecto æstimatores, & ponderatores gloriæ sumus, qui tot ac tanta pro mũdana patimur, & tã pauca pro æterna tolerare dignamur, tã pauca ad æternã sufficere credimus: tam multa ad caducam acquirendam necessaria putamus. Cum tamen é contra, vtriusque contrariũ nobis Scriptura proclamet: stercus scilicet esse mundanã gloriã & indignã pro qua quidquam fiat, sed dignam, vt quasi stercus contemnatur. Cognouit hoc etiam & fragilis fæmina Esther, lib. suo cap. 14. quæ cum temporaliter gloriari satis posset in pulchritudine, Regia dignitate, opibus immensis Assueri vestibus, & similibus; hæc tamen omnia fere vt stercus reputabat, sic Dominum orans: *Tu scis quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ; quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi &cæt.* vbi tanquam rem vilissimam, & indignam nominari, dixit omnem illam gloriam vanam se detestari. De æterna vero quanti facienda sit, & quantum pro illa faciendum, indicauit Paulus, dum ad Romanos 8 iudicauit, omnes istius vitæ tribulationes, ac labores non æquipararari quoad meritũ æternæ gloriæ. Sic enim ibi docuit: *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Dignum plane consideratione, & admiratione puto, illam Christi Domini sententiam à se de se ipso prolatam Luc. 24. enarratis enim suæ passionis acerbissimæ doloribus, ac laboribus, subdidit. *Nõne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Vbi considero primo, gloriam illam ad quam Christus ait se intrasse per passionem, non fuisse gloriam essentialem animæ, quæ maior est, in visione Dei consistẽs: hanc enim ipsius anima statim habuit ab initio incarnationis in ventre Deiparæ, tanquam sibi debitam titulo Filij Dei: sed fuit illa gloria Christi, accidentalis, gloria scilicet sui corporis, quam hodie per transitum prælibauit, cum exaltatione sui nominis: quæ gloria accidentalis multo minor est: & præterea etiam Christo Domino erat debita. Considero secũdo Christo tanquam Filio Dei naturali, etiam quatenus homini, vniuersas glorias debitas esse: & nihilominus ait oportuisse illum tot, ac tanta pati, vt poteretur gloria accidentali sibi debita. Quid ergo oportet vt pro gloria æterna, patiatur miser

Esth. 14.

Vana gloria quam detestãda.

Rom. 8.

Luc. 24.

Pro gloria æterna quot tolleranda?

homo, sæpius per peccatum filius diaboli, infinitis peccatis onustus?

Hac igitur de causa Christus Dominus hodierna die ostensurus huius gloriæ præludia tribus discipulis, non in plano illos ad ipsius visionem admittit, sed cum misterio, eos montem excelsum, & accliuem facit ascendere, qui non solum accliuis, & ascensu difficilis erat, sed etiam seorsum positus, id est à cõmuni tumultu, & turbatione separatus. Duo itaque mons habebat altitudinẽ, & quietẽ, seu trãquillitatem. Hoc iam primo applico ad nouam profitentẽ: hodie nãque per professionem, hanc sanctam Religionem intrans, montem ascendit excelsum, altum, & quietum. Est quippe Religio quæcunque mons Thabor proprie dicta, ob illa quæ mox applicabimus ex hodierna historia eidem Religioni. Quod autẽ Religio mons Thabor possit appellari habet expresse Diuus Antoninus 3. part. tit. 25. cap. 10. §. 11. & præterea addit non solum esse montem, sed illi conuenire illa nomina Psalm. 67. *Mons coagulatus, mons pinguis, mõs in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*. Rationem applicationis explicans ait: in monte hoc Religionis sicut in Thabor, inueniri Petrum qui significat obedientiam. Et Iacobum, qui dicitur supplantans, & calcans, mundi scilicet diuitias per paupertatem. Denique per Ioannem virginem significari tertium votum castitatis. Ego vero amplius his immorans, explico, & causam do primo, illius quod dicitur Religionem esse montem in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, pro quo sufficiat Matth. 18. vbi Christus Dominus *promisit se habitaturum in medio duorum vel trium, si fuerint congregati in nomine ipsius*. Constat autem quot millia congregata in nomine Christi habeat quæcunque Religio, ac proinde in illa habitabit Deus per specialem affectum, & protectionem. Quod vero Religio sit etiam mons coagulatus & pinguis, seu fertilissimus, vbi scilicet diuina pascua abũdent, ipsa experiẽtia testatur, & comprobant quotidianæ sacramentorũ frequẽtationes, vigiliæ, meditationes, ieiunia, lectiones, & multa alia exercitia spiritualia, quæ continuo in Religionibus tãquam vbertima pascua, & Religiosos alumnos, & ipsos etiam sæculares reficiunt, & impingant. Addo insuper Religionem non solum esse montem excelsum, propter status altitudinem, & excellentiam, sicut vidimus: sed etiam excelsum,

Psal. 67.

Religio est mons Thabor.

Matt. 18.

Pascua pinguia in Religione

excelsum,& acclinē ascensuque difficilem,ob laboriosum viuendi modum in illis repertum, vt suppono notissimum,& alibi latius probatum. Est denique Religio mons etiam seorsum positus à tumultu,id est, locus quietus,& trāquillus, vt ipsa etiā experientia patet,vnde merito ego illam compararim monti olympo, cuius altitudo inter omnes alios orbis montes notissima est,ita vt ibi relictos cineres nunquam leuis aura dispergat, neque ventus conturbet. Vnde à mira loci quiete, putarunt anti qui olympum esse sedem & habitationem Deorum. Et nescio si illa occasione, etiam ipsum cælum empyræum iam vocatur olympus. Talis est Religio, mōs pinguis,fertiils, excelsus,& quietus, in quo & Dij, id est serui Dei quieti habitent, & in quo beneplacitum est Deo habitare cum eis. Neque solum ipsa Religio mons est, verum etiam ipsi Religiosi montes sunt,vt eos eleganter appellat D. Bernardus serm. 54. super Cantic. de Religiosis sic scribens: *Hos inquā considero omnes feruentes, omnes deuotos,omnes donis cælestibus, & gratia affluentes,tāquam spirituales reuera montes, qui à Domino visitantur.* Sic ille,applicans illa verba spōsæ: Venit saliens in montibus,id est Religiosis.

Religio mons olympus cur.

Religiosi sunt mōtes.

Cum autem dixerimus hodie gloriam à Domino ostensam in monte excelso, ascensu difficili, in cuius proinde cōsecutione oporteat sudare, & laborare, videamus quinā ex fidelibus omnibus facilius, & expeditius ad hunc mōtē gloriæ conscendāt. Explicauit hoc mirifice D. Bernar. serm. de quadruplici debito tom.1. inter sermones de diuersis argumentis, vbi apposite ad hoc Euangelium, & professionis celebritatem sic loquitur. *In via estis fratres qua ducit ad vitā, in via recta qua ducit ad ciuitatem Hierusalem. Arduus quidem ascensus eius,vtpote per ipsam montis summitatem incisus,sed via cōpendiosa laboris magnitudinē,vel tēperat, vel excludit.* Sic ille. Cujus verba cōsidera,vt diximus apposita hodiernæ festiuitati. Ait nāque gloriam scelestē haberē ascēsum difficilē tanquā montē excelsum, Religiosos tamē ait,esse in via recta, & vita compendiosa,quia compendium vel minuit laborem itineris vel omnino excludit laborem. Vnde ait Religiosos per hāc viam acclinē nō solū ire, sed currere facile, & fæliciter, quia scilicet exonerati sunt à curis, ac diuitijs & impedimentis sæculi. E contra vero,ait,sæculares multis vitæ curis, & impedimentis impeditos hūc montem gloriæ, difficile,& cū magno labore, ac

Monachi expeditius montē gloriæ conscendunt, quā sæculares.

periculo conscendere: sed verba ipsius Bern. iterũ hac de re audiamus quæ talia sunt *Non sic alij, nõ sic, qui quadrigas, & quadrigalia onera pertrahentes montis circuitum ambire decernunt, & plerunque per deuexa montis præcipitantur, vt vix finem inueniant viæ suæ. Felices igitur vos, qui vos, & vestra sine omni exceptatiuncula reliquistis per ipsum montis verticem iter facitis, ei qui ascendit super occasum Dominus nomẽ illi.* Sic ille. Vbi nota elegantem comparationem quadrigæ ascensuræ ad montis verticem, hæc enim vel montis verticem omnino non potest conscendere: vel si ascendit multos girat circuitus priusquam cum labore ascẽdat. E contra vero homo pedes onere exutus via recta etiã per crepidines, & saxa verticem montis attingit Tales sũt sæculares in ascẽsu mõtis gloriæ, quadrigis similes mille sarcinis obligationũ, curarũ impedimentorũ onusti recta nõ possũt ascẽdere: modo cadũt, modo circũeunt, paruos, aut nullos profectus faciẽdo. Religiosus vero illis omnibus liber, via recta, vt ait Ber & cõpẽdiosa mõtẽ trãscurrũt. Est eiusdẽ sententiæ, D. Amb. li. 5 sup. Luc. c. 6. vbi põderans quomodo Christũ D. in montẽ ascendentẽ soli Apostoli (pauperes & Religiosi) comitati fuerint, & soli cũ illo descẽderint, turbis interim in plano

Sæcularium onera respectu gloriæ.

manẽtibus, inquit: *Aduerte omnia diligẽter, quomodo & cũ Apostolis ascendat, & descendat ad turbas, quomodo enim turba nisi in humili Christum videret? Non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia* Et paulo infra. *Prius enim vnusquisque sanandus est, vt paulatim virtutibus procedentibus ascendere possit ad montem, &c.* Ecce quomodo turba, coniugatorum scilicet, & sæcularium, ex mente Ambrosij, non ascendit cum Christo Domino ad sublime montis: Quod in nostro intẽto intelligo, non ascẽdere facile, fæliciter, & æque frequenter ac Religiosi, Denique alludit illud dictum Leonis Magni, serm. 5. de quadrag. pro mundi laqueis & periculis communiter, cum sic scribit *Plena omnia periculis, plena laqueis incitant cupiditates, insidiãtur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amara sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium.* Sic ille. Quibus omnibus cum Religiosus sit liber, & vt plurimum illa omnia in Religione non vigeant: merito, vt Bernardus dixit, sæculares in huius montis ascensu, deficiunt, vel circumeunt, ac retardantur. Religiosi vero impedimentis liberi non solum ascẽdunt, sed currunt.

Tibi vnũ, Moysi vnũ, & Eliæ vnũ. Demus cũ cõmuni expositione,

tione, errasse Petrũ in illo quod dixerat, *Bonum est nos hic esse*: eo quod impediebat pasſionẽ Christi, & in sola visione gloriæ corporis eius, beatitudinẽ collocabat &c Saltem in hoc non videtur errasse, optãdo scilicet domũculas & tabernacula Eliæ Moysi, & Christo, sibi vero nullã domum seu tabernaculũ optando seu promittendo. Reliquerat enim iã domũ, fratres, parẽtes &c ac proinde religiosus effectus nõ amplius domũ desiderauit: non amplius terrenis se immiscuit Verus itaque in hoc Religiosus admonuit Religiosos, vt obliuiscẽtes quæ retro sunt, non ad illa sed ad anteriora se conuertãt. Recurrit hoc loco D. Bern. monitio illo serm. citato de quadr. debito: vbi quãuis dixerit, Religiosos exoneratos montẽ cælestis Hierusalem agiles, & lætos ascẽdere: nihilominus monet, quod si ad sæculi vanitates resumendas iterum redeant, eundem montem non ascendunt Eius verba sic habent: *Illi vero qui quamuis Aegyptum fugerint, tamen ad quamis Aegyptia tenerrime resuspirant, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt, sed voluntatum suarum grauissimis sarcinis prægrauati vel sub onere, vel cum onere cadunt, vt vix ad cursum perueniant destinatum*. Sic ille. Vulgatum & necessarium est maxime hodie illud exemplum fæminæ vxoris Loth, ad quam nos remittit Christus Dominus Matth. 24. & Luc. 17. *Matt. 24 & Luc. 17.* postquam enim ibi commendauit ne in die illa tribulationis magnæ, quis reuertatur ad resumẽdam tunicam, vel vasa de domo: Subintulit, *Mementote vxoris Loth*, quæ nempe in salem conuersa est, vt nos suo exemplo saliret, ne post arreptam viam Domini retro aspiciamus. Quod exemplum quia adeo tritum, & necessarium est & ad Religiosos spectat præcipue: dicam primo summatim, quæ culpa illius fuerit secundo qui finis fuerit talis supplicij. *Vxoris Loth quale peccatũ & qui finis supplicij.* Quoad primum, inuenio illam peccasse primo contra obedientiam illi â Deo iniũctam de retro non aspiciendo. Secundo, ob curiositatem fæmineam sciẽdi quid noui in illis vrbibus ageretur. Tertio per infidelitatem putauit enim nihil referre ad salutem si respiceret vel non respiceret. Quarto denique per compasſionem indiscretam. Ait enim Thargum Ierosolymitanum illam fuisse de filiabus populi Sodomæ, & retro aspexisse, vt videret quidnam futurum esset cum domo patris sui, & amicorum Hæc de culpa. Finis vero illius punitionis, quod scilicet in salẽ versa sit, & non in aliud, adnotatus est optime â Ruperto

 Abbate

Salis officiũ quod

Abbate Genes.19. dicente, quod *quemadmodum sal vt alijs vtilis sit. ac saliat, prius sibi fit inutile, & perit. Sic vxor Loth prius perijt, & sibi inutilis facta est: & tunc alijs profuit. suo enim casu sale orbem condiuit, monens ne post viam sanctam ingressam retro ad temporalia dimissa redeamus*: & ideo prædictum exemplum vxoris Loth adeo magni fit à Christo Domino, & Doctoribus. Discas ergo hodie hanc fœminā tu fœmina nō imitari, vt post tēporalia hodie dimissa cum D. Petro nec domũ, nec locũ desideres, nec auiditate fœminea, nec etiā parentũ compasione, mũdana requiras. Disce ab alia parente tua clarissima clara quæ post professionē factam in manibus P. N. Francisci, & paupertatem promissam: nec etiā de licentia Papæ voluit tēporalia repetere, visitãte nãque Alex. 4. Sum. Pontif. B Claram & naturali compassione illius paupertatem, & necessitates miserante: cum offerret B. Virgini dispensationem circa votũ paupertatis, restitit illa animo insuperabili, ac dixit se ab illo peccatorũ remissionē velle accipere, non vero voti paupertatis relaxationem. Ecce quomodo nec modo licito ad terrena dimissa voluit resuspirare. Contentus sit Religiosus sola illa sancta & magna portione, quæ est

B. Claræ paupertas constantissima.

ipse Deus iuxta illud Psal. 118. *Portio mea Domine dixi custodire legem tuam.* Et Psalm. 141. *Clamaui ad te Domine, dixi tu es spes mea portio mea in terra viuentium.* Hoc autem iuxta D. Hilarium ad citatum Psalm. dicere vere non potest, qui renunciato sæculo aliquid iterum temporale desiderat. Sic enim ait: *Renũciandum est sæculo omnibusque rebus vt nobis Deus portio sit: cæterũ si nos ambitio detineat, si cura pecuniæ occupet, si negotia rerũ familiariũ demorentur portio nobis Dominus nō erit.* Hæc ibi. Præclare etiam D. Ambrosius nobis de hoc exemplum proposuit in malo Religioso Iuda, qui post temporalia dimissa terrenis inhians, & pecuniolas, quærens, iã non poterat dicere Deo, Portio mea in terra viuentiũ. De illo ergo quod ad præsens attinet, loquēs Ambros. epist. 82. ad Syritium Papam, sic loquitur. *Habemus exemplum quia cum Iudas panē à Christo accepisset immisit se in cor eius diabolus quasi possessionem suam vendicans, quasi portionis suæ ius retinens, quasi dicens Non est tuus iste sed meus: meus certe minister, tuus proditor: tecum recumbit, & mihi seruit, tecum epulatur & mecum pascitur: tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vēdit.* Sic Ambrosius.

Psal. 118.

Religiosi portio sit Deus non resumat terrena.

Et trãsfiguratus est ante eos. Transfigurari proprie, est mutari in

ri in figura, seu in vultu mutationem pati. Vnde D Lucas hãc eandem transfigurationis historiam referens cap. 9. sic ait: *Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera*: quasi per transfigurationem maneret alter, in vultu videlicet. Hoc præcipue fit ingredietibus Religionem: quæ cum sit similis monti Thabor vt diximus, suos filios omnino transfigurari facit, in vultu, in moribus & similibus. Experientia, & praxis Religionum hoc manifestat, eius enim intentum est Nouitios, ac professos edocere, vt oculos ad terram demittant, aures otiosa, ac turpia verba non audiant. Lingua omnino refrænetur, à rebus illicitis manus componantur, & intra habitum colligantur, pedes diuersis modis gressus figant: denique omnes corporei sensus, ac membra ita reformentur, vt vere dici posit, quod vetus homo exuitur cũ actibus suis. Huc tẽdunt omnes instructiones, & mortificationes Nouitijs iniunctæ. Ita vt etiam dici posit Religionem, admodum vrsæ, illos, quos mundus Deo parit informes, ac deformes cælo: ipsam lingua sua ac doctrina, tanquã informes iterũ lãbere: oculos pro phanos cõponendo, & sic cætera deformia mẽbra formando, in struendo, & ad legẽ Christi, cælumque aptãdo, vt ipse Nouitius ac professus maneat alter, & quasi transfiguratus. Et vere dicere posit Religiosus cũ D Paulo ad Galat. 2. Viuo autem ego, iam non ego, id est, est eadem persona, sed non ijdem mores, iam alius oculus alia lingua, alius loquendi modus longe diuersus. Debet Religioso contingere illud, quod contigit illi cæco à Natiuitate à Christo Domino illuminato Ioann. 9 quem, postea quam visum receperat, alij non agnoscebant, & dubitãtes si esset idem, an alius homo, dicebant. *Nonne hic est qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est; alij autem: nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum. & cat.* Ecce quem Deus illuminauit, & oculi à Deo red diti, quam alterationem causauerit vt dubitaretur si esset ille. Eodẽ modo, is quem Deus illuminauit ad vitam Monasticam sectandam cui Deus oculos mentales aperuit: adeo debet in moribus, & sensuũ actibus immutari, vt maneat alter, & videntes illum dubitent si diuersa persona sit. Si enim Religiosus adhuc eadem videre, & audire gaudeat, quæ antea gaudebat, adhuc eosdem apices mundanæ vrbanitatis in loquendo obseruet, adhuc antiquos mores nõ exuat, reuera nõ

Luc. 9.

Religiosus est trãsfigurãdus in Religione.

Religiosi-cut visa.

Galat. 2.

Ioan. 9.

transfiguratus est cum Christo: nec vere Religiosus est, sed sæcularis habitu alieno indutus.

Neque vero à solis Religiosis requiritur vt in ordine se transfigurēt modo exposito: verū etiā ab omnibus Christi fidelibus hodie expetitur, vt tum ratione sancti temporis quadragesimalis, in quo sacrosancta sacramēta confessionis & communionis recipiuntur: tum etiam ratione considerationis istius gloriæ à Christo hodie ostensæ, transfigurentur, & transformentur. Videtur hoc velle D. Paulus 2. Corin. 3 cum dicit *Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur, &c.* Nota verbum, transformamur, & verbum in eandem imaginem: quasi hæc verba extra alios sensus, hunc etiam pati possint: quod scilicet tanta est vis gloriæ æternæ, vt nos illam considerantes reuelata facie, id est per reuelationem fidei, faciat transformari, & alios esse, abstinendo ab illicitis & cæt. quod si ad hanc transformationem, & trāsfigurationem morum, credidit Paulus sufficere attentam considerationem gloriæ: efficacius eandem in nobis transformationem causabunt, tempus hoc quadragesimale, & sacramenta duo in illo recepta, vnde Christianus qui hoc tempore, & cum his duobus sacramentis receptis, non vix erit alius, non fuerit transformatus, non loquutus fuerit diuersa lingua timeat quod neque sanctū hoc tempus recte colit, nec debite gloriā cōsiderat, nec debite dispositus ad illa sacramenta accessit. Marc. vltimo mittens Christus Dominus discipulos ad prædicandū: dixit, signū quod aliqui audientium essent in gratia, ex debita susceptione baptismi, & auditione verbi Dei, esse, quod loquerentur nouis linguis. Si ergo videas hominem in hoc sancto tēpore à confessione redeuntem, & antiquo sermone otioso vtentem, iurantem, & similia patrantem sicut ante confessionem, time quod recte non sit confessus, nō enim loquitur nouis linguis, eidemque merito dici potest illud quod Matth. 26 Ancilla dixit Petro. *Galilaus es, nam & loquella tua manifestum te facit.*

Trásfigurandi quo modo sæculares.

2, *Cor.* 3.

Marc. vlt

Matt. 26.

Domine bonum est nos hic esse. Constat Diuum Petrum hoc dixisse ex gaudij abundantia, quo ille & socij fuerunt pleni ex visione illa præsentata. Vbi considero Christum Dominum illis pro breui illo ascensus labore, statim illos remunerasse consolatione spirituali, qua, & ascensus labor, & præteritæ

vitæ

vitæ apostolicæ tribulationes mitigarentur & ad futuras animarentur. Hæc nempe Dei natura est, & ingenium, vt seruos suos in medio tribulationum cõsoletur spiritualibus consolationibus, vt & præteritas afflictiones minuat, & iuuet ad futuras. Hoc patet experientia pio considerãti: in medio ieiunij, & cuiuscunque alterius afflictionis propter Deum toleratæ Iuxta illud Iob 7. *Visitas eum diluculo, & subito probas illum*. Docuit hæc eleganter Chrysostom. hom. 8. in Math. sic dicens: *Enim vero misericors Deus mæstis rebus quædam etiã iucunda permiscuit. Quod certe in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere continuas, sed tum de aduersis, tum ex prosperis iustorum vitam quasi admirabili varietate contexit*. Sic ille Hæc autem specialiter in vita religiosa considerare licet: quæ licet laboriosa sit valde: multis tamen diuinis consolationibus, & gaudijs sæpe perfunditur, crebro enim Deus seruos suos consolatur spiritualiter, ne in præsenti labore deficiant, & ad futuros labores, & agones fortius superandos animentur. Quapropter si Religiosus in religiosis exercitijs, & obedientijs, læto animo easdẽ actiones Deo offerat, sentiet profecto consolationes diuinas sibi asistẽtes. Hoc imprimis

Vita iustorum ex mæstis, & lætis composita.

probo, ex ratione naturalis congruentiæ congruum enim videtur omnino, vt qui terrenas cõsolationes spernit, diuinas experiatur: Religiosus autem terrenas contemnit, vt constat Præterea si Christi Domini iugum suaue est, vt idem Christus Dominus promisit Math. 11. & Religiosus specialiter sibi maius iugum propter Christum imponit, congruũ videtur vt in illo ferendo suauitatem debeat sentire. Hoc ipsum testatur Bernard. in illo longo serm super, *Ecce nos reliquimus omnia*. Vbi fere semper ad Religiosos verba dirigen: sic ait. *Diuina omnino largitatis fuit. vt non solum æternæ vitæ præmium proponeret, sed etiam huius vitæ spiritualia gaudia promitteret. Sic & filijs Israel donec terram promissionis intrarent in deserto manna non defuit*. Sic Bernar. Et vt demus exemplum in re magis quotidiana, & in qua consolationis defectus magis sentitur, videlicet in cibo religioso, qui vt plurimum tenuis est, iniucũdus, insulsus, & pauper: quod Deus in illo cibo sic sumpto Religiosos consoletur, ita vt in illis cibis cõsolationem maiorem sentiant, quam sæculares in lautis, & opipatis conuiuijs, sufficiat hystoria relata à Ieronymo Plato lib. 3 de stat. Relig. cap. 16. vbi narrat de quodam Rabaudo viro præcipuo in Gallia, qui cum religionẽ ingres-

Tenuis, & crassus cibus Religiosi suauitate à Deo respersus.

ingressus, lautioribus cibis antea assuefactus esset, asperitatem ciborũ Religionis cœpit abhorrere. Quod vidēs, ac dolens Abbas monasterij iussit illi paulo cōmodiores, & extraordinarios cibos exhiberi attēta viri ætate, & qualitate. Accidit quadā die in communi mensa fratribus edentibus quotidianũ illũ cibum panē scilicet ac fabas, vidit Rabaudus duos senes qui toto refectorio circum euntes singulis fratribus in disco ex pixide vitrea liquorē infundebant: quo illi mirifice recreati aridum illum cibũ iucundissime mãducabant. Rabaudũ vero prætereierũt, & seuero vultu sunt intuiti. Ille vero ex proxime assidentis disco aliquid suffuratus, sensit in illo maiorem suauitatem, quã vnquã senserit in cibo vllo. Quo facto re ad Abbatem delata, quæsiuit Rabaudus rei nouitatem. Ille respondit duos illos senes fuisse D. Petrũ in cuius tutella erat monasterium: & Honoratum fundatorem illius. Causam vero cur illi suauitatē illius liquoris denegarēt, esse quia ille seueritatem in cibo cōmuni non seruabat. Similemque alium ibi casum narrat de quodã Andrea Virduensi Archidiacono, particularem suauitatem sentiente in leguminibus quibusdã, quæ ipse in sæculo maxime abhorrebat. Ecce quomodo Deus in cibo specialiter, & in omnibus alijs laboribus Religiosos consolatur: & hoc ipsum experiētur sæculares, qui in ieiunio quadragesimali libenter pro Deo suscepto, aliquando maiorem consolationē sentient, quã sentiunt illi qui eodem tēpore absque necessitate ieiunij præceptũ violare nō metuunt. Sic enim fit communiter vt peccatores iusto Dei iudicio in suis gaudijs tristentur: sancti vero in medio suorũ laborũ diuina consolatione recreentur. Vide Mærorem Aman, & compara cum lætitia Martyrũ in tormentis, vide gaudium B. Agathæ de qua legit Ecclesia, *Agatha latissime & glorianter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata agonem suũ Domino cōmendabat*. Optime hac de re Chrysost. hom. 23. in Gen vbi ponderans illud Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes, &c.* Ad quæ verba præcedit, Iudæos flagellasse Apostolos & post illos flagellatos hæsitasse, ac nescisse quid facerēt illis: ait Chrysost. sic. *Tametsi flagella non gaudij sint occasiones sed tristitiæ nihilominus flagella propter Deũ gaudium eis pariebãt. At ij qui flagellarunt in magna animi consternatione nesciebant quid facerent.* Sic ille Vide ergo flagellatos propter Christum lætos, & flagellantes tristes.

Hic est filius meus dilectus. Duobus in locis historiæ Euangelicæ

patet

Pater æternus Christum D. vocauit filium, videlicet, Matth.3. cum in baptismo quo baptizatus est à Ioanne audita est vox dicens: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Et hodie in monte Thabor, cũ dixit vox de nube. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Itaque & in baptismo,& in mõte Thabor, Christus vocatur à patre dilectus filius. Religionis professio comparatur baptismo, vt latius infra ostendo in serm.santissimæ Trinitatis: est etiã Religio mons in quo Religiosus trãsfiguratur: quid ergo restat nisi vt exinde maneat ac dici debeat Religiosus per adoptionem specialem dilectus filius Dei? Videtur Religiosis posse in particulari illud applicari quod D. Paulus 2. ad Corinth 6. citat ex Ierem. dicẽs. *Exite de medio eorum (idolorum scilicet) & separamini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens* Sic ibi. Qui ergo sunt qui maiori contemptu Idola fugiant, dico res huius mundi quas sæculares tanquã idola colunt, nisi Religiosi qui in professione voto illa renuntiant? Sequitur ergo quod Deus per professionẽ illos adoptet in filios,& Religiosas in filias. Quod si Religiosi sunt Filij: ergo hæredes huius gloriæ hodie in monte ostensæ, iuxta illud Pauli ad Rom.8 dicentis *Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi* Sunt enim existentes in gratia cohæredes gloriæ eiusdem speciei,& naturæ cum illa quam hodie ostendit Christus. Quod adhuc claudo cõsolatorio dicto Bernardi serm. illo de quadruplici debito, paulo post initium. Vbi postquam dixit Religiosis, illos esse in via recta,& sancta quæ perducit ad sancta sanctorum. Subdit hæc verba. *Mentior (quod ad consolationem vestram dico) si non ex manibus huius peccatoris, Monachorum, Nouitiorum, & conuersorum animæ ad cælestia gaudia volauerint tam libera, quam liberata de carcere nostræ mortalitatis.* Hæc ibi. Permittat ille Deus omnipotens qui gloriæ huius pignus hodie nobis proposuit spectandum, post mortem ad illius possessionem nos admittere, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Amen.


(?)

Religiosi specialiter filij Dei.

2. Corint.

Rom. 8.

SER-



SERMO VII.

DOMINICA QVARTA POST PENTHECOSTEM ET IN PROFESSIONE MONIALIS.

Cum turbæ irruerent in Iesum, &c. Ascendens autem in vnam Nauim, &c. Luc. cap. 5.

Luc. c. 5.



Væstio est inter Theologos apud D. Tho. 3. p. q. 15. ad art. 2. an Christus D. quoad animam in hac vita potuerit peccare, dato quod per potentiam D. illa anima sanctissima, non haberet visionem Beatam, sicut habuit ab instanti suæ creationis: & dato etiam quod illi Deus nõ conferret auxilia specialia ad vitandum peccatum, sed ordinaria. Et respondet ibi D. Tho. cum omnibus suis sectatoribus, non potuisse, illam animam peccare, ex eo solũ quod esset vnita verbo Diuino. Illa enim sola vnio excellentissima impediret ne anima illa peccaret, etiam si auxilijs, & visione diuina careret. Credo autem in hac quæstione Scotum in re à D. Tho. non dissentire, sed in modo, si autẽ iuxta illos doctores ex vi solius vnionis hypostaticæ erat impeccabilis; augebatur etiam multo eius impeccabilitas eo quod de facto illius anima ab instanti suæ conceptionis fuit plenissima gratia habituali, & visione beatifica munita, & præterea, tot auxilijs actualibus abundabat quot cõgruum erat dari homini vero fili

Anima Christi D. impeccabilis ex multis titulis.

filio Dei. Propter has omnes causas non solū illa anima erat impeccabilis omnino sed cū actualiter Deum videret, in illo penitus erat absorta totaliter, vt nullo tumultu, nec tribulatione corporali posset á diuina contemplatione secerni, vel disiungi, sed perenni contemplatione illi semper inhærebat. Ad hæc, pars sensitiua seu appetitus corporeus illius humanitatis santissimæ erat omnino frænatus vel iustitia originali, vel quocunque alio dono per quod nullatenus à recta ratione poterat dissentire. His tamen omnibus non obstantibus Christus D. aliquando populi strepitum, ac turbarum tumultū fugiebat secedens in loca solitaria, & quieta, quæ maxime erant desertum, montes, & hodie Nauicula. Et quidem de secessu in desertum constat post baptismū, Matth. 4. De montibus etiam habetur in Euangelio Matth 5. & Matth. 17. & præcipue Luc. 21. dicitur de illo. *Erat autem diebus docens in tēplo: Noctibus vero exiens morabatur in monte qui dicitur Oliueti.* Hodie vero refert Euangelista quod cum premeretur â turbis, illarum tumultum vellens declinare, ascendit Nauiculam maioris quietis gratia. Si ergo Deus tot vijs impeccabilis, nihilominus occasiones, strepitus, ac tumultus declinat: Miser homo

Matth 4. 5 & 17. Luc. 21.

quales omnes nos sumus, & adeo ad peccandum faciles & procliues) quid non facere debeat vt peccandi occasiones, & tumultus, ac strepitus huius mūdi effugiat? Nos autem plus in hoc miseri, non solum hæc non effugimus, sed quod peius est, illas occasiones ac tumultus venamur, & inquirimus. Significatur hoc in illo Villico, Math. 18. Quem cum Dominus eius vellet ab officio amouere, ille inquietissimum se valde ostendit: ex eo quod inquietudine liberaretur. Dixit enim. *Quid faciam quia Dominus meus aufert à me Villicationem?* Verba sane inquieti, & impatientis sunt ista. Hunc autem Villicum possemus sic interrogare. Nonne ista Villicatio animæ tuæ inquietudinem affert: imo & corporalem vitam perturbat occupationibus varijs, & importunis: & quod maius est: nonne ex illa tibi nascūtur multorum peccatorum occasiones, vel in omissione curādi rem alienam, vel in materia furti, seu iustitiæ? Cur ego fers impatienter tibi auferri Villicationem? Hæc nempe est nostra sitis, & fames temporalium. hæc nostra cæcitas, vt non solum peccatorū. ac strepitus occasiones non declinemus, sed potius illas procuremus, & illas ablatas nobis deplo remus. Habemus exemplum in illo

Occasiones peccādi, & tumultus fugiendi.

Matth. 18.


Quietis sumus inimici, & occasiones peccandi nolumus perdere.

vt superuolites vitia si contingere cupis Christum. Hæc Ambro. elegãter. Vbi in summa vides illũ dicere, virginẽ esse similem apibus quæ non generant per concubitum, sed ore seu oratione, & floribus tantũ pascuntur. cibus autem virginis debet esse Christus qui dicitur in Canticis flos campi & lilium conuallium. Ego autem alia de causa non multum dissimili, virginem hortor vt sit imitatrix apis auiculæ Hæc nãq; singulis floribus affixa insidens modo rosæ, modo violæ, modo lilio, modo libanoridi, modo thymo, ex his omnibus succum meliorem extrahit, & inde vadẽs conficit fauũ mellis dulcissimũ. Eodem modo professa iuuencula apis esse debet: & cunctas antiquas Religiosas in conuentu, more florũ variorũ rutilantium, attendere, & ex singulis singulas apprehẽdere, & quasi extrahere virtutes, ex altera obedientiam, ex alia ieiunium, ex alia orationem, & simi es, vt ex his quasi varijs virtutum floribus fauũ conficiat Christo sponso præsentandum. Sic illam castissimã virginẽ. & Christi sponsam Ceciliã imitabitur, de qua dicitur in breuiario. Cecilia famula tua Domine quasi apis tibi argumentosa deseruit. Hoc si faciat cum eadem Cecilia, in cælo Christo sponso fruetur per gloriam, Amen.

Finis huius sermonis qui numerũ trigessimum perficit.

HActenus vt vides præcesserunt triginta fere sermones & exhortationes, quarum initio themata particularia apposuimus, quia in particulari personis Religiosis tantũ illas intendimus applicare. Vt vero sæcularibus etiã prodesse possimus ab intento Monachali non recedentes: subijcimus sequentes sermones iuxta aliquas Dominicas, & occurrentia festa per annũ. in quibus professionis solemnitas occurrit: fere enim omnes illi sicut infra habentur à me sunt prædicati, in quibus sequor Euangelium illius diei, siquidem ad populum sunt habiti. Et vt plurimũ illos nomino sub professione Monialis, quoniã sub tali titulo sunt habiti: & communiter professiones Monialium solemnius celebrantur, quam professiones Monachorũ. De professione autem Moncahorũ satis, vt puto, dictũ est per quatuor integros sermones supra positos, & duos in receptione Nouitiorũ ad habitũ. Ad intentũ ergo reuertentes, sit sermo primus ad populũ in professione Monialis, ne tamen numerũ perturbemus sit in ordine sextus respectu quinti supra positi.

SER-




SERMO VI.

DOMINICA SECVNDA QVADRAG. IN PROFESSIONE MONIALIS.

Duxit illos in montem excelſum, ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos. Matth. cap. 17.

Mat. 17.



Gloria vana multũ nobis dominatur, & parum vera gloria.

MIrum eſt quantum nobis dominetur gloria vana, ſeu mundana huius vitæ, & quam parum apud nos valeat gloria vera, ſeu gloria cæleſtis. De primo occurrit quod Narrat D. Ieron. libr. illo aduerſus Heluidiũ, de quodam homine ignobili, qui templum illud admirabile Dianæ, reputatum inter ſeptem mirabilia mundi ſuccendit: cumque poſt inquiſitionem malefactoris, non conſtaret de criminis authore; ipſe ſe prodidit principibus, clamans ſe tẽplũ incendiſſe. Cumque ab illo quæſitum eſſet, quo fine id fecerit: Reſpondiſſe fertur: *Vt, quia bene non poteram, male omnibus innoteſcerem.* Sic de illo Narrat D. Ieron. vnde ibidẽ ſubdit hæc verba. *Ex quo colliges quantorum malorum ſit cauſa ambitio in illo qui tam grandem Dea (quam talem credebat) irrogauit iniuriam: tamen vt inde ſi non claram cum laude notitiam reportaret, vel notus mundo eſſet nobilis factus in ſcelere.* Sic Ieron. Vbi vides vires vanæ gloriæ, quæ ignobilem hominẽ adegit, vt nõ timeret iniu-

Dianæ tẽplũ incenſum ob vanã gloriã.

riam

riam Deæ suæ, talis templi excidium, & tanti periculi propriæ vitæ cui se libere subiecit, dummodo tamen apud homines vanam gloriā consequeretur. Idem cernere licet in Magno illo Alexandro, quem duodecim annis vana gloria sola traxit tortum, anxium, afflictum, tot pericula itinerum cum siti, & fame aliquando, passum, toties vulneratum, per tot vigilias & alios conflictus deductum, vt mundi gloriam captaret. Et in particulari narrat de illo Quintus Curtius, ad nostram intentum hoc loco, quod cum expugnare vellet vrbem quandam oculis humanis inexpugnabilem: (erat enim posita supra altissimam rupem inaccessibilem omni fere ex parte ita vt ad illam per planum vna tantum breuis & angusta via, seu porta pateret) Isuero applicato exercitu ad conspectum illius portæ, eo tātum fine vt obsessos terreret & ad illam portam intentos faceret. Iussit ex parte aduersa aliquos milites excelsam, & præruptam illam rupem sic ascendere. Portabant malleos, & cuneos ferreos: infixoq; cuneo, fixis super illo pedibus alterum figebant sursum versus, & sic ascendit copia militum, qui in superiori parte vrbis apparentes, ciues incautos ad se auocarunt, & portam vrbis deserentes nouo casu perterriti sunt, ita vt Alexander irruens magno impetu ciuitatem ingressus possideret. Vide quas difficultates vincere faciat vana gloria? famem, sitim, vigilias, vulnera tolerare, rupes ascendere cum tot periculis cogit: & ad hæc omnia non solum vires addit, sed & quod mirabilius est, laborē minuit, facitque suauem. E contra vero magna illa, & vera, solidaque cælestis gloria, non posita in incerto sicut gloria mundi, sed diuina reuelatione cognita, & diuina sponsione promissa à Christo Domino multis in locis Euangelij, & hodie in monte excelso monstrata, tam parum hominum animos mouet, vt pro illa nec ad horam leui tribulatione cruciari dignētur. Pono exemplum vnicū in re facili. Orare Deum, non est ex se afflictiuum, est enim cum Deo loqui, & nos cum amico terreno tres & quatuor integras horas attentissime confabulamur. Iubeatur ergo homo per vnā horā integre Deum orare attente: bone Deus quale fastidium, quales euagationes mentis nos statim apprehendunt? Constat ex facto trium hominum perfectiorū qui tunc erant in mundo, Matth. 26, Math. 26. Petri scilicet, & Iacobi, ac Ioannis quos secum ad orandū Christus D. inuitauit, & tamen neque illo præsente, & inuitante perseuerunt

ucrarunt per horam, vt patet ex illa Christi Domini reprehẽsione. *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum? vigilate &c.* Falsi profectò æstimatores,& ponderatores gloriæ sumus, qui tot ac tanta pro mũdana patimur,& tã pauca pro æterna tolerare dignamur,tã pauca ad æternã sufficere credimus: tam multa ad caducam acquirendam necessaria putamus. Cum tamen é contra, vtriusque contrariũ nobis Scriptura proclamet: stercus scilicet esse mundanã gloriã & indignã pro qua quidquam fiat,sed dignam,vt quasi stercus contemnatur. Cognouit hoc etiam & fragilis fæmina Esther, lib.suo cap. 14. quæ cum temporaliter gloriari satis posset in pulchritudine,Regia dignitate, opibus immensis Assueri vestibus, & similibus; hæc tamen omnia fere vt stercus reputabat, sic Dominum orans: *Tu scis quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi & cæt.* vbi tanquam rem vilissimam, & indignam nominari, dixit omnem illam gloriam vanam se detestari. De æterna vero quanti facienda sit, & quantum pro illa faciendum, indicauit Paulus, dum ad Romanos 8 iudicauit, omnes istius vitæ tribulationes, ac labores non æquiparari quoad meritũ æternæ gloriæ. Sic enim ibi docuit: *Existimo enim quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Dignum plane consideratione, & admiratione puto, illam Christi Domini sententiam à se de se ipso prolatam Luc. 24. enarratis enim suæ passionis acerbissimæ doloribus,ac laboribus,subdidit. *Nõne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Vbi considero primo,gloriam illam ad quam Christus ait se intrasse per passionem,non fuisse gloriam essentialem animæ, quæ maior est, in visione Dei consistẽs: hanc enim ipsius anima statim habuit ab initio incarnationis in ventre Deiparæ, tanquam sibi debitam titulo Filij Dei: sed fuit illa gloria Christi, accidentalis, gloria scilicet sui corporis, quam hodie per transitum prælibauit, cum exaltatione sui nominis: quæ gloria accidentalis multo minor est: & præterea etiam Christo Domino erat debita. Considero secũdo. Christo tanquam Filio Dei naturali, etiam quatenus homini, vniuersas glorias debitas esse: & nihilominus ait oportuisse illum tot, ac tanta pati,vt potiretur gloria accidentali sibi debita. Quid ergo oportet vt pro gloria æterna, patiatur miser

Esth.14.

Vana glo-ria quam detestãda.

Rom. 8.

Luc.24.

Pro gloria æterna quot tolerãda?

homo, sæpius per peccatum filius diaboli, infinitis peccatis onustus?

Hac igitur de causa Christus Dominus hodierna die ostensurus huius gloriæ præludia tribus discipulis, non in plano illos ad ipsius visionem admittit, sed cum misterio, eos montem excelsum, & accliuem facit ascendere, qui non solum accliuis, & ascensu difficilis erat, sed etiam seorsum positus, id est à cõmuni tumultu, & turbatione separatus. Duo itaque mons habebat altitudinẽ, & quietẽ, seu trãquillitatem. Hoc iam primo applico ad nouam profitentẽ. hodie nãque per professionem, hanc sanctam Religionem intrans, montem ascendit excelsum, altum, & quietum. Est quippe Religio quæcunque mons Thabor proprie dicta, ob illa quæ mox applicabimus ex hodierna historia eidem Religioni. Quod autẽ Religio mons Thabor possit appellari habet expresse Diuus Antoninus 3. part. tit. 25. cap. 10. §. 11. & præterea addit non solum esse montem; sed illi conuenire illa nomina Psalm. 67. *Mons coagulatus, mons pinguis, mõs in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*. Rationem applicationis explicans ait: in monte hoc Religionis sicut in Thabor, inueniri Petrum qui significat obedientiam. Et Iacobum, qui dicitur supplantans, & calcans, mundi scilicet diuitias per paupertatem. Denique per Ioannem virginem significari tertium votum castitatis. Ego vero amplius his immorans, explico, & causam do primo, illius quod dicitur Religionem esse montem in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, pro quo sufficiat Matth. 18. vbi Christus Dominus *promisit se habitaturum in medio duorum vel trium, si fuerint congregati in nomine ipsius.* Constat autem quot millia congregata in nomine Christi habeat quæcunque Religio, ac proinde in illa habitabit Deus per specialem affectum, & protectionem. Quod vero Religio sit etiam mons coagulatus & pinguis, seu fertilissimus, vbi scilicet diuina pascua abũdent, ipsa experiẽtia testatur, & comprobant quotidianæ sacramentorũ frequẽtationes, vigiliæ, meditationes, ieiunia, lectiones, & multa alia exercitia spiritualia, quæ continuo in Religionibus tãquam vbertima pascua, & Religiosos alumnos, & ipsos etiam seculares reficiunt, & impingant. Addo insuper Religionem non solum esse montem excelsum, propter status altitudinem, & excellentiam, sicut vidimus: sed etiam excelsum,

Psal. 67.

Religio est mons Thabor.

Matt. 18.

Pascua pinguia in Religione

excelsum,& accliuẽ ascensuque difficilem, ob laboriosum viuendi modum in illis repertum, vt suppono notissimum, & alibi latius probatum. Est denique Religio mons etiam seorsum positus à tumultu, id est, locus quietus, & trãquillus, vt ipsa etiã experientia patet, vnde merito ego illam compararim monti olympo, cuius altitudo inter omnes alios orbis montes notissima est, ita vt ibi relictos cineres nunquam leuis aura dispergat, neque ventus conturbet. Vnde à mira loci quiete, putarunt antiqui olympum esse sedem & habitationem Deorum. Et nescio si illa occasione, etiam ipsum cælum empyræum iam vocatur olympus. Talis est Religio, mõs pinguis, fertiils, excelsus, & quietus, in quo & Dij, id est serui Dei quieti habitent, & in quo beneplacitum est Deo habitare cum eis. Neque solum ipsa Religio mons est, verum etiam ipsi Religiosi montes sunt, vt eos eleganter appellat D. Bernardus serm. 54. super Cantic. de Religiosis sic scribens: *Hos inquã considero omnes feruentes, omnes deuotos, omnes donis cælestibus, & gratia affluentes, tãquam spirituales reuera montes, qui à Domino visitantur.* Sic ille, applicans illa verba spõsæ: Venit saliens in montibus, id est Religiosis.

Religio mons olympus cur.

Religiosi sunt mõtes.

Cum autem dixerimus hodie gloriam à Domino ostensam in monte excelso, ascensu difficili, in cuius proinde cõsecutione oporteat sudare, & laborare, videamus quinã ex fidelibus omnibus facilius, & expeditius ad hunc mõtẽ gloriæ conscendãt. Explicauit hoc mirifice D. Bernar. serm. de quadruplici debito tom. 1. inter sermones de diuersis argumentis, vbi apposite ad hoc Euangelium, & professionis celebritatem sic loquitur. *In via estis fratres qua ducit ad vitã, in via recta qua ducit ad ciuitatem Hierusalem. Arduus quidem ascensus eius, vtpote per ipsam montis summitatem incisus, sed via cõpendiosa laboris magnitudinẽ, vel tẽperat, vel excludit.* Sic ille. Cujus verba cõsidera, vt diximus apposita hodiernæ festiuitati. Ait nãque gloriam scelestẽ haberẽ ascẽsum difficilẽ tanquã montẽ excelsum, Religiosos tamẽ ait, esse in via recta, & vita compendiosa, quia compendium vel minuit laborem itineris vel omnino excludit laborem. Vnde ait Religiosos per hãc viam accliuẽ nõ solũ ire, sed currere facile, & fæliciter, quia scilicet exonerati sunt à curis, ac diuitijs & impedimentis sæculi. E contra vero, ait, sæculares multis vitæ curis, & impedimentis impeditos hũc montem gloriæ, difficile, & cũ magno labore, ac

Monachi expeditius montẽ gloriæ conscendunt, quã sæculares.

 periculo

periculo conscendere: sed verba ipsius Bern. iterũ hac de re audiamus quæ talia sunt *Non sic alij, nõ sic, qui quadrigas, & quadrigalia onera pertrahentes montis circuitum ambire decernunt, & plerunque per deuexa montis præcipitantur, vt vix finem inueniant viæ suæ. Felices igitur vos, qui vos, & vestra sine omni exceptatiuncula reliquistis per ipsum montis verticem iter facitis, ei qui ascendit super occasum Dominus nomẽ illi.* Sic ille. Vbi nota elegantem comparationem quadrigæ ascensuræ ad montis verticem, hæc enim vel montis verticem omnino non potest conscendere: vel si ascendit multos girat circuitus priusquam cum labore ascẽdat. E contra vero homo pedes onere exutus via recta etiã per crepidines, & saxa verticem montis attingit Tales sũt sæculares in ascẽsu mõtis gloriæ, quadrigis similes mille sarcinis obligationũ, curarũ impedimentorũ onusti recta nõ possũt ascẽdere: modo cadũt, modo circũeunt, paruos, aut nullos profectus faciẽdo. Religiosus vero illis omnibus liber, via recta, vt ait Ber & cõpẽdiosa mõtẽ trãscurrũt. Est eiusdẽ sententiæ, D. Amb. li. 5 sup. Luc. c. 6. vbi põderans quomodo Christũ D. in montẽ ascendentẽ soli Apostoli (pauperes & Religiosi) comitati fuerint, & soli cũ illo descẽderint, turbis interim in plano manẽtibus, inquit: *Aduerte omnia diligẽter, quomodo & cũ Apostolis ascendat, & descendat ad turbas, quomodo enim turba nisi in humili Christum videret? Non sequitur ad excelsa, non ascendit ad sublimia* Et paulo infra. *Prius enim vnusquisque sanandus est, vt paulatim virtutibus procedentibus ascendere possit ad montem, &c.* Ecce quomodo turba, coniugatorum scilicet, & sæcularium, ex mente Ambrosij, non ascendit cum Christo Domino ad sublime montis: Quod in nostro intẽto intelligo, non ascẽdere facile, fæliciter, & æque frequenter ac Religiosi. Denique alludit illud dictum Leonis Magni, serm. 5. de quadrag. pro mundi laqueis & periculis communiter, cum sic scribit *Plena omnia periculis, plena laqueis incitant cupiditates, insidiãtur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amara sunt obloquentium linguæ, nec semper veracia sunt ora laudantium.* Sic ille. Quibus omnibus cum Religiosus sit liber, & vt plurimum illa omnia in Religione non vigeant: merito, vt Bernardus dixit, sæculares in huius montis ascensu, deficiunt, vel circumeunt, ac retardantur. Religiosi vero impedimentis liberi non solum ascẽdunt, sed currunt.

Sæculariũ onera respectu gloriæ.

Tibi vnũ, Moysi vnũ, & Eliæ vnũ. Demus cũ cõmuni expositione,

tione, errasse Petrũ in illo quod dixerat, *Bonum est nos hic esse*: eo quod impediebat paßionẽ Christi, & in sola visione gloriæ corporis eius, beatitudinẽ collocabat &c Saltem in hoc non videtur errasse, optãdo scilicet domũculas & tabernacula Eliæ Moysi, & Christo, sibi vero nullã domum seu tabernaculũ optando seu promittendo. Reliquerat enim iã domũ, fratres, parẽtes &c ac proinde religiosus effectus nõ amplius domũ desiderauit: non amplius terrenis se immiscuit Verus itaque in hoc Religiosus admonuit Religiosos, vt obliuiscẽtes quæ retro sunt, non ad illa sed ad anteriora se conuertãt. Recurrit hoc loco D. Bern. monitio illo serm. citato de quadr. debito: vbi quãuis dixerit, Religiosos exoneratos montẽ cælestis Hierusalem agiles, & lætos ascẽdere: nihilominus monet, quod si ad sæculi vanitates resumendas iterum redeant, eundem montem non ascendunt Eius verba sic habent: *Illi vero qui quanuis Aegyptum fugerint, tamen ad quanis Aegyptia tenerrime resuspirant, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt, sed voluntatum suarum grauißimis sarcinis prægrauati vel sub onere, vel cum onere cadunt, vt vix ad cursum perueniant destinatum.* Sic ille. Vulgatum & necessarium est maxime hodie illud exemplum fæminæ vxoris Loth, ad quam nos remittit Christus Dominus Matth. 24. & Luc. 17. postquam enim ibi commendauit ne in die illa tribulationis magnæ, quis reuertatur ad resumẽdam tunicam, vel vasa de domo: Subintulit, *Mementote vxoris Loth*, quæ nempe in salem conuersa est, vt nos suo exemplo saliret, ne post arreptam viam Domini retro aspiciamus. Quod exemplum quia adeo tritum, & necessarium est & ad Religiosos spectat præcipue: dicam primo summatim, quæ culpa illius fuerit secundo qui finis fuerit talis supplicij. Quoad primum, inuenio illam peccasse primo contra obedientiam illi à Deo iniunctam de retro non aspiciendo. Secundo, ob curiositatem fæmineam sciẽdi quid noui in illis vrbibus ageretur. Tertio per infidelitatem putauit enim nihil referre ad salutem si respiceret vel non respiceret. Quarto denique per compassionem indiscretam. Ait enim Thargum Ierosolymitanum illam fuisse de filiabus populi Sodomæ, & retro aspexisse, vt videret quidnam futurum esset cum domo patris sui, & amicorum. Hæc de culpa. Finis vero illius punitionis, quod scilicet in salẽ versa sit, & non in aliud, adnotatus est optime à Ruperto Abbate

Matt. 24 & Luc. 17.

Vxoris Loth quale peccatũ & qui finis supplicij.

Salis officiū quod.

Abbate Genes. 19. dicente, quod *quemadmodum sal vt alijs vtilis sit, ac saliat, prius sibi fit inutile, & perit. Sic vxor Loth prius perijt, & sibi inutilis facta est: & tunc alijs profuit. suo enim casu sale orbem condiuit, monens ne post viam sanctam ingressam retro ad temporalia dimissa redeamus*: & ideo prædictum exemplum vxoris Loth adeo magni fit à Christo Domino, & Doctoribus. Discas ergo hodie hanc fæminā tu fæmina nō imitari, vt post tēporalia hodie dimissa cum D. Petro nec domū, nec locū desideres, nec auiditate fæminea, nec etiā parentū compassione, mūdana requiras. Disce ab alia parente tua clarissimà clara quæ post professionē factam in manibus P. N. Francisci, & paupertatem promissam: nec etiā de licentia Papæ voluit tēporalia repetere, visitāte nāque Alex. 4. Sum. Pontif. B. Claram & naturali compassione illius paupertatem, & necessitates miserante: cum offerret B. Virgini dispensationem circa votū paupertatis, restitit illa animo insuperabili, ac dixit se ab illo peccatorū remissionē velle accipere, non vero voti paupertatis relaxationem. Ecce quomodo nec modo licito ad terrena dimissa voluit resuspirare. Contentus sit Religiosus sola illa sancta & magna portione, quæ est

B. Claræ paupertas constantissima.

ipse Deus iuxta illud Psal. 118. *Portio mea Domine dixi custodire legem tuam.* Et Psalm. 141. *Clamaui ad te Domine, dixi tu es spes mea portio mea in terra viuentium.* Hoc autem iuxta D. Hilarium ad citatum Psalm. dicere vere non potest, qui renunciato sæculo aliquid iterum temporale desiderat. Sic enim ait: *Renūciandum est sæculo omnibusque rebus vt nobis Deus portio sit: caterū si nos ambitio detineat, si cura pecuniæ occupet, si negotia rerū familiariū demorentur portio nobis Dominus nō erit.* Hæc ibi. Præclare etiam D. Ambrosius nobis de hoc exemplum proposuit in malo Religioso Iuda, qui post temporalia dimissa terrenis inhians, & pecuniolas, quærens, iā non poterat dicere Deo, Portio mea in terra viuentiū. De illo ergo quod ad præsens attinet, loquēs Ambros. epist. 82. ad Syritium Papam, sic loquitur. *Habemus exemplum quia cum Iudas panē à Christo accepisset immisit se in cor eius diabolus quasi possessionem suam vendicans, quasi portionis suæ ius retinens, quasi dicens Non est tuus iste sed meus: meus certe minister, tuus proditor: tecum recumbit, & mihi seruit, tecum epulatur & mecum pascitur: tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vēdit.* Sic Ambrosius.

Psal. 118.

Religiosi portio sit Deus non resumat terrena.

Et trāsfiguratus est ante eos. Transfigurari proprie, est mutari in

ri in figura, seu in vultu mutationem pati. Vnde D Lucas hãc eandem transfigurationis historiam referens cap. 9. sic ait: *Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera*: quasi per transfigurationem maneret alter, in vultu videlicet. Hoc præcipue fit ingredictibus Religionem: quæ cum sit similis monti Thabor vt diximus, suos filios omnino transfigurari facit, in vultu, in moribus & similibus. Experientia, & praxis Religionum hoc manifestat, eius enim intentum est Nouitios, ac professos edocere, vt oculos ad terram demittant, aures otiosa, ac turpia verba non audiant. Lingua omnino refrænetur, à rebus illicitis manus componantur, & intra habitum colligantur, pedes diuersis modis gressus figant: denique omnes corporei sensus, ac membra ita reformentur, vt vere dici posit, quod vetus homo exuitur cũ actibus suis. Huc tẽdunt omnes instructiones, & mortificationes Nouitijs iniunctæ. Ita vt etiam dici posit Religionem, admodum vrsæ, illos, quos mundus Deo parit informes, ac deformes cælo: ipsam lingua sua ac doctrina, tanquã informes iterũ lãbere: oculos prophanos cõponendo, & sic cætera deformia mẽbra formando, instruendo, & ad legẽ Christi, cælumque aptãdo, vt ipse Nouitius ac professus maneat alter, & quasi transfiguratus. Et vere dicere posit Religiosus cũ D Paulo ad Galat. 2. Viuo autem ego, iam non ego, id est, est eadem persona, sed non ijdem mores, iam alius oculus alia lingua, alius loquendi modus longe diuersus. Debet Religioso contingere illud, quod contigit illi cæco à Natiuitate à Christo Domino illuminato Ioann. 9 quem, postea quam visum receperat, alij non agnoscebant, & dubitãtes si esset idem, an alius homo, dicebant. *Nonne hic est qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant, quia hic est; alij autem: nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum. & cat.* Ecce quem Deus illuminauit, & oculi à Deo redditi, quam alterationem causauerit vt dubitaretur si esset ille. Eodẽ modo, is quem Deus illuminauit ad vitam Monasticam sectandam cui Deus oculos mentales aperuit: adeo debet in moribus, & sensuũ actibus immutari, vt maneat alter, & videntes illum dubitent si diuersa persona sit. Si enim Religiosus adhuc eadem videre, & audire gaudeat, quæ antea gaudebat, adhuc eosdem apices mundanæ vrbanitatis in loquendo obseruet, adhuc antiquos mores nõ exuat, reuera nõ transfi-

Luc. 9.

Religiosus est trãsfigurãdus in Religione.

Religio sicut vrsa.

Galat. 2.

Ioan. 9.

transfiguratus est cum Christo: nec vere Religiosus est, sed sæcularis habitu alieno indutus.

Neque vero à solis Religiosis requiritur vt in ordine se transfigurẽt modo exposito: verũ etiã ab omnibus Christi fidelibus hodie expetitur, vt tum ratione sancti temporis quadragesimalis, in quo sacrosancta sacramẽta confessionis & communionis recipiuntur: tum etiam ratione considerationis istius gloriæ à Christo hodie ostensæ, transfigurentur, & transformentur. Videtur hoc velle D. Paulus 2. Corin. 3 cum dicit *Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur, &c.* Nota verbum, transformamur, & verbum in eandem imaginem: quasi hæc verba extra alios sensus, hunc etiam pati posśint: quod scilicet tanta est vis gloriæ æternæ, vt nos illam considerantes reuelata facie, id est per reuelationem fidei, faciat transformari, & alios esse, abstinendo ab illicitis & cæt. quod si ad hanc transformationem, & trãsfigurationem morum, credidit Paulus sufficere attentam considerationem gloriæ: efficacius eandem in nobis transformationem causabunt, tempus hoc quadragesimale, & sacramenta duo in illo recepta, vnde

Trãsfigurandi quo modo sæculares.

2, Cor. 3.

Christianus qui hoc tempore, & cum his duobus sacramentis receptis, non vix erit alius, non fuerit transformatus, non loquutus fuerit diuersa lingua timeat quod neque sanctũ hoc tempus recte colit, nec debite gloriã cõsiderat, nec debite dispositus ad illa sacramenta accessit. Marc. vltimo mittens Christus Dominus discipulos ad prædicandũ: dixit, signũ quod aliqui audientium essent in gratia, ex debita susceptione baptismi, & auditione verbi Dei. esse, quod loquerentur nouis linguis. Si ergo videas hominem in hoc sancto tẽpore à confesśione redeuntem, & antiquo sermone otioso vtentem, iurantem, & similia patrantem sicut ante confesśionem, time quod recte non sit confesśus, nõ enim loquitur nouis linguis, eidemque merito dici potest illud quod Matth. 26 Ancilla dixit Petro. *Galilaeus es, nam & loquella tua manifestum te facit.*

Marc. vlt

Matt. 26.

Domine bonum est nos hic esse. Constat Diuum Petrum hoc dixisse ex gaudij abundantia, quo ille & socij fuerunt pleni ex visione illa præsentata. Vbi considero Christum Dominum illis pro breui illo ascensus labore, statim illos remunerasse consolatione spirituali, qua, & ascensus labor, & præteritæ

vitæ

vitæ apostolicæ tribulationes mittigarentur & ad futuras animarentur. Hæc nempe Dei natura est, & ingenium, vt seruos suos in medio tribulationum cõsoletur spiritualibus consolationibus, vt & præteritas afflictiones minuat, & iuuet ad futuras. Hoc patet experientia pio consideranti: in medio ieiunij, & cuiuscunque alterius afflictionis propter Deum toleratæ Iuxta illud Iob 7. *Visitas eum diluculo, & subito probas illum*. Docuit hæc eleganter Chrysostom. hom. 8. in Math. sic dicens: *Enim vero misericors Deus mæstis rebus quædam etiã iucunda permiscuit. Quod certe in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere continuas, sed tum de aduersis, tum ex prosperis iustorum vitam quasi admirabili varietate contexit*. Sic ille. Hæc autem specialiter in vita religiosa considerare licet: quæ licet laboriosa sit valde: multis tamen diuinis consolationibus, & gaudijs sæpe perfunditur, crebro enim Deus seruos suos consolatur spiritualiter, ne in præsenti labore deficiant, & ad futuros labores, & agones fortius superandos animentur. Quapropter si Religiosus in religiosis exercitijs, & obedientijs, læto animo easdẽ actiones Deo offerat, sentiet profecto consolationes diuinas sibi assistẽtes. Hoc imprimis

Vita iustorum ex mæstis, & lætis composita.

probo, ex ratione naturalis congruentiæ congruum enim videtur omnino, vt qui terrenas cõsolationes spernit, diuinas experiatur. Religiosus autem terrenas contemnit, vt constat Præterea si Christi Domini iugum suaue est, vt idem Christus Dominus promisit Math. 11. & Religiosus specialiter sibi maius iugum propter Christum imponit, congruũ videtur vt in illo ferendo suauitatem debeat sentire. Hoc ipsum testatur Bernard. in illo longo serm. super, *Ecce nos reliquimus omnia*. Vbi fere semper ad Religiosos verba dirigen: sic ait. *Diuinæ omnino largitatis fuit. vt non solum æternæ vitæ præmium proponeret, sed etiam huius vitæ spiritualia gaudia promitteret. Sic & filijs Israel donec terram promissionis intrarent in deserto manna non defuit*. Sic Bernar. Et vt demus exemplum in re magis quotidiana, & in qua consolationis defectus magis sentitur, videlicet in cibo religioso, qui vt plurimum tenuis est, iniucũdus, insulsus, & pauper: quod Deus in illo cibo sic sumpto Religiosos consoletur, ita vt in illis cibis cõsolationem maiorem sentiant, quam sæculares in lautis, & opipatis conuiuijs, sufficiat hystoria relata à Ieronymo Plato lib. 3. de stat. Relig. cap. 16. vbi narrat de quodam Rabaudo viro præcipuo in Gallia, qui cum religionẽ ingres-

Lenuis, & crassus cibus Religiosi suauitate à Deo respersus.

ingressus, lautioribus cibis antea assuefactus esset, asperitatem ciborũ Religionis cæpit abhorrere. Quod vidẽs, ac dolens Abbas monasterij iussit illi paulo cõmodiores, & extraordinarios cibos exhiberi attẽta viri ætate, & qualitate. Accidit quadã die in communi mensa fratribus edentibus quotidianũ illũ cibum panẽ scilicet ac fabas, vidit Rabaudus duos senes qui toto refertorio circum euntes singulis fratribus in disco ex pixide vitrea liquorẽ infundebant: quo illi mirifice recreati aridum illum cibũ iucundissime mãducabant. Rabaudũ vero prætererũt, & seuero vultu sunt intuiti. Ille vero ex proxime assidentis disco aliquid suffuratus, sensit in illo maiorem suauitatem, quã vnquã senserit in cibo vllo. Quo facto re ad Abbatem delata, quæsiuit Rabaudus rei nouitatem. Ille respondit duos illos senes fuisse D. Petrũ in cuius tutella erat monasterium: & Honoratum fundatorem illius. Causam vero cur illi suauitatẽ illius liquoris denegarẽt, esse quia ille seueritatem in cibo cõmuni non seruabat. Similemque alium ibi casum narrat de quodã Andrea Virduensi Archidiacono, particularem suauitatem sentiente in leguminibus quibusdã, quæ ipse in sæculo maxime abhorrebat. Ecce quomodo Deus in cibo specialiter, & in omnibus alijs laboribus Religiosos consolatur: & hoc ipsum experiẽtur sæculares, qui in ieiunio quadragesimali libenter pro Deo suscepto, aliquando maiorem consolationẽ sentient, quã sentiunt illi qui eodem tẽpore absque necessitate ieiunij præceptũ violare nõ metuunt. Sic enim fit communiter vt peccatores iusto Dei iudicio in suis gaudijs tristentur: sancti vero in medio suorũ laborũ diuina consolatione recreentur. Vide Mærorem Aman, & compara cum lætitia Martyrũ in tormentis, vide gaudium B. Agathæ de qua legit Ecclesia, *Agatha latissime & glorianter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata agonem suũ Domino cõmendabat.* Optime hac de re Chrysost. hom. 25. in Gen vbi ponderans illud Act. 5. *Ibant Apostoli gaudentes, &cæt.* Ad quæ verba præcedit, Iudæos flagellasse Apostolos & post illos flagellatos hæsitasse, ac nescisse quid facerẽt illis: ait Chrysost. sic. *Tametsi flagella non gaudij sint occasiones sed tristitiæ nihilominus flagella propter Deũ gaudium eis pariebãt. At ij qui flagellarunt in magna animi consternatione nesciebant quid facerent.* Sic ille Vide ergo flagellatos propter Christum lætos, & flagellantes tristes.

Hic est filius meus dilectus. Duobus in locis historiæ Euangelicæ patet

Pater æternus Christum D. vocauit filium, videlicet, Matth.3. cum in baptismo quo baptizatus est à Ioanne audita est vox dicens: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Et hodie in monte Thabor, eũ dixit vox de nube. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui.* Itaque & in baptismo, & in mõte Thabor, Christus vocatur à patre dilectus filius. Religionis professio comparatur baptismo, vt latius infra ostendo in serm. sanctissimæ Trinitatis: est etiã Religio mons in quo Religiosus trãsfiguratur: quid ergo restat nisi vt exinde maneat ac dici debeat Religiosus per adoptionem specialem dilectus filius Dei? Videtur Religiosis posse in particulari illud applicari quod D. Paulus 2. ad Corinth 6. citat ex Ierem. dicẽs. *Exite de medio eorum (idolorum scilicet) & separamini dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens.* Sic ibi. Qui ergo sunt qui maiori contemptu Idola fugiant, dico res huius mundi quas sæculares tanquã idola colunt, nisi Religiosi qui in professione voto illa renuntiant? Sequitur ergo quod

Religiosi specialiter filij Dei.

2. Corint.

Deus per professionẽ illos adoptet in filios, & Religiosas in filias. Quod si Religiosi sunt Filij: ergo hæredes huius gloriæ hodie in monte ostensæ, iuxta illud Pauli ad Rom. 8 dicentis *Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei cohæredes autem Christi* Sunt enim existentes in gratia cohæredes gloriæ eiusdem speciei, & naturæ cum illa quam hodie ostendit Christus. Quod adhuc claudo cõsolatorio dicto Bernardi serm. illo de quadruplici debito, paulo post initium. Vbi postquam dixit Religiosis, illos esse in via recta, & sancta quæ perducit ad sancta sanctorum. Subdit hæc verba. *Mentior (quod ad consolationem vestram dico) si non ex manibus huius peccatoris, Monachorum, Nouitiorum, & conuersorum animæ ad cælestia gaudia volauerint tam liberæ, quam liberatæ de carcere nostræ mortalitatis.* Hæc ibi. Permittat ille Deus omnipotens qui gloriæ huius pignus hodie nobis proposuit spectandum, post mortem ad illius possessionem nos admittere, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum.

Amen.

(1)

Rom. 8.

SER-

filio Dei. Propter has omnes causas non solũ illa anima erat impeccabilis omnino sed cũ actualiter Deum videret, in illo penitus erat absorta totaliter, vt nullo tumultu, nec tribulatione corporali posset á diuina contemplatione secerni, vel disiungi, sed perenni contemplatione illi semper inhærebat. Ad hæc, pars sensitiua seu appetitus corporeus illius humanitatis santissimæ erat omnino frænatus vel iustitia originali, vel quocunque alio dono per quod nullatenus à recta ratione poterat dissentire. His tamen omnibus non obstantibus Christus D. aliquando populi strepitum, ac turbarum tumultũ fugiebat secedens in loca solitaria, & quieta, quæ maxime erant desertum, montes, & hodie Nauicula. Et quidem de secessu in desertum constat post baptismũ, Matth. 4. De montibus etiam habetur in Euangelio Matth 5. & Matth. 17. & præcipue Luc. 21. dicitur de illo. *Erat autem diebus docens in tẽplo: Noctibus vero exiens morabatur in monte qui dicitur Oliueti.* Hodie vero refert Euangelista quod cum premeretur â turbis, illarum tumultum vellens declinare, ascendit Nauiculam maioris quietis gratia. Si ergo Deus tot vijs impeccabilis, nihilominus occasiones, strepitus, ac tumultus declinat: Miser homo

Matth 4. 5 *&* 17. *Luc.* 21.

quales omnes nos sumus; & adeo ad peccandum faciles & procliues) quid non facere debeat vt peccandi occasiones, & tumultus, ac strepitus huius mũdi effugiat? Nos autem plus in hoc miseri, non solum hæc non effugimus, sed quod peius est, illas occasiones ac tumultus venamur, & inquirimus. Significatur hoc in illo Villico, Math. 18. Quem cum Dominus eius vellet ab officio amouere, ille inquietissimum se valde ostendit ex eo quod inquietudine liberaretur. Dixit enim. *Quid faciam quia Dominus meus aufert à me Villicationem?* Verba sane inquieti, & impatientis sunt ista. Hunc autem Villicum possemus sic interrogare. Nonne ista Villicatio animæ tuæ inquietudinem affert: imo & corporalem vitam perturbat occupationibus varijs, & importunis: & quod maius est: nonne ex illa tibi nascũtur multorum peccatorum occasiones, vel in omissione curãdi rem alienam, vel in materia furti, seu iustitiæ? Cur ego fers impatienter tibi auferri Villicationem? Hæc nempe est nostra sitis, & fames temporalium. hæc nostra cæcitas, vt non solum peccatorũ ac strepitus occasiones non declinemus, sed potius illas procuremus, & illas ablatas nobis deplo remus. Habemus exemplum in illo

Occasiones peccãdi, & tumultus fugiendi.

Matth. 18.

Quietis sumus inimici, & occasiones peccandi nolumus perdere.

Porci inquietissimum animali.

illo filio prodigo Luc. 15. qui relicta paterna domo, in qua quietissime agebat sub alterius cura, & protectione, remotis omnibus solicitudinibus rei familiaris, adhæsit vni ciui alienigenæ, incognito, vt pasceret porcos. Per hoc autem genus animalis denotatur inquietudo particularis quam quæsiuit. Nam porci, inter omnia animalia, sunt inquietissimi. Oues enim, boues, & cætera animalia pecuaria, quieta sunt, nec multum vigilantiam, & curam pastoris exigunt: porci, autẽ in grunitu, in pastu, inquieti, nunquam quiescunt, semper discurrunt, vt difficilimũ sit semper illis assistere. Quod considerans Petrus Chrysologus in quodam serm. de eodem prodigo sic dixit. *Inquieti gregis teritur & maculatur excursu.* In quibus verbis satis inquietudinem, & porci, & pastoris excursum, imo & infamiam verbo, maculatur, denotauit. Elegans est historia illa relata à Seneca ad finẽ lib. de breuitate vitæ: vbi Narrat de quodam Turannio, qui cum esset senex nonagenarius, ab officio procuratoris, quo Gaio Cæsari seruiebat, liberatus, & absolutus ab ipso Cæsare beneficij gratia: domum reuersus componi se in lecto, & tanquam defunctum vita, à familia lugeri iussit: eo quod ab officio & perturbatione liberaretur. Qua de re elegantissime Seneca ibidẽ ad nostram doctrinam, seu reprehensionem sic discurrit. *Adeo ne iuuat occupatum mori? Idem plerisque animus est, diutius cupiditas illis laboris; quam facultas est: cum imbecillitate corporis pugnant, &c.* Quæ vide apud illũ, non enim possunt hac de re meliora reperiri. Facit & id quod ad citatum locum Senecæ refert eius commentator Muretus Muretus modernus, qui refert suis oculis se vidisse casum similem tempore Francisci Regis Franciæ vel saltem dum is autor puer erat narrabatur casus in hũc modum. *Tempore dicti Regis agebat Parisijs quidam mercator alioqui vir bonus, sed qui tota vita nihil vnquã vacui temporis a litibus forensibus habuisset, & in senecta iam ætate fora omnia quotidie peruagabatur. Quod cum delatum esset ad Franciscum Primum Galliarum Regem, misertus inquietudinis senis illius, beneficij gratia, voluit eius lites componere tum quo ad illos, qui ab illo peterent, tum quo ad illos à quibus ipse petebat. At infælix senex ad Regem accurrit, prouolutusque ad pedes ipsius, supplex orat, vt sibi vna, aut altera lis in qua se exerceret relinqueretur, vitam sibi, adempta illa exercitatione, iniucundam, & insuauem fore. Risit Rex & homini qui, nisi inquietus, quiescere non posset, lites suas vbi se arbitratu suo defatigaret, reliquit.* Sic ibi optime

Exemplũ rarũ hominis inquieti.

me Muretus multos horum discipulos, vel imitatores hodie reperias in orbe.

Non hos imitatur nona professa, sed Christum D. Nauiculã ascendentem tumultus, ac strepitus sæculares vitandi gratia Religionem hodie intrat, quæ valde Nauiculæ assimilatur. Nauicula instrumentum proprium, & comodum est ad maris procellas & vortices secure tranandos: & quando in portu est Tribus vel quatuor funibus, seu anchoris tutissimis religatur. Talis est Religio quæcunque, Nauicula est. in qua secure huius vitæ sæcularis turbines, ac procellæ transuadantur. Sæculares quasi vado mundi pericula, & pedibus transeunt, Religiosi ponte, seu Naue. Testis est August serm. 39. dicẽs, *Religiosi ponte transeunt mundo, coniugati vado.* Et Chrysost lib. 3. cõtra vituperatores vitæ monasticæ sic habet de Religiosis. *In tranquillo portu veluti ex cælo ipso cæterorum naufragia prospectant.* Sic ille: quasi scilicet miserantes sæculariũ pericula & gratias Deo agentes pro collato sibi quietis beneficio. Idẽ habet Bern serm. ad fratres in cap. congregatos dicens. *Sæcularium ordo est qui mare magnum vado pertransit, laboriosum prorsus, & periculosum iter.* Et paulò infra ait de periculo sæcularium: *Tam multos in eo perire dolemus, tam paucos videmus sicut necesse est pertransire* Sic Bern præterea sicut Nauis in portu tribus vel quatuor anchoris religata est. Sic etiam Religiosus tribus votis, & Monialis quatuor vinculatur. Denique sicut ille qui mare nauigat, nunquam ab itinere præpeditur, siue enim dormiat, siue vigilet, siue comedat, siue legat, siue laboret, semper nauigat quia naue vehitur: quod non habet is qui per terram graditur, si enim dormiat, vel comedat, iam non conficit viam. Eodẽ modo Religiosus, eo quod omnes suas actiones Deo deuouet in professione, & omnia in ordine facit ex obedientia iniuncta, in omnibus suis bonis actionibus meretur (si alias sit in gratia) siue enim comedat, siue dormiat, siue laboret, semper meretur, & viam ad cælum conficit. Imitatur præterea Religiosa Christum D. ad eremũ secedentem, locaue quieta petentem: vt scilicet quietem spiritualem inueniat, & mundi tentationes fugiat, ac declinet. Libeat audire hac de re D. Ieron. ad Marcellam epist. 54. Respondentem illis qui illum forte taxarent de secessu suo in eremum. Sic enim scribit, *Cur, inquies, pergis in eremum? videlicet vt te non audiam, non videam, vt tuo furore non mouear, vt tua bella non patiar, ne me capiat oculus meretricis,*

Religio Naui assimilatur.

Sæculares vado transeunt mare mundi Religiosi ponte.

Eremum cur sancti petierit.

tricis ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus? Respondebis: hoc non est pugnare, sed fugere, sta in acie, aduersarijs armatus obsiste, vt post quã viceris, coroneris. Fateor imbecillitatẽ meam, nolo spe pugnare victoria, ne perdam aliquando victoriam. Si fugero gladium deuitaui, si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum: quid autem necesse est certa dimittere, & incerta sectari. Sic ille. Quæ omnia Religiosis sæculum fugientibus, & quietum Religionis eremum petentibus accomodantur.

Religiosus non sit cõtẽtus solo religionis ingressu seu profes sione.

Rogauit à terra reducere pusillum) consideratione dignum est, quod Christus Dominus non se quietum credidit solo nauiculæ ingressu: sed vltra ingressum illius; iam in nauicula positus iubet nauiculam â terra seducere, & elongari. Doctrina datur Religiosis, vt non sint contenti solo Religionis ingressu per professionem sed debent denuo elongare à terra, non terrena amplius desiderantes, neque illorum curis amplius se ingerentes. & tanquam canes ad vomitum reuertentes. Optima quidem est professio, qua Religionis nauem ascẽdimus: actus est fere excellẽtissimus super omnes act[9] morales huius vitæ: sed sola illa non sufficit. Iudas nobis exemplum sit, qui hunc fælicem statum cum cæteris Apostolis professus est: sed solus status eum saluare non potuit, quia postquam intra illũ statum fuit, non se elongauit à terra, sed potius terreno corde ad loculos, & res mundanas reuersus est. Diuus Bernardus serm 3. super Psal. *Qui habitat:* sic fratres suos alloquitur. *Lætos vos esse volo, non securos, &c.* Et ratio in promptu est. Nam professio pura, ac tota promissio est pendens de futuro, seu de rebus promissis imposterum implendis. Non ergo illa sufficit sed totum adhuc faciendum restat, & per mundi maiorem fugam Deo inhærendum est, & à terra recedendum. Hodie ex animo dicere, & cogitare debes illud Psal. 76. *Et dixi nunc cæpi.* Nunc enim iter aggrederis, Ægyptum fugiens, & quotidie longius recedens per quadraginta mansiones, variasque perigrinationes, ac labores oportet exercearis.

Psal. 76.

Duc in altum) constat eo mare abundare pluribus, ac maioribus piscibus quo altius est, & aquæ altitudine præeminet. Iuxta littus vero vbi aqua rara est nec altum mare, pauci, aut rari pisces inueniuntur. Et causa est quia in alto mari subtus aquam inueniunt pices sua conuenientia, & abundantia pascua ad vescendum, & sic plures, ac grandiores pisces ibi procreantur. Iubet ergo Christus Apostolum Petrũ piscari in alto, ibique copiosiorẽ pis-

Religio altũ mare, plenũ pascuis, & maioribus piscibus. i. Sanctis.

piscium multitudinem prehendit. Religionem intelligo altum mare in quo grandiores, ac plures pisces seu sancti inueniuntur. Mundus autem mare est sed mare siccum, depressum, paucis aquis refertum. In Religione abundantissima pascua spiritualia sunt ad pisces, ac sanctos procreandos, & proinde plures ibi reperiuntur, quam in sæculo arenoso mari, & pascuis spiritualibus carente. Quod autem status Religiosus sit altum mare, seu altissimus status, constat ex illo Euangelio sexagesimæ Luc. 8. de semine in triplicem fructum diuiso, tricessimum scilicet, sexagesimum, & centesimum. Vbi Doctores communiter per centesimum fructum, statũ Religiosum intelligũt, qui eo quod altior, & perfectior cæteris omnibus est, fructum copiosiorem producit. Pater noster Franciscus in sua regula, de sola paupertate, hoc protulit encomiũ. *Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, &c.* Hanc etiam Religionis altitudinem maioribus, & pinguioribus pascuis spiritualibus refertam, ego hac ratione deduco: principalia pascua spiritualia, quæ Deus in sua Ecclesia reliquit sunt septem sacramenta, vt constat: & ex his septem duo magis quotidiana magis necessaria, & maiora, sunt sacrosancta Eucharistia, & sacra confessio: alia enim sacramenta neque omnibus, neque adeo necessaria sunt Iam vero constat sacram Eucharistiam, & confessionem, nullibi magis frequentari, quam inter Religiosos: ergo præcipuis Ecclesiæ pascuis crebrius fruuntur. Vltra vsum vero horum duorum sacramentorum fere quotidianum, sunt inter illos multa, & quotidiana alia exercitia virtuosa, orationis, scilicet, vigiliarum, ieiuniorum, lectionum sanctarum, & operum propter obedientiã factorum, quibus mirifice anima crescit, & impinguatur quotidie, vt ex his omnibus iure Religionem vocare possimus altum mare, abundantissimum absconditis pascuis pinguibus, spiritualibus, propter quæ in illa plures, ac maiores Sancti reperiantur quam in mundo Vnde hac de causa illis conuenit hoc dictum, duc in altum, piscatur enim Religiosus in alto mari pleno, & referto abundantioribus pascuis & meritorum occasionibus. Sæculares vero ob defectum horum omnium præcedentiũ piscantur nõ in alto, sed iuxta littus aridum & arenosum, vbi rari vel nulli pisces sunt, paucæ merendi occasiones, sed multæ demerendi ansæ, & peccandi pericula. Et hac de causa sæcu-

Luc. 8.

Fructus trigesimus, & sexagesimus & centesimus quibus conueniant.

Sæculares tota vita laborãtes nihil vel parum capiunt.

lares merito de se possunt hodie dicere cum D. Petro per totam noctem laborantes nihil cepimus, id est per totam fere vitam laborantes parum merentur. Ratio in promptu est, primo enim non adeo frequentant illa duo sacramenta, & exercitia spiritualia sicut diximus de Religiosis, præterea habent plures occasiones peccandi quam illi. Tertio multi semel tantum in anno ad pænitentiæ sacramentum accedunt, & eadem die vel saltem hebdomada qua confitentur reincidunt, & sic versantur toto anno, vel per maiorem partem illius. Quæ omnia quis non videat parũ ad meritũ augendum conferre? vnde sibi timere debet illud Iob cap. 6. dictum. *Ambulabunt in vacuũ & peribunt.* Ad quæ verba D. Gregorius eius sententiæ Iob causam reddens sic ait: *Alius namque adipiscendis honoribus exsudat, alius multiplicandis facultatibus æstuat, alius promerendis laudibus anhelat, &c.* Et paulo infra, cum dixerit nihil illorum trium hominem secum post hãc vitam deferre, subdit hoc modo. *Labores in vacuum perdit quia ante iudicem nihil tulit.* De laboribus sæcularium vacuis & inanibus potest intelligi illud Aggæi 1. *Bibistis, & non estis inebriati, operuistis vos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregauit misit eas in sacculum pertusum.* Omnes namque sæcularium labores pro vano fine suscepti reponuntur in sacculo pertuso, seu perforato, quia in ordine ad gloriam vacui, sunt, & infructuosi. Illis bene quadrat illud Psalmi 75 *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

Iob 6.

Labores sæculariũ vacui.

Psal. 75.

E contrario vero Religiosi, & Religiosæ, eo quod piscantur in alto Religionis, breuissimo tempore magnum meritorum incrementum recipiunt: tum ob prædictas causas, tum etiã quia omnia ex obedientia faciunt, eo quod in professione omnes suas futuras actiones deuouent. Quẽadmodum enim qui alicui arborem suam vendit, aut donat; eo ipso vendit, seu donat illi omnes fructus quos in æternum prædicta arbor producet. Eodem modo qui in professione per tria vota se, suamque personam Deo consecrat ipso facto omnes actiones à se in posterũ producendas Deo consecrat, & offert, vt exinde seu ex eo titulo Deo gratiores maneant. Ad hoc respiciens Bernard. serm. 63. in serm. paruis applicat Religiosis illa verba Cantic. 4. *Sicut grex tonsarum omnes gemellis fœtibus & sterilis non est in eis.* Persona enim Religiosa ob magnam merendi occasionem, in quouis actu Cant. 4.

suo

ſuo meritorio, quaſi duos fœtus parit, ſeu duplici ex cauſa meretur. Cauſam huius rei aſsignans Bernardus, ait Religioſos in quouis opere duobus modis mereri, *quia, inquit, verbo pariunt, & exemplo*: id eſt, proſunt ſibi opere, & alijs proſunt exemplo. Ego autem eiuſdem ſententiæ cauſam fere Theologam aſsignans dico; Religioſos in quouis opere duplici ex fine mereri. quia ſcilicet earum opera facta in gratia habent, vnam portionem meriti ratione illius virtutis cuius ſunt actus, vt ieiunij, orationis, & ſimiliter. Et præterea idem opus alio etiã ex capite meritorium eſt, quia ſcilicet propter obedientiam factum, & quia in profeſsione fuit Deo ſpecialiter oblatum. Quod maxime verum eſt in operibus directe emanantibus à tribus votis. Caſtitas enim Religioſi dupliciter meritoria eſt, & quia caſtitas, & quia promiſſa. Similiter de actu bono moraliter facto per obedientiam: omnes autem fere actiones Religioſi vt dormire, comedere, & cæt. fiunt ex obedientia ac proinde fere omnes actus meritorij illius gemelli ſunt, & ex duobus capitibus meritorij, vt etiam ſequentia verba Bernardi, ſeu Canticorum conueniant eidem Religioſo, *& ſterilis non eſt in eis*, id eſt nullus actus aliàs bonus, eſt vacuus in Religione. De Religioſo etiam ob eaſdem cauſas vere poterit intelligi illud in Pſalmo primo: *Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Vide vbertatem, & fæcunditatem arboris plantatæ in ſolo pingui, fertili, & iuxta torrentes aquarum. E contra vide ſterilitatem arboris plantatæ in terra deſerta inuia, & inaquoſa, petroſa, & ſitienti. Religioſi ſunt arbores primi generis, ſæculares vero ſunt arbores ſecundi generis, ſunt enim in mundo, cui competit illud Pſal. 62. *In terra deſerta, inuia, & inaquoſa.*

Religioſi opusquodcunque factum in gratia dupliciter meritoriũ.

Pſal. 1.

Pſal. 62.

Rumpebatur autem rete eorum. Noſter Nicolaus de Lyra ad hunc locum conſiderat duo miracula in hoc facto contigiſſe: primum fuit inſolita prehenſio tot piſcium, vt rete rumperetur, & duas nauiculas implerẽt. Secundum, quod cum tanta eſſet piſcium multitudo, & rete ſciſum eſſet, piſces nõ exierũt neq; effugerunt. Ego autẽ, ſi poſſem cũ irrationabilibus loqui, per cõtarer, quare piſces, cum rete ſciſum ſit, & aperta porta non exiſtis? Reſpondeo pro illis dicens: ex Diuino imperio hic concluſi ſumus, iuſsit enim Dominus laxare rete in capturam noſtrã: & proinde

Miracula duo in iſta piſcatione Petri.

Clausura monialiū similis piscium clausuræ in retibus.

proinde ex Diuino imperio ligati, etiam aperta porta exire non licet, etiam si sciamus mortem nobis certam esse. Ad Religiosos hoc applico, maxime ad Religiosas, quæ clausuræ voto propter Deum se obstringunt: tam vero illæ quam Religiosi perpetuo Religionis vinculo, & quasi carceri se obstringunt. Et cum sæpe sæpius occasionem habeant, si velint, claustrum Religionis egredi, nullo modo faciunt, hac nempe consideratione ducti; ligati, & conclusi sumus ex imperio diuino, seu nostra voluntate propter Deum. Considerauit optime hoc, & miraculum, appellauit D. Bernard. serm. 1. dedicat. Ecclesiæ sic suos alloquens Religiosos. *Quod maius miraculum, quando tot iuuenes, tot adolescentes tot nobiles, vniuersi denique quos hic video, velut in carcere aperto tenentur, sine vinculis, solo Dei timore confixi, quod in tanta perseuerant pænitentia vltra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem?* Sic ille. Et sane miraculum videtur, vt ait Bernardus: & tamen quia quotidianum in admiratione nō est. Sæculares intra domus suas delitijs affluentes, ludis, verbis otiosis, & alijs dediti quæ mærorem leuant, contineri non possunt: Religiosi vero illis quæ dicit Bernardus occupati, aperto ostio ef fugere abominantur. Re enim vera hodiernos pisces imitātur, qui retis aperto ostio non exibant, quia nutu, & imperio Dei conclusi fuerant. Sic Religiosi, & Religiosæ in suo perpetuo carcere, & clausura discurrant; conclusi sumus per manum Domini. Quo facto discursu, non solum Religionis vinculum illis durum non erit: imo potius eisdem suauissimum videbitur, ita vt in illo quasi gloriantes cum Paulo dicāt Ephes. 4. *Ego vinctus in Domino.* Neque vero soli pisces hoc hodie fecerunt, sed ab ipso parente suo mari videntur didicisse, quod vsque hodie non est transgressum terminū illū quē Deus illi assignauit, ne transiret: & cū irrationale sit, & indomitum, & procliue ad operiendam terram, suis tamen quasi vinculis continetur, & cōstringitur, vt terminū præscriptū nec vnū iota transiliat. Imo admodū infantuli intra fascias, & pannos infantiæ ligati, & cōclusi, nec manus mouentis: ita mare ex iussu diuino intra illos suos terminos cōtinetur quasi immotum, quemadmodum Deus de mari ad Iob loquens cap. 38. dixit: *Et caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem: circundedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia, & cat.* Quid ergo mirum si faciat Religiosus homo

Ephes. 4.

Mare clausum termino, & carcere.

Iob 38.

homo rationalis,& voto obligatus,quod & pisces irrationales, & mare insensibile fecerunt?

Et annuerunt socijs qui erãt in alia naui vt venirent & adiuuarent. Consideratione dignum est quod Petrus & socij, quãdo præcedente nocte nullos pisces prehendiderunt, non indiguerunt auxilio aliorum, qui erant in alia naui. Vbi vero primum multam piscium copiam prehẽdiderunt,& quasi diuites effecti sunt,statim alieno auxilio indiguerunt, & alienam opem implorarunt. Hæc nempe est certißima experientia,quod si pauper es paucioribus indiges.Si vero diues es,multo plura tibi sũt necessaria, & magis indigus es.

Pauper nõ indiget, diues vero quo ditior eo indigentior.

Hoc ego primum probo ex illo celebrato dicto Diogenis, qui cum in foro,seu in nundinis vidisset multa & varia venalia, quibus homines intendebant. Dixit, *Quantis non indigeo*, intelligebat nempe ille Philosophus quod is qui pauperrimus erat, sicut ille,& sua paupertate contentus,& quietus erat,non egebat rebus temporalibus huius vitæ,quas homines nimia solicitudine procurant. Hoc ipsum videtur comprobari ex Paulo 2. ad Corinth.6. *Tanquam nihil habentes & omnia possidentes.* Consideratione dignum est quomodo dicat illos omnia possidere, qui

2. Cor. 6.

nihil habent? si enim nihil habent, quomodo possident omnia?Nimirum,cum nihil habent propter Deum, tunc se habent quasi omnia possiderent, nihil enim desiderantes,nulla re indigent: læti sunt, non indigent famulis,familia operarijs, delitijs, & cæteris quæ diuites quo ditiores sunt, magis habent necesse. Et insistentes eisdem verbis Pauli possumus facere argumentũ à contrario. Si enim iuxta illius hanc sententiam,illi qui sunt nihil habentes, sunt omnia possidentes : ergo è contra, omnia possidentes sunt nihil habẽtes. Hinc iam patet hoc Religiosis maxime conuenire, qui videlicet,eo ipso quod propter Deum se nihil habere promittunt, eo ipso ditiores sunt & minus indigent. Liceat hoc etiam ad nouã profitentem applicare, ratione habitus, ac veli pretij vilis quibus hodie induitur, in hac paupere & pœnitenti Religione sanctæ matris Claræ. Considerate nobilem & pulchram,diuitemque fæminam adolescentem in mundo,quantis indigeat ad ornatum suum. Nimirum indiget vt ex singulis fere regnis mũdi deportentur, & cõquirantur res singulares & singularia donaria, vt decenter valeat ornari.In lib. Esther cap.2. totus ornatus pertinens ad ornandam muliebrem,

Esther 2.

dicitur mundus muliebris. Sic enim ibi dicitur de puella Esther. *Et praecepit Eunucho vt accelleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes suas &c.* Et vere quidem. nam ex toto fere mundo singulæ Prouinciæ ad fæminam ornandam concurrunt, ex Venetijs christallina specula, ex Germania pelliculæ pretiosæ, ex India Orientali odores aurum pretiosum, ex India Occidentali aliæ margaritæ, ex Italia vestes sericæ, ex Francia panni pretiosi, seu ex Anglia, & sic de alijs multis quæ ex diuersis regnis comportantur. Cui cõsonat id quod scribit Tullius orat. 5. in Verrem. in regno Persarum destinatas fuisse multas vrbes opulẽtas pro ornatu Reginæ, ita vt singulæ ciuitates quasi ex tributo contribuerent ad aliquem ornatum Reginæ, alia scilicet ornatũ ad caput, alia ad capillos, alia ad pectus, alia ad pedes seu calceos & sic de alijs. Ecce quibus indiget diues puella. At vero iuuencula Christi pauper propter ipsum effecta, ecce quibus hodie contenta est paupere scilicet illo habitu, vili tunica, grosso velo, dura chorda, & hæc sunt omnia, ita vt nulla alia re indigeat, & proinde etiam ex hoc fælicẽ hunc, & quietum statum appellare possimus, qui alumnas suas tantis vestium molestijs, & mora, ac tædio liberet quale sæculares in opposito experiuntur.

Ornatus fæminæ cur dicatur mundus muliebris.

Secundo in his verbis, *annuerunt socijs,* considero particularẽ consolationem Religiosorũ quã non habent æque sæculares, videlicet mutuam societatem aliorum Religiorum ad necessitates spirituales maxime, & corporales subleuandas. Nam si forte Religiosus ceciderit in aliquam culpam, vltra prælati vigiliam, habet cæteros omnes Religiosos socios quorum vel exemplo, vel admonitione, vel timore, aut culpam cauet, aut illam emendat. Sæculares vero de hoc non curant. Facilius enim inuenies in sæculo qui ad peccatum incitẽt, vel illud factum approbẽt, quã qui illius dolorem commendẽt. Et hac etiam de causa Christus Dominus quasi gemens, & suspirans dixit Matth. 18. *Væ mundo à scandalis.* Itaque Religiosi hoc habent emolumentum mutuæ societatis spiritualis ad se inuicẽ iuuandos, & quasi purgandos spiritualiter. Eaque de causa Christus Dominus Luc. 10. mittens Septuaginta duos discipulos ad prædicandum, *misit illos binos ante faciem suam.* Binos inquam misit, vt vnus alteri solamen, prælatus custos, & medicus spiritualis & temporalis esset Sæculares vero ad inuicem hanc strictam societatem non habent,

Religiosi solatium & leuamẽ ex sancta societate.

Matt. 18.

Luc. 10.

habent,ſed illis quaſi in hac materia conuenit illud Eccleſiaſtes cap 4. *Væ ſoli,quia cum ceciderit nõ habet ſubleuantem ſe.* Quod in ſpiritualibus,& corporalibus commodius habent Religioſi, vt vidimus.

Eccleſ.4.

Exi à me Domine quia homo peccator ſum. Omiſsis alijs expoſitionibus horum verborum,cito ad noſtrum intentum expoſitionem D. Ambroſij ad hunc locũ Lucæ: qui aſſerit D. Petrum nõ petiuiſſe his verbis, vt Chriſtus Dominus à nauicula exiret; illumque deſereret, ſed quod videns ſe tot beneficijs à Deo cumulatum,petiuit auxilium ne in ſuperbiam ſpiritualem laberetur. Verba Ambroſij ſunt: *Non rogat vt deſeratur,ſed ne inſtetur.* Videbat nempe Petrus ſe intra ſuã nauiculam habere ipſum Deum cæli;videbat ab illo ſibi datam illam adeo magnam,& inſolitam piſcium comprehẽſionem; ideo exclamat iuxta Ambroſ & diuinam manutentiam implorat,ne ipſe de tot beneficijs ſuperbiat, & intumeſcat: & proinde actum humilitatis mirificæ exequuit. Hæc autem verba, & intentio maiori iure videntur poſſe accommodari nouæ profitenti, quæ hodie longe maioribus beneficijs, ac pluribus à Deo cumulatur. Primo enim, non intra nauiculam,ſed intra ſe,& in ſtomacho Chriſtum recipit ſacris confeſsione,& communione re fecta. Et exinde non piſces ſed gratiam cum multis donis ſpiritualibus á Deo recipit. Secũdo habet indulgentiam plenariam à D Papa Paulo V. conceſſam: habet meritum holocauſti,quo ſe & ſua omnia Deo conſecrat in æternum.Habet ergo pluſquã D Petrus hodie habuit ex ſola Chriſti Domini ſuſceptione intra nauem,& ex ſola piſcatione. Ad hæc habet hodie fieri,& vocari ſponſam Chriſti Domini. quæ excellentia,ac dignitas quãta ſit poteſt conijci ex eo, quod dixit Dauid 1. Reg. 18. quando Saul dedit illi filiam ſuam in coniugem, agnoſcens enim cõditionem, & ignobilitatem ſuam dixit: *Quis ego ſum, aut quæ eſt vita mea, aut cognatio patris mei in Iſrael, vt fiam gener Regis?* Tanti nempe æſtimauit dignitatem illam quæ erat eſſe generum Regis. Multo excellentior dignitas eſt in eodem quaſi gradu affinitatis ſpiritualis,eſſe nurum Patris Æterni. Si enim virgo Chriſti hodie fit ſponſa Chriſti,ſeu ſponſa Filij Dei: recte ſequitur quod fit nurus Dei, ſeu nurus Patris Æterni. Ob hæc igitur tot,ac tanta beneficia hodie à Deo recepta, dicas cum

Sponſam eſſe Chriſti Domini quãta ſit excellentia.

1.Reg.18.

Petro: *Exi à me Domine quia homo peccator ſum.* Dicas, inquam, ad ſenſum tamen Ambroſij, non petens vt deſeratis, ſed ne tantis beneficijs ſuperbias, & intumeſcas. Ego autem ex parte ipſius Chriſti tibi dico quod non deſereris vnquam ab illo. Si enim ipſemet Chriſtus Dominus Matthæi 19. proprio ore de coniugatis dixit, *quod vir propter vxorem relinquet patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ* Ipſemet Chriſtus verbis ſuis ſtabit, & te ſponſam ſuam non derelinquet, ſed in omnibus tibi aſsiſtet. Imitare etiã Petrum, ac Dauidem in cognoſcenda propria infirmitate, ignobilitate, & nihilitate in ordine ad tot, & tanta beneficia: exerce actum profundiſsimæ humilitatis: dona enim Dei per humilitatem melius quã per quid aliud, & denuo acquiruntur, & habita conſeruantur. Faxit ille Deus qui hodie & Petro, & tibi tot beneficia communicauit, vt nobis omnibus hic gratiam, & in futuro ſæculo largiatur gloriam, Amen.

Matt. 19.

SERMO



SERMO VIII.

IN FESTO SACRO-SANCTÆ TRINITATIS, ET IN PROFESSIONE MONIALIS.

Euntes baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.
Math.vlt. Matth. c.vlt.

HOdie docetur Ecclesia quis nam sit verus Deus, quem colit, & adoret:& hanc solemnitatẽ possumus appellare portam fidei nostræ, per cognitionem namque veri Dei oportet intrare ad cognitionem, & professionem cæterorum misteriorum fidei. In quo nos vt clarius procedamus primo breuiter ostendamus quod sit Deus Secundo qualis sit iste verus Deus. Et primo quod sit, ac detur Deus in rerum natũra adeo per se notum & charum est, vt fere iniuriosum sit Deo, velle ostendere esse Deum. D. August in Soliloquijs cap. 31. ait magis se posse dubitare vtrum anima sit in se ipso, quam vtrum Deus sit in mundo: tot enim ac tanti effectus, seu indicia illius sunt, vt omnes fere creaturæ etiam inanimes id proclament. Quis enim aues irrationales docuit tali tempore infallibiliter, sibi esse transmigrandum in alienas terras, quas nunquam viderunt? Et in tali tempore debere nidos construere? Quis formicas mouet tali tempore grana congregare debere, & tali, ex imis antris eadem debere soli exponere? Et alia multa

Deũ esse, notius est, quam animã esse in homine viuente.

particularem sibi quam non haberet alius Deus, vnaquæque enim res habens distinctam naturam ab alijs, habet proinde distinctam perfectionem natura enim omnis perfecta est: ac proinde vnus Deus non haberet perfectionem alterius Dei: nec ex consequenti esset omnino perfectus, quippe cui deesset aliqua perfectio. Aliam format rationē naturalem Tertullian in Apologet. contra gentes cap. 17. Quæ est talis. Vos ipsi cum habeatis tot millia Deorum, si tamen attenditis ad ipsum animæ testimonium, illa loquitur esse vnum tantum Deum, quamuis enim vos illi proponatis hæc millia Deorum: nihilominus ipsa, quādo ex laboribus, afflictionibus, vel vitætædio naturaliter gemit, suspirat, vel clamat, non vestros Deos inuocat: sed solum Deum nominat cælum aspiciens, quasi confitens naturaliter, vnum tantum Deum cæli esse in mundo ad quem solum confugiendum sit. Hunc enim solum Deum iudicem cōtestatur, hunc dicit abscondita videre. Qua de causa ponit ibi Tertullianus hæc verba. *O testimonium animæ naturaliter Christianæ!* Habemus ergo certissime & esse Deum, & non posse plures esse Deos. Qualis autem hic Deus sit, & quantus hodie nobis veritas ipsa IESVS Christus edisserit dicēs, esse vnū tantum Deum in essentia, & Trinum in personis. Hoc enim significant illa verba, *In nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Primo enim posuit, *In nomine*, in singulari, non in plurali, dicendo, nominibus: ad denotādam vnicam tantum naturam, & essentiam, vnicam tantū voluntatem, & vnum tantum intellectum in omnibus tribus personis. Deinde posuit nomina trium personarū distinctarum realiter, quæ sunt *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus.* Quæ tres personæ distinctæ realiter, sunt nihilominus vnus tantum Deus, eo quod habent omnes tres vnam tantū, & eandem numero Deitatem. Hic est, cardo fundamentum, & porta totius nostræ fidei.

Sed video ab aliquibus desiderari vt hoc sibi mysteriū magis explicetur, & ratio aliqua vel exemplū adducatur, quo posit Quietius huic sacrosancto misterio credere & assentiri. Videri enim posset alicui gentili, vel curioso, pene impossibile, quod tres sint vnum: id enim Arithmetica videtur contradicere, dicens vnum & tres esse quatuor. Tu vero dicis tres personas esse vnū tantum Deum. Ego prius protestans, me nolle fidei iniuriam facere, vt mox patebit, possem vtcumque hoc aliquale exemplū pro-

proponere. Dicunt Philosophi Christiani, & moderni, Deum posse facere de potentia absoluta, vt vna tantũ anima informet tria corpora simul: quemadmodum enim potest, Deus ponere vnam animam in tribus locis distinctis: ita posse videtur ponere vnam animam in tribus corporibus informatiue. Hoc autem admisso illa numero anima in tribus illis corporibus non faceret tres homines vt patet: quia tres homines habent tres animas. & ibi est vna tantũ anima, vna voluntas vnus intellectus: quamuis ergo essent tria corpora distincta realiter, esset tamen vnus tantum homo propter vnitatem vnius tantum animæ. Eodem modo, vtcumque, credet aliquis rem, se habere in hoc sacrosancto misterio: quia scilicet tres personæ Diuinæ habent vnã tantum numero naturam, siue Deitatem, vnam tantum voluntatem, & vnum intellectum, fit vt non tres Dij, sed vnus tantum Deus dici debeat, & reuera vnus tantum sit. Et quidem licet ex parte misterij huius ita se res habeat: nihilominus prædictum exemplum trium corporum & vnius animæ non est omnino simile, & Philosophice etiam in multis deficit: maxime in hoc quia illo miraculo dato sicut ibi tãtum esset vnus homo propter

Fidei obscuritas nõ potest ratione probari, & hoc expetere error est.

vnam animam, ita etiam daretur vna tantum persona humana vt patet. At in hoc sacrosancto misterio retenta vnitate vnius tantum naturæ, dantur re vera non vna tantum, sed tres personæ diuinæ. Sistat ergo mens humana curiosum discursum, nec velit humanis diuina metiri, iam enim diuina, mira non essent, si possent clare humanis oculis intelligi. Acute hoc nos admonuit admirabile illud Ecclesiæ ingenium Augustinus: à quo cum Voluzianus peteret explicationem alterius non minus difficilis misterij, videlicet Incarnationis: Augustinus in epistola ad eundem Voluzianum de misterio Incarnationis, sic rescripsit. *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile Si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse quod nos fateamur inuestigare non posse.* Sic August. cuius verba sic expones. O Voluziane, hic, idest in hoc misterio Incarnationis explicando, si quæras rationem claram istius facti, iam misteriũ desineret esse mirabile: quia mirabile nõ est id quod clara ratio ne ostenditur: Nos vero dicimus misterium Incarnationis esse mirabile. Deinde, si exemplũ poscitur, idest, si tibi possem dare exẽplum naturale, quo perfecte, & clare tibi ostenderem vnionem illam humanitatis cum verbo: iam

Si fides posset ratione probari iam non esset fides.

iam hoc misteriũ Incarnationis nõ esset quid singulare. Singulare enim nõ est id quod vulgatũ est, & habet sibi similia Nos vero dicimus vnionẽ illã Incarnationis esse vnionẽ singularẽ qualis nulla altera in mũdo fuit. Ob hæc cõcludit Augustinus: siquidẽ ergo huius misterij Incarnationis nec possumus asignare rationẽ claram, nec exemplũ euidens. *Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse* Concedamus Deum potuisse vnire humanitatem cum verbo D ita vt verbũ maneret verus homo, & maneret vna, tantum persona verbi in humanitate subsistens: quãuis nos id nõ posimus assequi per intellectũ, paruũ enim, ac infirmũ Deũ haberemus si ille nõ posset plura facere, quã quæ nos clare possemus percipere. Hoc totũ dictũ Augustini, ego applico huic sacrosancto misterio Trinitatis. Dico enim curiose quærenti, vis clare cognoscere quomodo tres personæ sint vnus tãtũ Deus? si de hoc rationem claram, & naturalem desideras: iam hoc misterium desineret esse mirabile, si posset clara ratione explicari. Si petis tibi dari clarum exemplũ quale videbatur illud, vnius animæ in tribus corporibus, dicam, quod dato tali adæquato exemplo iam misterium Trinitatis nõ esset singulare: est autẽ singulare quid, & nouum in hac materia.

Paruum Deũ haberemus si ille solum illa posset facere quæ nos assequi possemus.

Qua de causa demus, & cõcedamus, Deũ in se aliquid esse quod tu non valeas intelligere. Paruus enim, & tantillus esset Deus noster, si non esset in se aliud quam tu naturaliter posses clare cognoscere. Sufficiat nobis quod ille de se ipso hodie dixit deque alijs personis, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Sufficiat nobis quod, quamuis hoc misterium difficile omnino sit, & inaccesibile, ad hanc tamẽ illius difficultatẽ, & obscuritatem vincendam, idest credẽdam, habemus animosam fidẽ á Deo nobis infusam. Pulchro quidẽ, & apposito Epitheto D. Tho. fidẽ nostrã intitulauit, quãdo in hymno quodam festi Corporis Christi vocat fidem animosam dicens. *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides.* Quasi diceret: Non capis, neque vides clare quomodo tota Christi humanitas in paruula hostia posit contineri? Noli de hoc tristari, noli conqueri, cum habeas animosam fidem infusam, quæ tibi in credendo vincere faciet omnes dubitationes, & omnes difficultates. Idem tibi dico Christiane: non capis, non vides quomodo tres personæ posint habere vnam tantum Deitatem, & esse vnus tantum Deus? Noli conqueri, noli mæstus esse: habes animosam fidem quæ te vincere faciet omnes in credendo

Fides nostra animosa est.

difficultates. Animosa est Fides nostra, quia scilicet animat, confortat vires addit ad omnia difficilia credenda. Concinit pulchre ad hoc intentum quod notauit noster Nicolaus de Lyra, & Burgensis citati apud Petrum Ona in suis Postrimerijs lib. 1. cap. 2. discursu 2. fol. 42. Asserit ergo noster Lyranus quod in toto Pẽthatheuco, seu quinque libris Moysis continentur litteræ sexcenta tria mille, quingenta quinquagenta. (Nec mirum si quinque libri tam paucas litteras habeant, cũ Hebræi ex vna tantum littera cum multis punctis, multas litteras efficiant, seu multas significationes.) Aduertit præterea omnes milites illius populi Israelitici in deserto fuisse in numero æquali, videlicet sexcenta tria mille, quingenta quinquaginta, vt habetur num. 2. ad finẽ. Vt interim videas Deum per illud voluisse ostendere illi populo in deserto, quod tantum valeret vna littera oris sui, siue Moysis loquentis ex Deo, ac valeret vnus miles armatus. Hinc possumus, ac debemus aduertere quod non solum sententiæ Bibliæ, & sententiæ Fidei sunt infallibiles, & indubitatæ veritatis, sed etiam singulæ litteræ adeo veræ, & infallibiles sunt, vt quæuis æquiparetur vni militi armato: & ob hanc causam merito à diuo Thom. fuisse Fidem vocatam animosam. Et fere temerarius, & pene infidus esset, qui Fidei mysteria sibi clare explicari postularet: iuxta illud diui Bernardi epistola ad Innocentium Papam: *Quid magis contra Fidem, quam credere nolle quidquid non posit ratione attingi?* Sic ille. Si enim me ipsum clare non possum cognoscere, quid scilicet sit anima mea, verbum mentis, corporis qualitates, &c. Quomodo potero clare cognoscere in hac vita quid sit Deus?

Quæuis littera sacræ Scripturæ est miles armatus.

Dato autem quod non sit laudabile inquirere causam, & rationem tanti mysterij, non erit illicitum quærere, quare saltem iubeamur baptizari in nomine trium harum personarum, vt hic dicitur, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti?* Proponit, & soluit hanc dubitationem Theodoretus quæst. 19. super Genes. dicens: *Quod, quia in hominis primi creatione, facta est mentio, trium Personarum Diuinarum, & ibidem homo factus est ad imaginem Sanctissimæ Trinitatis: iustum, & conueniens fuit, quod in baptismo, in quo homo quasi regeneratur, & reficitur reformetur iterum cum expressione Sanctissimæ Trinitatis, ad cuius imaginem primo factus est.* In quo videtur Theodoretus hoc exemplum proponere. Si cõtingeret aliquam imaginem, olim

Baptismus cur fiat in nomine sanctissimæ Trinitatis

olim factam ad exemplar vnius alterius Prototypi insignis, in modo deformatam esse & maneret adhuc viuum, & integrum Prototypon illud: qui hanc deformatam imaginem vellet reformare, non aliter id melius faceret, quam recurrendo, & respiciendo ad primum illud Prototypon per quod facta est primo. Eodem modo, factus est homo ad imaginem Trinitatis sanctissimæ, & factus est pulcher in gratia, Genes. enim 1. dicitur in plurali, Faciamus hominem. Rursus per peccatum deformatus est. Cum ergo in baptismo reformandus sit homo, non commodius id fieri debuit quam inuocato in baptismo eodem misterio sanctissimæ Trinitatis: & proinde dicatur, *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Hæc est vis & excellentia baptismi inter alia sacramenta quod quando debite recipitur semper & dat gratiam, & præterea remittit omnem pænam debitam ex inuocatione santissimæ Trinitatis, & ob passionem Christi

Baptismus remittit semper totũ pænam & idẽ facit professio.

Et hanc excellentiam remittendi semper omnem pænam debitam peccatis nullum aliud sacramentum habet præter baptismũ Quoad hanc vero totalem pænæ remissionem, seu satisfactionem nihil magis assimilatur baptismo quam professio alicuius Religiosi, vel Religiosæ: hæc enim totam pænam debitam peccatis ipsius profitentis tollit, & pro illis satisfacit, vt expresse tenet D. Tho. 2.2. q. 189 ar. 3. ad vlt. asserens oblationem illam totalem qua quis in professione se, & sua offert Deo habere vim satisfaciendi pro omnibus pænis peccatis debitis Assimilatur præterea professio baptismo, adeo, vt aliqui doctores cũ Magistro in 4. dist. 38. dixerint nostrum baptismum esse professionem quandam qua profitemur seruare legem Euangelicam. Et D. August. de symbolo ad Cathecumenos baptismum vocat professionem, sic enim dicit de baptismo *In qua professione non hominibus, sed Deo, & Angelis dixistis renuncio.* Fauet quod ad exemplũ trium votorum in professione emissorum, ter iubetur baptizato vt diabolo, ac pompis eius renunciet. Secunda causa similitudinis inter baptismum & professionem est, quod inter cæremonias factas baptizato, est vna: qua ab illo percontatur baptizans: *Renuncias diabolo & pompis eius?* At constat quod in nullo actu humanæ vitæ homo magis renũciat diabolo & pompis huius sæculi quam in actu professionis Religiosæ. Ibi enim, homo, & fæmina vt plurimum nobilis iuxta illud ad Phil. 2. semetipsam exinanit

Baptismus cum professione comparatur.

Philip. 1.

nanit formam seruæ accipiens. Tertia causa similitudinis est, quoniam sicut diximus baptismum totam pænam tollere, ita professio hodie ex concessione sanctissimi D. Pauli 5. habens annexam indulgentiam plenariam, est alter quasi baptismus. Quarta causa est, quoniam sicut in baptismo mutatur nomé baptizato adulto, ita & in professione mutatur nomen profitenti, si vult. Mihi vero consideranti causam ob quam in professione mutatur nomen profitenti, hæc occurrit. Nam vt ait Chrysost hom. 7. de laudibus Pauli, solebant olim Reges, aut duces, seruis denuo captiuis, vel emptis ablato veteri, nouum nomé imponere: quod legitur fecisse Rex Babylonis tribus illis pueris captiuis Danieli & soc ijs. Quibus nomina noua imposuit, Sydrach, Missach, & Abdenago. Et hoc faciebant in signum, quod Rex aut Dux nouam illius serui possessionem capiebat. Idem fieri videmus in baptismo, & professione. Ante quam quis baptizetur, aut caret nomine, vel si illud habet, in sacra scriptura, vocatur filius iræ In baptismo nomen imponitur, vt significetur Deum sibi denuo talem baptizatum in seruum accipere. Eodem modo in professione potest, vel solet nomé nouum imponi, vt ostendatur personam profitentem denuo, seu nouo titulo in Dei possessioné, & captiuitatem trãsire. Satis credo ostensum est professionem assimilari baptismo: & magna conformitate hodie, in quo baptismus mundo prædicatur, nouam profitentem per hãc quasi baptismalem professioné, & consecrationem, se velle reformare, & quasi lauacro totali abluere. Vt autem cætera verba huius Euangelij ad professionis etiã solemnitatem applicemus, accedamus.

Nomen cur mutetur in professione.

Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. Difficile sane hæc verba poterunt profitenti applicari, nisi forte per oppositionem: nam Christo Domino in die Resurrectionis suæ data est omnis potestas in vniuersas creaturas quatenus homo erat. At è contra nouæ profitenti per professionem obedientiæ & paupertatis aufertur, & interdicitur omnis potestas humana in terra. Et non solum potestas iurisdictionis externæ per obedientiam interdicitur, sed etiam actus voluntarius quicunque, etiam internus contra prælati voluntaté prohibetur. Sic nempe definitur obedientia, à Ioanne Climaco gradu 4. de obedientiæ grad. *Est spontanea mors & sepulchrum voluntatis.* Vide modo quam potestatem, vel iurisdictionem habere

Religiosus homo mortuus.

bere posſit homo mortuus,& voluntas ſepulta? Talis eſt Religioſus,non poteſt habere voluntatem in ijs quæ pendent à prelato pluſquã poſſet habere mortuus. Graue onus profectò,& difficile iugum, ſi ſolum carnis affectum conſideremus. Vt non immerito dixerit Auguſt. cætera omnia nihil,vel parũ eſſe, reſpectu huius mortificationis voluntatis. Hoc dixit Gregorius illis verbis: *Minus quippe eſt abnegare quod habet: valde enim multum eſt abnegare quod eſt* Quaſi dicat in dimiſsione temporalium propter Deum,aliquid inuenitur quod laborioſum ſit: dimittimus enim quæ habemus nobis chara: ſed in abnegatione propriæ voluntatis per obedientiam multo maior ſentititur labor,ac difficultas,in primo enim dimittimus noſtra, & extranea, & quaſi aliena: In ſecundo autem abnegamus quod ſumus, id eſt deſinimus certo modo eſſe liberi, quia libertatem propriam renunciamus. Hoc ego confirmo ex illo trito prouerbio hyſpanico, *Vontade he vida*. Id eſt,voluntas eſt vita: ac proinde ab oppoſito, abnegatio voluntatis per obedientiam eſt mors. In hac tamen obedientiæ difficultate, & onere, inuenio ſolamen, & particularem ſuauitatem qua multum eadem difficultas iucunda redditur, atque ſuauis, qualis eſt

fieri proter Deum à quo retributionem ſperamus. Hoc colligo ex quibuſdam verbis Pauli ad Rom.8. ibi enim conſiderans Paulus, multis rebus homines vti ad diuerſos,ac vanos fines,ad quos Deus illas non creauit, & quomodo ipſæ etiam creaturæ inanimes hunc malum vſum ſeu abuſum ſui abhorreãt,velintque iam liberari ab hominibus, quibus Deus illas tradiddit, ac ſubiecit: ponit Paulus hæc verba. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt*, & præterea *creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc, &c.* Demus hoc exemplum. Creauit Deus flores varios,& pulcherrimos arborum, herbarum, & virgultorum: illoſque creauit in gloriam ſuam primo; & in hominum neceſſarios vſus,medicinæ ſcilicet, ac ſimiles. Venit prophanus adoleſcens, & ex illis floribus faſciculum componit ad ſolicitandã fæminam: en iam flores vanitati ſubijciuntur, iam á debito fine abſtrahuntur: ingemiſcunt, & parturiunt quod ad tam illicitũ finem applicentur, iam cupiunt liberari à ſeruitute hominis cui ſubiecti ſunt. Et per hoc exemplum poteris alia explicare. Ait tamen Paulus: *Quod hæ creaturæ ſuſtinent & quaſi patientiam habent propter eum qui ſubiecit eam in ſpe* Suſtinent inquam propter ipſum Deum,qui iuſsit illis, vt homini-

Rom.8.

Creaturæ gemũt eo quod homines illis male vtantur.

Aa

minibus obedirent, cum spe libertatis futuræ in die iudicij. Hoc ergo applico Religioso obedienti. Fateor in multis actibus adeo difficilē esse obedientiā, vt posſit obediēs ingemiſcere, & quaſi dolorem parturientis pati. Videt enim ſæpe ſe ſubiectū eſſe homini ſibi in multis inferiori: & quod ad fines vanos aliquando ſibi imponi obedientiā. Huic tamen omnino cōmendādum eſt, vt ſuſtineat, ſufferat, obediat, propter eum qui ſubiecit eum in ſpe, propter illū Deū qui ſubditum illum eſſe voluit alterius hominis cum ſpe magnæ, ac copioſæ retributionis. Quæ retributio adeo magna eſt, vt ipſum nomē Ieſus, quo nullū aliud excellentius inuenitur in terra, neque in cælo, ſit retributio, & remuneratio obedientiæ, iuxta illud ad Philip. 2. *Factus obediēs vſque ad mortem: propter quod & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Addo præterea hanc poteſtatem pleniſsimam quam hodie Chriſtus Dominus ſibi datam prædicat dicens, Data eſt mihi omnis poteſtas, datam eſſe illi præcipue propter obedientiam qua obediuit vſque ad mortem, vt Theologi docent in materia Incarnationis. Satis ergo ſuauiter compenſatur à Deo obedientiæ difficultas, & amaritudo Ne vero tibi omnino

Obedientiæ compenſatio.

Philip. 2.

videatur deeſſe hæc omnis poteſtas, dico tibi etiam hodie hāc omnē poteſtatē concedi eo modo, quo poteſt cōcedi. Namque eo ipſo quo hodie ſponſa facta es Chriſti, cui omnis poteſtas data eſt: tibi ex conſequenti eadem datur interceſsiue, non vt exerceas abſolute, ſed vt interceſsione omnia obtineas coram ſponſo. In hoc ſenſu dicere ſolemus Reginam ſponſam Regis omnia valere coram illo ſeu omnia poſſe. Imo & illa inuicta Agnes Chriſti ſponſa, eo quod ſe Chriſti ſponſam agnoſcebat, quaſi innuit Angelos ſibi ſubditos manere. Dixit enim, ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſeruiūt. Cur autem ſerui ſponſi, non ſeruiant illius ſponſæ? vide excellentiam & confidentiam virginitatis. In confirmationē huius facit ſumma illa authoritas qua pollebāt virgines Veſtales in populo Romano, poterant enim quemcunque ad mortem damnatū liberare, & alia multa quæ illis virginibus Dæmonis, concedebantur, quæ multo melius Chriſti virginibus, ac ſpōſis debita erant. Denique ſi non actu tibi hodie datur omnis poteſtas, in radice tamen, & promiſsione tibi datur aliquo modo poteſtas poſsibilis in promiſſo. Si enim iuxta Chriſti Domini promiſsū, illi qui reliquerint omnia in hoc mundo,

mũdo, in die iudicij ſedebũt iudicantes orbẽ: hodie tu omnia propter Chriſtũ dimittis, & propterea, in illo iudicij die dicta promiſsione modo poſsibili frueris ſecura.

Euntes docete omnes gentes. Hoc etiã litteraliter nouæ profitenti nõ poteſt applicari quoad corporalẽ perambulationẽ mundi: poteſt vero, ac debet illi applicari ſuo modo quoad prædicationẽ, & doctrinã quã inde, illis cratibus clauſa, toti hodie mundo prædicat: ibi enim immobilis manens prædicat exẽplo, & vos omnes docet. imo confundit. Nonne mũdo prædicat, mundũque docet, nobilis adoleſcentula, fæmina fragilis, quæ inuitis parẽtibus, reclamãtibus conſanguineis, ad tale monaſteriũ confugit Matris Dei Olyſsiponenſis, cuius viuẽdi modus cæteros omnes aſperitate antecellit? (ita enim reuera contigit in perſona hodie profitẽte.) Nõne cõfundit robuſtos viros delitijs deditos, ſæculi voluptatibus addictos, diuitijs conglutinatos? nõne cæteras fæminas docet ſæculi vanitates calcare, quãdo illa hodie adeo aſperã vitã ingreditur, qualis eſt Dominarũ primæ regulæ ſanctæ Claræ, quæ neque Matrẽ propriã in tota vita reuelata facie in hoc cõuentu intuentur? Cõparo ego tuã fugã qua ſecreto ignaris, & inuitis parentibus tale monaſteriũ petiſti, cum illo quod narrat Ruffin. lib. 2. hiſt. Eccleſ. cap. 5. videlicet, quod cum Imperator eſſet Edeſſæ Meſopotamiæ vrbe, ſciens multos Chriſtianos vrbe eiectos in campo proximo degere, ac diuina celebrare: indignatus illuc miſit ducem cum militibus, vt omnes Chriſti fideles occideret. Quod ſciens muliercula Chriſtiana intra ciuitatem adhuc degẽs, feſtiua, domo relicta aperte, nec decenti habitu cooperta, filiolum paruulum manu trahens properabat quaſi currẽs ad locũ vbi erant Chriſtiani. Quod videns dux, eodem ad occidendos fideles properans: interrogauit mulierculam, quo pergeret cum infantulo? cumque illa reſponderet, ire ſe ad campum vbi Chriſtiani degebant, ille addidit. Non audiſti præfectum illuc pergere, vt omnes occidat? illa reſpõdit, ideo feſtino, vt ibi inueniar: & paruulũ porto, vt etiã ipſe martyriũ conſequi mereatur. Sic ibi Ruffinus. Eodẽ modo à te poſſet quæri delicata, & nobilis profitens, quando feſtina ad hoc monaſterium currebas: nonne ſcis ex aſperitate vitæ in veſtitu, perpetuoque anni totius ieiunio, & cæteris laborioſis actibus, in hoc monaſterio vitam aſsimilari martyrio?

Profeſſus docet mũdum ſuo modo.

Martyrij deſideriũ in quadã fœmina & infante.

Quid ergo festina properas? vti que te audio dicētem, imo ideo facio, ne tali martyrio desim. Nō ne hoc fratres est mundo prædicare? mundum, ac viros fortes & peccatores docere, vt à peccatis desistant? Nonne oportebat facere vos, sicut narrat Ruffinus eodem capite, præfectum illum ad fideles occidendos properātem, visa fragilis fæminæ constātia ab incæpto itinere maloque proposito destitisse: vrbemque reuersum. Imperatori factū renunciasse, quo audito ambo malum propositum exuerunt. Sic profecto dignum erat, vt omnes hodie fragilem hanc fæminam, sed fortem imitarentur: & videntes illam promittentem paupertatem, castitatem, ac talē vitam, ad similia facienda modo sibi possibili quisque animaretur superfluas scilicet vanitates, & inhonestas conuersationes relinquendo.

Docentes seruare omnia quæ mandaui vobis. Notemus primo omnes nos quod iubemur facere. *Seruare omnia* non sufficit seruare aliqua mandata Dei, sed omnia, ita vt si vnum tantum non serues nihil habeas, nihil feceris. Apostolus Iacobus cap. 2. suæ canonicæ clamat: *Qui offendit in vno factus est omnium reus.* Vt instrumentum aliquod musicum faciat sonum iucun- *Iacob 2.*

dum, & acceptum, omnes chordæ debent esse consonæ: & si vna tantū sit dissonans, ac deficiens, illa sufficit vt totum sonum iniucundum, & insuauem reddat. Decem chordas habet psalteriū diuinæ legis, seu decem præcepta, vnum ex his decē si violes, factus es omnium reus. *Ieiunabat bis in Sabbato & decimas dabat omnium quæ possidebat Pharisæus ille.* Luc. 18. & nihilominus pessimus & damnatus iudicatus est, quia sola superbia sufficiebat, vt propter illā ad infernū damnaretur. Hæc est obligatio cuiusuis Christiani, vt scilicet seruet omnia mādata. Tua vero o Noua profitens, & mea obligatio Monastica, adhuc maior est, & extendit se ad obseruandū plusquam omnia. Nā Religiosus vltro, & sponte, vltra omnia præcepta legis Euangelicæ, obligat se voto, ad consilia Euangelica obseruanda, ac proinde obligat se plusquam ad omnia. Eleganter hoc considerauit Bernard. tract. de vita solitaria ad fratr. de mōte Dei. Vbi sic illos alloquitur. *Altissima est professio vestra, par Angelis esse, Angelicæ similis puritati. Non enim solum vouistis omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionem, & omnis consummationis finem. Non est vestrū circa communia præcepta languere, neque hoc solum attendere quod præcipiat*

Mandata omnia seruanda nō dimidiate. *Luc. 18.* *Religiosi tenentur ad plus quam lex diuina iubet.*

cipiat Deus, sed quid velit, probantes quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta Sic ibi. Et pulchre August. apud epitom. Lopes citatus suo epitom. lib. 15. c. 7 n. 2. de eadem re sic inquit: *Maioris præmij amore flagrans vouisti Deo non imperatam virginitatē, & consilio Apostoli legem tuam fecisti latiorem. Perfectionis igitur serua consilium beatitudinem specialis aggressa propositi, serua generale mandatum. In causa iustitiæ omnes vnum debemus nec à lege soluitur, qui supra legem facere proponit: quinimo nullus magis illicita vitare debet, quam qui respuit quæ licebant.* Sic ibi cū alijs optime ad hanc sententiā, vbi videmus Religiosos voluntarie se obligare plusquam ad omnia mandata Dei obligātia: eos tamen debere ipsam legem communem obligantem melius ac strictius seruare, quam sæculares. Hoc nempe ad quod plus se Religiosi obligant, est illud quod Theologi vocant opus supererogationis, quatenus scilicet plus Deo dant, seu erogant Religiosi quam debeant ipsi Deo, ex debito præcepti. Et hoc est ipsos esse Religiosos seu religatos, vel bis ligatos. Læti tamen sint, ac securi hac in parte Religiosi: nam si Deo dant quod nō debent sensu exposito, & si illi supererogant, dantes plus, tria vel quatuor, paupertatem scilicet castitatem, obedientiam, & clausuram ad quæ non tenētur. Multo magis illis supererogat Deus promittens illis multo plura vltra debitum. Illi enim supra legem Deo dant tria vel quatuor vt modo diximus: Deus autem tanto amplius supererogat, vt pro vno centum promittat: & proinde dat vltra nonaginta nouem. Huc pertinet illa promissio Matth. 19. etiam futuris Religiosis à Christo Domino facta: *Omnis qui reliquerit domum, fratres, &c: centuplum accipiet, & vitā æternam possidebit.* Quam ipse Christus Dominus tibi & nobis donare dignetur, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.


Religiosus Deo dat non debita aliàs: Deus etiam illi dat vltra id quod debebat.

I E S V S.

SERMO IX.

IN FESTO EPIPHANIÆ, ET IN PROFESSIONE MONIALIS.

Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam dicentes, vbi est, &c. *Matth.* 2.
Matthæi cap. 2.



Cantic. 3. Canticorum 3. habemus quod dixerit sponsa: *Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea. Num quem diligit anima mea vidistis?* Multa vero in prædictis verbis, & facto sponsæ, licet aduertere. Primo enim posset sponsa notari, seu quasi taxari quod ipsa fœmina cũ sit, vel fœminam representãs, vt videtur, indiscrete, sola, nocte, per plateas & vicos deambulans & pererrans, circumierit ciuitatem quod illi periculosum esse poterat, maxime cum vt illa statim dicit, *inuenerint illam vigiles ciuitatis*. Secundo posset taxari de modo percontandi de sponso, solum enim dicit, *Num vidistis quem diligo?* Non exprimit nomen proprium sponsi, quasi tenerentur omnes vrbis habitatores promiscue, & noscere, illam & illũ quem illa diligebat. Tertio non pepercit laboribus, ac periculis itineris, nocte, scilicet, sola, adolescentula pererrat loca quæ nescit. Itaque in his videtur sponsa nec curasse vrbanitatem, nec pericula

pericula quæcunque, quominus dilectum sponsum reperiret. Hæc eadem licebit in his hodie Magis intueri in perquirendo nouo Rege sibi dilecto. Primo enim tam longi itineris periculis ac tædio non pepercerunt, maxime si Reges erant, incredibiles enim expensas erãt facturi, cum magno periculo, seu incommodo delicatarum personarum: quod tunc maxime verum esset, si Chrysostomi opinio vera esset illos plusquam annum in itinere insumpsisse. In particulari vero graui ac manifesto periculo se exponebant, eo quod intra vrbem Regiam, vbi Herodes Rex erat, de nouo altero Rege interrogabant. Secundo, legem vrbanitatis non videntur seruasse, nam cum illi Reges essent, & Regiam vrbem intrarent, non primo inuiserunt Regem Herodem, sicut personarum nobilium obseruat consuetudo, sed illo insalutato, de suo negotio agentes inquirunt de puero. Quod autem in primo ingressu Herodem Regem non salutauerint, colligo ex hoc Euangelio, in quo dicitur illos primo ingressos in vrbem statim rogasse, *Vbi est qui natus est?* deinde, *audiẽs Herodes turbatus est.* Iã itaq; de puero interrogauerãt, antequãHerodẽ adierint. Tertio denique modo spõsæ, quærẽtes de nouo Rege ac puero, illius nomẽ nõ exprimũt, sed in cõmuni Regẽ illũ vocant cum homines plebei ac cæteri à quibus forte rogabãt, nõ possent diuinare de quo Rege quærebãt, cũ nec nomẽ illius, neq; parentũ aut consanguineorũ publicarẽt. Ex hoc vero Magorũ, ac spõsæ facto, & circũstantijs illius infero ad nostram doctrinã, animam quæ vere, ex corde, & ex animo Deum quærere, & reperire desiderat, curare omnino non debere, pericula vitæ, honoris: nec vrbanitatis mundanæ leges, si vult Deũ inuenire, ac eidẽ inhærere, quemadmodum & spõsa, & Magi prudẽtissimi, & cõstantissimi fecẽrũt. Et quidẽ de primo, quod scilicet corporis ac vitæ pericula nimis curare nõ debeamus hoc ego vnico exẽplo ostendo. Si quis in aliquo duello pugnaue particulari cũ alio congressus, nec caput, nec pectus, nec aliã corporis partẽ seruaret ab ictibus, seu vulneribus: sed solũ palliũ vigilans reseruaret, & abscõderet ne scinderetur aliquo vulnere: nonne iste imprudens & insanus diceretur, qui vili re seruata, principalẽ ipsum, vitã scilicet non curaret? Idẽ nomẽ meretur is qui in hac vita pro animæ salute aliud quid quã anteponit. Quid enim sunt terrena omnia (ait Greg hom. 32 in euãgelia) *nisi quadã corporis indumenta?*

Anima quærens Deũ, curare non debet pericula, vrbanitatis leges, &c.

 dumenta?

dumēta: Quid vita præſens niſi cō flictus, militia & cōtinua pugna? Qui ergo in hac vitæ pugna terrena omnia timuerit amittere, & illa ſaluti animæ prætulerit, non ne inſanus, nonne ſtolidus iudicabitur? Legant D. Paul. Act. 20. qui diſcedēs à Mileto, & ſciēs ſibi Ieroſolymis ex diuina reuelatione reſeruari vincula, & tribulationes, ait: *Sed nihil horū vereor, nec facio animā meā pretioſiorē quā me, &c.* Rectus Iudex, & prudēs in iudicādo oculus, qui iudicat animā pretioſiorē eſſe cūctis rebus terrenis. Imprudentiſsimi hodie nos omnes qui terrena quælibet iudicamus prætioſiora quā animā, eo quod animā potius quā illa terrena perdere non dubitamus: *Nonne anima plus eſt quam eſca?* dixit Christus Dominus Matth. 6. & ad eundē modū poſſumus dicere, nonne anima plus eſt quā honores mundi & gloria vana illius? Et nihilominus quot hodie videmus Herodis diſcipulos, qui ne officiū honorificū amittant, vel vt illud poſsint obtinere, & aſſequi, nec Deū timent, nec animā curant, ſed per multa peccata, & innocentium vexationē ad prædictum honorem properare feſtinant. Quod item curare non debeat anima Deum quærens mundanæ vrbanitatis leges, ſeu politiam, aut polituram ciuilem; conſtat quia ſi in his legibus mundus ſuam ſapientiam conſtituit, habemus Diuum Paulum, qui cum antea eſſet adoleſcens, doctus, & in ijs mundanis vrbanitatibus aſſuetus, vbi primum de Deo quærendo, & diligendo curauit, de mundana hac ſapientia, & vrbanitate dixit 1. ad Corinth. 1. *Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?*

Act. 20.

Matth. 6.

1. Cor. 1.

Hodie iam noſtra noua profitens imitatur Magos, & imitatur ſponſam, vere illa in hoc ſponſa Chriſti; relicta enim paterna domo, ſponſum Chriſtum quærit in Religione, nil curans de periculo vitæ, & de huius mundi vrbanitatibus. Quod enim Religio locus ſit in qua periculum vitæ, id eſt, damnum vitæ eiuſque abreuiatio incurritur, experientia probat, quis enim dubitet, quod vili ac tenui veſtitu, groſsiori cibo, maiori vigilia, & voluntatis mortificatione, alijſque Religioſis laboribus, vita nimis abreuiatur, quam foret abreuianda in ſæculo, vbi nihil præteritorum moleſtat, aut affligit? Sæculares in medio deliciarū ſuarū, vno tātū appetitu ſi fraudātur clamāt, triſtantur, & aliquando in lectū incidunt: ſicut ille Aman Eſth. 5. qui inter tot bona terrena ibi à ſe numerata, quibus abundabat impātiens tamen, ac triſtis erat,

Eſther 5.

Vota Religiosa vitã corporalẽ abreuiat.

erat, nihilque se habere putabat eo quod à solo Mardochæo non sibi flecteretur genu: & non putabimus vitã minui posse Religioso in Religione, vbi tot quotidie appetitus mortificat, tot corporis incõmoditates, tot reprehensiones patitur? & tamen vero Religioso nihil omnino hæc omnia vitæ pericula, illã abreuiantia curanda sunt Si enim magnus ille Hylarion cilicio per totam vitam vtẽs, nec vestes mutans dicere solebat, superuacaneum esse in cilicio munditiam quærere: eodem modo dicendũ est Religioso in Religione qui locus pænitentiæ est, superuacaneum esse vitæ prolõgationem, seu rigidam conseruationẽ quærere. Nonne solam paupertatem D. Bernard. serm. 1. in festo omnium Sanctorum vocat martyrium? Sic enim ibi scribit, *Quid sibi vult quod eadem promissio facta est pauperibus, & martyribus: nisi quia vere Martyrij genus paupertas voluntaria est? Quid mirabilius, aut quod Martyrium grauius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas, & pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias quas affert mundus?* Sic ibi. Quod si solam paupertatem martyriũ dixit, quid si obedientiam, & castitatem adiungas? Nonne vere martyrium incruentum est?

Paupertas martyriũ

Multos quippe in Ecclesia Dei colimus Martyres qui sanguinẽ omnino non effuderunt sed solo exilio damnati ibidem mærore, paupertate, & alijs afflictionibus necati sunt. Huiusmodi fuerunt quinque martyres Põtifices. Martinus, Ioannes, Syluerius Põtianus, & Marcellus, qui eo quod sanguinem non fuderint, proprium habent octauum responsorium in officio Martyrum, ne illis dicatur commune illud: hic est vere martyr qui pro Christi nomine sanguinẽ suum fudit. Et tamen illi quinque sanguinem non fundentes sed ex mærore, & squallore morientes vere Martyres sunt. Recense ergo quot mærores verus Religiosus, quot squallores, quot vigilias, quot peregrinationes quasi exilia sustineat in tribus votis ad vnguem obseruandis? Hæc tamen inquam omnia verus Religiosus nihil facere debet, nec facere animam pretiosiorem, id est vitam corporalem magis æstimare, vt Paulus dixit, dummodo consumet cursum, & impleat vota promissa. Quod etiam Religiosus mundi vrbanitates, & polituram curare non debeat: dicat primo huiusmodi polituræ seu vrbanitatis leges, in verbis scilicet, gestu, incessu, & alio ornatu, fere

Martyres aliqui vere Martyres absque sanguinis effusione.

fere fœtere in ore Religiosi: sicut enim si videres rusticum, qui alium modum viuendi habet, nimis debitum his apicibus vrbanitatis fere rideres, taxares, & reprehenderes: multo magis irridendus & abominandus est Religiosus qui voto solemni his mundi pompis ac legibus renunciauit, si rursus eisdem vanis legibus se velit obstringere. Est namque Religiosus ciuis iam non mundi, vt stet legibus mundi: sed iuxta Paul. ad Ephes. 2. *Est ciuis sanctorum, & domesticus Dei*, in curia Dei conuersatus: cuius diuinæ curiæ aliæ sũt leges, in verbis, vestitu & cæt. quæ omnes non in verborum fuco, & cordis versutia, sed in pura simplicitate fundãtur. Nec solum verus Religiosus mundi vrbanitatem debet exuere, sed quod maius est, sentio in hoc ita alterum debere fieri, vt non iam mundanus ciuis & vrbanus, sed insanus omnino ipsi mundo videatur. Habeo mirificum P. N. Seraphici Francisci exemplum, qui in sua prima ad Deum conuersione, olim vrbanissimus adolescens, mundanæque polituræ addictus, ita repente in diuinam simplicitatem translatus est vanas vrbanitatis leges oblitus, vt hominibus appareret fatuus & insanus. Sic nempe de illo scribit Doctor Bonauentura, in quodã

Vrbanitatis mũdanæ leges vitandi à Religioso Imo & insanus mũdo debet fieri.

respõsorio diei festi ipsius. *Squalenti vultu cernitur putatur insanire. Luto saxis impetitur, sed patiens vir nititur, vt surdus pertransire.* Ecce quomodo Pater Franciscus ad statũ quasi insanientis redactus luto, & saxis impetebatur mundi vrbanitates contemnens. Nec mirum, hæc namque est diuini amoris efficacia vt sobriam insaniam afferat illis qui contempto sæculo Deo inhærent. Hæc nempe erat insania Pauli Act. 26. quando ille Reus coram Festo iudice, & de vitæ periculo causam dicens, tali diuino affectu, animarũque zelo loquutus fuit, vt festus illi diceret: *Insanis Paule.* De quo pulchre D. Bern. tom 2. tract. de dignitate diuini amoris cap 3. vbi agit de insania diuini amoris. Ibi enim referens hæc verba Festi dicta Paulo, sic scribit. *Mirum ne erat si insanire pronuntiabatur, qui in ipso mortis periculo ipsos iudices suos, à quibus pro Christo iudicabatur, ad Christum conuertere nitebatur?* Et paulo infra dicit, de eadem pauli insania sobria hoc modo. *Hac insania insanierunt Martyres inter tormenta ridentes, cur hic non dicam quod in feruore lasciuiæ suæ lasciuus poeta dicebat, insanire libet?* Sic ibi Bern. Ad hanc igitur sobriam & sanctam insaniam hodie inuitaris, ad sæculi vrbanitatem damnandam, sanctamque simplicitatẽ, & pu-

Act. 26.

Amor Dei causat in nobis sobriam insaniam.

& puritatem animi cum sponsa, & magis sectandam.

Vbi est qui natus est Rex Iudæorũ. Nesciebant magi destinatum locum vbi Deus moraretur, & hunc locum scire desiderabant, vt illi inseruirent & munera offerrent. Eodem etiã modo sponsa, Cant. 1. sui sponsi ducta amore, ignorans locum destinatum vbi illum reperiret eidẽ dicebat: *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam.* Suppono, & præmitto Deum vbique existere, & omnibus fidelibus in omni statu præsto esse ad salutẽ; in alijs tamen occasionibus facilius hominem saluari quam in alijs. Et talem posse esse statum talibus periculis propinquum vt vix aut raro in illo possit saluari, vt ex sequentibus patebit. Tota ergo prudentia Christiani erit quærere Deum vbi secure, ac tuto habitet, vt illum vix aut raro perdere possit. Hoc videtur illic desiderasse sponsa, inuenire scilicet Deum in meridie tempore quieto ne vagari inciperet: Re enim vera vagatur, & perrat mens inquieta si per creaturas, & vanitates discurrat donec Deo soli, ac totaliter inhæreat in loco tutissimo. Discurrendo autem per singulos mundi status paucos inueniemus in quibus omnino secure Deo inseruire possimus æque bene atq; in Religione. Iuuat primo locus ille Iob. 28. vbi de diuina sapientia, qui est Christus, seu status gratiæ, sic percontatur. *Sapientia vero vbi inuenitur? Nec inuenitur in terra suauiter viuentium: Abyssus dicit non est in me, & mare loquitur non est mecum.* Vbi nomine suauiter viuentium Chaldaicus intelligit superbos: possumus & intelligere suauitates, mundique delitias, & voluptates venantes, vt inter illos non facile reperiatur Deus. Discurrentes etiã per status magis periculosos dicemus. Inter delicias periclitatur Deus. Inter diuitias periclitatur Deus. Idest nos periculũ causamus perdendi Deum. Inter mercaturas eodẽ modo, mundique tumultus, in pallatio, per quod totius vitæ humanæ tumultus delitiarum scilicet, & diuitiarũ potest designari, non secure possidetur Deus: vt patet hodierna ex historia in herodis enim pallatio est ignoratus Deus: & patet præcipue ex illa historia relata à D. Augustino 8. Confess. cap. 6. Duorum scilicet illorum Aulicorum Imperatoris, qui pallatij periculis offensi, mentis oculis apertis, dixerunt adinuicem. *Dic quæso te omnibus istis laboribus nostris quo ambimus peruenire? quid quærimus? cuius Rei causa militamus? Maior ne esse poterit spes nostra in pallatio, quam vt amici Imperatoris*

Cantic. 1.

Deus quærendus in loco securo.

Religio locus securus vbi Deus reperitur, non vero mundus.

Pallatium nõ est locus tutus ad Deum possidendũ seu inueniendũ: illustratur optima historia.

toris simus? Et quid ibi non fragile plerumque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud fiet? Amicus autem Dei si voluero ecce nunc fio. Sic ibi. Et constat quod ambo relictis sponsis cum quibus denuo de futuro contraxerāt, mūdique pompis, ad Religionem conuolarunt. Ecce clarissimum exemplum illius quod hucusque tractamus in alijs scilicet mundi statibus vix, aut saltem nō æque bene reperiri Deum: ac reperitur in Religione. Si enim Magi in paupere domo, inter castissimam Virginem, & Iosephū Virginem, ambosque obedientissimos, puerum natum reperiunt. Ibidem facile erit designare tria vota Religiosorum adumbrata: vt bene possimus inferre in sola Religione, in qua tria illa reperiuntur castitas, paupertas, & Mariæ ac Ioseph obedientia, securius & quietus Deum reperiri. Ac proinde quod Religio sit

Psal. 70. ille locus tutissimus ac munitissimus quem Dauid à Domino postulabat dicens Psal. 70. *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias.* Iste etiam Religionis sit locus vbi sponsus cubet in meridie, & pascat agnos suos iuxta fluenta, in pascuis irriguis, in silētio diei. Ac proinde iam scis vbi sit qui natus est Rex Iudæorū, in Religione scilicet securius inuenitur.

Ad hanc Religionis quietem & securitatem, sola diuina stella nos potest ducere, & impellere, videlicet diuina inspiratio, & illustratio particularis, sine qua impossibile est hominem tantæ perfectionis iter posse aggredi, vel arripere. Si enim Theologi in materia prædestinationis dicunt primum initium prædestinationis seu conuersionis esse à Deo, quantumcunque paruum, & remotum tale signum, seu initiū sit vt verbi gratia, si vir graui infirmitate grauetur, qua infernū incipiat formidare, vel quid simile: illa infirmitas, vel timor est effectus prædestinationis diuinæ, & à Deo missus, tanquam primum initium conuersionis per Deum Æquo fere, iure dicēdum est ad vitam monasticam, quæ signum est diuinæ prædestinationis, neminem posse induci, nec pertrahi nisi diuina vocatione, & inspiratione speciali præmonitum, Vnde de omnibus Apostolis ad Apostolatus ordinem assumptis, qui fuit primus Religionis status, scimus non vltro, & ex se Christo Domino adhæsisse, sed ab illo prius vocatos, & inuitatos fuisse, illis fere verbis venite post me, vel sequere me. Hæc in quam stella homines ex mundo ad Religionē trahit,

Initiū iustificationis est à Deo.

trahit, mouet, & inuitat, diuina inspiratio. Postquam vero in Religione iam sunt, adhuc illis stella non deest, hæc nempe est obedientia. Facit nempe obedientia in claustro, quod stella Magis præstabat. Hi namque stellæ intuitu ducebantur, quiescebant, & iter faciebant, ita vt quid facerent ex illius indicio præstarent. Hoc idem Religioso faciendum restat. Stella sua sit obedientia. In nostro Lusitano sermone, *habere stellam*. dicitur de homine, qui fere immeritus, & non procurans habuit semper officia regiminis, & honoris: & de tali dicimus, *Teue boa estrella.* E contrario vero bona stella Religiosi erit non imperare, sed prompte obedire: hæc sit tua stella, obedientia. Obedientia enim tanquam stella ob oculos habenda est, vt ad illius nutum omnes suas actiones Religiosus componat. Illa annuente vigilet, illa annuente dormiat, illa annuente in choro cantet: denique obedientia sit quæ omnes ac singulas Religiosi actiones dirigat. In hac autem obedientia exequenda adeo promptus Religiosus esse debet vt nulla cunctatione, seu discussione moretur. Videat promptam Magorũ executionem, de quibus dicitur: *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus.* Vide verbum, *vidimus, venimus.* Nulla prorsus mora recēsetur, nec dilatio. Si autem illi hoc prompto animo fecerunt ad intuitum stellæ inanimæ non loquentis, quanta maiori promptitudine, & executione opus est, vt Religiosus exequatur mādatum prælati loquentis, explicantis, & in persona ipsius Dei præcipientis.

Obedientia in claustro est veluti stella Magorũ.

Obtulerunt ei munera aurum thus, & Myrrham. Video hos sanctos Magos in hoc ternario numero oblationum, quasi Religiosos Ecclesiæ figurasse, & adumbrasse, in trium votorũ emissione. In hoc tamen Religiosi maiores quasi Magis sunt, quatenus tria vota quæ vouent, maius quid est, & Magis Deo acceptũ, quam tria Magorum munera. Quamuis enim bona sint Magorum munera, & auri oblatio, rerumque temporalium donatio Deo accepta sit: nihilominus in illis omnibus Magi non se ipsos vt Religiosi per tria vota obtulerunt: Religiosus vero, se ipsum, suas omnes futuras actiones, suaque omnia ac libertatem ipsam Deo cōsecrat: hæc autem oblatio multo maior est sine dubio Hoc primũ ostēdo ex illo D. Gregorij ad c. 15. 1. Reg super illa verba, *Melior est obedientia quam victima.* Reddens enim ibidē D. Gregor. causam dicit hanc esse: Quia scilicet, *in oblatione victimæ* osse-

Religiosus professus plus offert Deo quā Magi in tribus munerib.

offerantur carnes alienæ Taurorum verbi gratia: in obedientia vero immolatur propria caro. Probo in super ex illo Isaiæ 58 *Quare ieiunauimus & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra &cat.* Considera quomodo ibi dicatur Deus non respicere ad duo opera aliàs adeo sancta, & Deo accepta: ieiuniũ scilicet & humilitatem: quia scilicet ieiunans & humiliatus non offert Deo, sed reseruat ibi propriam voluntatem, *inuenitur voluntas vestra.* Dato ergo quod magi offerrent Myrrham quæ est mortificatio, non obtulerunt tamen personas & voluntatis libertatẽ sicut offerunt Religiosi. In misterio tamen horum trium munerum & significatione illorum debent Religiosi omnino illorũ imitatores esse. Namque aurum significat charitatem, vt doctores cõmuniter exponunt, ad illa verba Apoc. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum &cat.* Per thus significatur oratio, vt explicat ipse Ioann. Apoc. 5. dicens, *Odoramenta esse orationes sanctorũ.* Per Myrrham omnes exponunt significari mortificationem. Ecce hæc eadem sunt tria dona Religiosi quæ omnino Deo offerre debet Charitatẽ, orationẽ mortificationẽ Hæc puto esse quasi de substãtia Religionis, ita vt Religiosus cui aliquod ex his tribus deficiat, iam non Religiosus, sed vox sine significatu dicendus sit. Primo enim si Religionum finẽ spectes, omnes plus minusue huc tendunt vt scilicet charitatem seruent, in oratione particulari, & carnis mortificatione se exerceant ipsius Religiosi. Deinde á primo horum charitate scilicet, vocantur fratres, inter fratres enim viget principaliter charitas: Hanc enim erga Deum, & erga proximos Religiosi plusquã alij sæculares magis obseruant, vt suppono notissimum. Idem dico de necessitate orationis & mortificationis: si namque Religiosus his duabus careat, iam non Religiosus, sed sæcularis habitu ementito iudicandus est.

Isa. 58. · Apocal. 3. · Apocal. 5.

Ne redirent ad herodem. Vide particularem diuinam prouidẽtiam circa illos qui ipsi Deo fidunt, seque totos illius diuinæ protectioni cõmittunt. Non curarunt magi vitæ propriæ, itinerisque pericula, seruitio Dei tantum intenderunt, se totos ipsius stellæ, ac ductui commiserunt: Ideo Deus illorum saluti adeo intendit, ac illam curat, vt etiam de inopinato periculo, herodis nempe insidijs eos liberet. O si vellent homines magos in hoc imitari, experirentur certe diuinam promissionem, & primam veri-

D. prouidentia circa fidẽtes sibi.

veritatem non posse mentiri, in tot promisis ad hoc pertinentibus, vt cum iubeamur, *iactare cogitatum in illum, & primo quaerere regnum Dei*, sub promisso quod caetera adijcientur: & cum promittitur nobis, *quod capillus de capite nostro non peribit*, & alia fere infinita ad hunc finē. Haec porro diuina prouidentia circa personas Religiosas maxime enitet: quae cum se diuinae protectioni magis comittant, illius magis in particulari experiuntur auxiliū. Exemplum ad hoc sufficientissimum sit Franciscana Religio, magnum Ecclesiae decus, & incrementum, quae à solo Deo dependens, illique soli tota commissa, non solum non minuitur, sed in dies magis, ac magis crescit, nouos palmites extendit nouos Ecclesiae affert prouentus. Si autem saeculares hanc diuinam protectionem circa temporalia non experiuntur, non est causa quod Deus in promissis deficiat: sed quod illi remedium suum Deo non committunt: ipsi per se procurant, ipsi satagunt, ipsi, nec diuinū obsequium, legéue curantes, per se ipsos procurare contendunt. Iam vero haec eadē verba, *Ne redirent ad Herodem* Ego nouae profitenti in alio sensu applico; monens ne post professionem ad mundum, resue mundanas repetendas, actu vel cogitatione reuertatur Merito mundum vocemus Herodem. Si enim Herodes hodie odio in Christum exarsit: Herodes est mundus qui Christum Dominū odio prosecutus est, & prosequitur. Affirmat hoc ipse Christus Dominus, Ioan. 15. dicens: *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit.* Ergo mundus Herodes est, vel similis Herodi qui Christum odit, & persequitur. Imo addo quod Herodis nomine non solum mundum intelligo quem repetere non licet: sed etiam patrem & matrem Herodem voco quando illorum affectus vel consilia à Dei seruitio auocauerint. Quo enim potius titulo appellatur Herodes, nisi crudelis? Ergo crudelis est pater, & mater, qui Religiosum filium vel à sancto proposito Religionis auocare conantur, vel illi dant occasionem minus in Religione proficiendi. Optime de hoc scripsit Bern epist. 111. quā misit ipse nomine cuiusdam Nouitij ad parentes ipsius qui ipsum Nouitium ad saeculum reuocare tentabant. Vbi inter alia sic parentes increpat. *O durum patrem, o saeuam matrem, o parentes crudeles, & impios: imo non parentes, sed peremptores, quorum dolor, salus pignoris, quorum consolatio mors filij est!* Sic ille. Vide quibus eos vocet nominibus, duros, saeuos, impios crude-

D. prouidentia in Religione Franciscana.

Parentes vocari possunt Herodes Monachi.

crudeles, peremptores: quales profecto, nec tot titulos dicat Ecclesia de Herode, in illo hymno, hostis Herodes impie, &cæt. Ad hunc ergo Herodem post professionem redire prohiberis, mundum scilicet, patrem, matrem, consanguineos & similes, qui vt plurimum impedimenta potius Religioso sunt, quam adiumenta.

Per aliam viam reuersi sunt in Regionem suam Regio nostra, seu patria nostra ad quã redire contendimus iuxta D. Gregor. hoc loco, paradisus est: ad quam patriam longe diuersa via regredi debemus, ab ea qua venimus, seu cecidimus, vt idem Author docte & Christiane loquitur. Ergo ad nostrum professionis intentum loquens, dico. Religiosos in cæli patriam tendere diuersa nimium via, qua tendunt sæculares: Nam sæculares pergunt ad cælum lata, & Regia, & ampla via: Religiosi vero tendunt per semitam ad cælum. Semita, vt ait Calepinus, est via angusta, & arcta diuersa ab illa qua plaustra incedunt. In omni quippe via Regia ampla, & lata, dantur aliquando tramites, seu semitæ, *vulgo Atalhos*, quæ quidem semitæ deuiant à via lata, & sunt vt plurimum angustiores, asperiores, accliuiores, saxis, & torrentibus abundantes: & tamen ad optatum finem citius ducunt, & breuiores sunt. Has semitas non perambulant nisi pedites, oneribus expediti: per viam vero latam, & Regiam incedunt plaustra, equites, & animalia onusta. Ad cælum igitur, vel Regionem patriæ nostræ, sæculares vt plurimum incedunt per viam latam & Regiam, onusti enim incedunt familijs, famulis, diuitijs, & variarum rerum solicitudinibus. Hæc via longior & tortuosior est, & pluribus periculis obuia. Religiosi vero per semitam tendunt, quæ licet asperior sit, accliuior, ac difficilior, est tamen compendiosior, & securior. De hac Religiosorum semita potest intelligi illud quod Regius propheta postulabat à Domino. Psal. 118. *Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.* Est in quam semita angustior, strictior, & difficilior ita vt ab aliquibus ideo semita dicatur, quia semipedem tantum accipiat, seu recipiat. Venit mihi in mentem huc applicare quæ scribit Epiphanius lib. 1. panar. cap. 16 de asperitate vitæ Pharisæorum. Ibi enim sic scribit. *Asseres (idest tabulas) sibi ipsis parabant dodrantis tantum latitudine, (idest latas palmum) & in his se ad vesperam locabant, vt siquis dormisset in pauimentum, decideret, & rursum excitaretur ad oratio-*

Religiosi ad cælum pergũt per semitas, sæculares per viam latam & Regiam.

Psal. 118.

Pharisæorum asperitas vitæ.

orationem: per hoc quod vigilantem vitam haberent quantum fieri posset. Sic ille. Ecce quam angustam semitam, & quam strictam ambulabant Pharisæi, nostros Religiosos adumbrantes: & id faciebant ob vanam gloriam, vel hypocrisim. Cur ergo Religiosus suam angustam semitam, non æque rigorosam, vt erat illa Pharisaica, non lætus ambulabit ob veram, & æternam illam gloriam. Hæc ergo est diuersa via, per quam hodie profiteris te in patriam regressuram. Hæc est fortasse via illa de qua Paulus 1. ad Corinth. 12. dixit: *Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro*: excellentior quippe via est, via Religiosorum: securior est quam via sæcularium, per quam incedentes facilius gratiam & gloriam assequuntur: quam mihi & vobis omnibus præstare dignetur, Christus Iesus, Amen. *1. Cor. 12.*

Bb SERMO




IESVS

SERMO X.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHAniæ, & in professione Monialis.

Ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi. Lucæ cap. 2. Luc. 2.



Er in anno tenebantur filij Israel ex omni parte illius regni confluere ad templum illud Ierosolymitanum, videlicet in Paschate, Penthecoste, & in festo tabernaculorũ: habetur hoc Exod. 23. vbi sic scribitur: *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Deo tuo.* Vbi aduertit noster Lyranus, quod dispensabatur cum habitantibus in partibus remotissimis, vt possent non venire. Secũdo colligitur etiam ex ijsdem verbis Exodi solos viros masculos ad id fuisse obligatos, dicit enim scriptura *omne masculinum.* Fœminæ autem ob sexus imbecillitatem non cogebantur venire: permittebantur tamen accedere, suæ deuotionis gratia. Distabat Nazareth patria Beatæ Virginis ab Ierusalem spatio viginti septem leucarum teste Brocardo in descriptione terræ sanctæ. Vnde beatissima Virgo ab illa lege comparendi in Ierusalem duabus de causis manebat exempta,

Exod. 22.

exempta, tum quia fœmina erat, tum etiam quia longe distabat. Ea nihilominus summæ deuotionis gratia in templum, hodie ad vnum trium illorum festorum, Pascha videlicet, ascendit Ierosolymam cum infante Iesu, ac Ioseph sponso. In quo primum exemplũ nobis illustre reliquit, vt propter Deum non solum faciamus illa quæ lege tenemur, sed multa alia voluntarie ad quæ per legem non obligamur. Hæc enim Deus expectat à nobis tanquam in nostra libertate relicta. Videas Christianos qui quasi ratiocinijs agunt cum Deo sicut mercatores ad inuicem: Recepi tot, soluam totidem, &c. Iubet Deus salgem semel in anno confiteri, Eucharistiam semel sumere, Missam in diebus festis audire &c. attendunt librum ratiocinij, ad id solum quod lex obligat, se extendunt, vltra id nec pedem figũt, & hoc qui magis salutẽ curãt, operãtur. Multi enim, neque quod lex iubet exequuntur. E contra vero quod lugendũ est, leges Diaboli non solũ exequuntur ad litterã, sed somniant etiam quæ sint desideria Diaboli, vt illa opere exequantur. Non loquor in hoc hyperbolice, in terminis hoc ipsum exprobrauit Christus Dominus Pharisæis Ioan. 8. *Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Quid clarius hac de re dici poterat? Descendentes vero ad exempla magis vsitata, eodem tamen spectantia, quot videmus seruos, & amicos, somniantes, ac diuinantes Regum & amicorum desideria, in quibus vidẽt se illis posse complacere, & illa procurant summa celeritate, & alacritate complere? Hoc videmus impletum in illis tribus fortissimis militibus, 2. Reg. 23 qui cum audirent, Dauid Regẽ desiderasse aquam de cisterna Bethleem, irruperũt castra Philistinorũ inimicorũ, & haustam aquã à prædicta cisterna Regi attulerunt. Vide quomodo Regis non imperiũ, sed desideriũ per tela, per hostes per manifesta pericula sunt executi? Habemus aliud clarissimum exemplũ in illis malis ministris pessimi Regis Angliæ Henrici, qui sciẽtes prædictum Regem infensum esse sanctissimo Thomæ Archiepiscopo Cantuariæ sperantes se Regi gratũ facturos (vt dicit historia breuiarij) ingressi Ecclesiã sanctissimũ, & innocentissimũ Episcopum occiderunt. Vbi nota quod secundum historias non repetitur quod prædictus Rex ministris suis prædictã necẽ præceperit, sicut refert supplementum chronicarũ lib. 12 anno Christi Domini 1179. sed ipsi ministri diuinantes malam Regis voluntatem,

Marginalia: Leges Diaboli plus obseruamus quã Dei. — Ioan. 8. — Desideria hominũ somniamus, vt illa exequamur. — 2. Reg. 23.

tatē,& sperātes se illi gratā rē facere, ocidetunt. Et hoc est quod dici solet omnes in palatio pendere ab ore Regis, seu suspēdi ab ore Regis vt ad nutū illius nō solū iussa, sed etiā desiderata perficiant Idem cernere est inter malos amicos, diuinant enim aliquando, & per signa interpretātur quæ grata illi esse posint, vt summa velocitate dent executioni. At, vt diximus erga Deum tardi, pigri frigidi, ac tristes ratiocinatores, sola quidē imperata facimus: aliquādo nec imperata perficimus. In quo quasi serui coacti sumus, qui solius pœnæ timore Dominorum mandata cōplent, nō vero dominorū desiderijs satisfaciunt. In hoc enim filij à seruis distinguntur: quod hi sola mandata timore seruili. illi vero etiā parentū desideria ex paterno amore perficiant. Vnde tam sæpe in Christo Domino reperias, dixisse illū in Euāgelio: *Vt faciā voluntatē Patris mei qui in cælis est, seu voluntatem illius qui misit me* In hoc porro iā habemus Religiosos imitatores Deiparæ Matris, qui vltra legē cōmunem cæterorū Christianorū, vltro ac libenti animo plura faciūt quam Deus præcipiat, Euāgelica nēpe consilia vouentes, ad quæ non tenentur: & multas præterea voluntarias meritorias, & satisfactorias operas in Religione exequūtur quibus sperant, ac sciunt se æterno Regi gratum facturos. Hæc sunt opera à Theologis dicta supererogationis, quæ cū stabulario illo Euangelico Luc. 10. pij, feruentesque Christiani Deo plus erogant & super impendūt, quā iubeantur. In quo Religiosi, feruentesque alij Christiani supererogantes optimo cōsilio, seu ratiocinatione ducuntur: si enim videmus Deū tam multa nobis donasse ad quæ nō tenebatur, videlicet incarnationē Verbi Diuini: & ipsum Christum Dominū vitam propriā prodegisse, quod facere non tenebatur, vt taceam multa quæ fecit alia in vita mere voluntaria ad nostrum remedium, & doctrinam: quid non animetur Religiosus piusque fidelis vt pari modo & quasi vicem rependens aliqua faciat propter Deum, ad quæ facienda ex præcepto non teneatur? Ratiocinantur præterea huiusmodi supererogantes, quod si nos à Deo petimus ne iudicet nos secundum totum rigorem legis suæ, iuxta illud Psalmi 142. *Et non intres in iudicium cum seruo tuo.* Æquum etiam, & congruum videtur, ne nos in operando ac seruiendo, operemur, ac seruiamus tantum secundum rigorem legis præcipientis, sed vltra illam aliquid vltro, ac læti Deo offeramus. *Psal. 142.*

Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te. In duobus locis istius Euangelij narrat Lucas Beatissimam Deiparam, vbi primum absentem Christum vidit, statim illum quæsiuisse. Vbi considero illam non illum quæsiuisse cum dolore ob peccatum quod haberet, de quo dolere sibi foret necessarium. Errant enim, & plusquam insaniunt hæretici huius sæculi seu recentiores, qui accusant hoc loco Deiparam, dicentes illam peccasse in amisione filij; contra quos videre sufficiat Canisium lib. 4. de Deipara matre à c. 15. Requisiuit ergo sanctissima parens cum sponso Ioseph Christum Dominum dolens, & anxia, ob solam indigentiam quam habebat, vt Christi aspectu, & colloquio sustentaretur, & ab ipsius sola præsentia quasi penderet. Hæc enim causa sufficiens erat vt Deum toto corde semper quæreremus dolentes, videlicet indigentia nostra, necessitas nostra, remedium nostrum. Considero ego quemlibet nostrũ esse sicut tenellum infantulum, qui ob sui tenerrimam fragilitatem, ita matris aspectu, ope, ac beneficio indiget, vt si forte illa obliuiscatur illius per horam, iam vagire, & lamentari non desinat. Et hunc modum nostræ dependẽtiæ à Deo, videtur indicasse nobis idemmet Deus Isai. 49. quando Deus comparat se matri cum infantulo respectu nostri, dicens: *Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Hæc nempe est nostra necessitas, nostra dependentia à Deo, infantis scilicet á matre, imo & multo maior iuxta bonã Philosophiam. Considero ergo Deiparam ipsam matrem fuisse infantulum, & puerum Christum fuisse matrem: ac proinde vbi primum Deipara absentiam Christi sensit tanquam ipsa infantulus, matris opem & auxiliũ, & præsentiam requisiuit plorãs, & dolẽs implorauit. Quod si ob naturalem tantum indigentiam, ac dependentiam, Deum quærere debemus celeriter, & cũ dolore: Quanto dolore opus est, ac celeritate, vt eundẽ Deum quæramus post offensam á nobis in illum cõmissam? Tunc, tunc necessariũ est, vt dolentes omnino quæramus & imploremus illũ, dolore, si fas est dicere, infinito. Infinito quidẽ dolore opus est, si is potest haberi, non intensiue, sed vt Theologi loquuntur, appretiatiue, quatenus diuinã offẽsam plus odiat peccator, appretiatiue, quam infinita alia mala pœnæ si darentur. Demus primo exemplum cuiusdã homi-

Hæretici recentes impie dicunt Deiparã peccasse in amisione pueri Iesu.

Indigẽtia qua Deo indigemus explicatur.

Isai. 49.

Dolore infinito quærendus Deus post offensam.

nis idololatræ, vt ex illo etiã pos simus vel edoceri vel confundi. Iudicum 18. narratur de quodam Micha, quod cum esset idololatra, milites quidam domum illius ingressi, suppellectilem domus abstulerunt, & simul idola quæ habebat, asportarunt. Ille furtum resciens, milites est insecutus, magno ploratu & lachrymarum copia, de damno sibi illato conquerens: cumque à militibus quæreretur cur fleret, ille, cui suppellex domus ablata fuerat, vestes scilicet, aurum forte, & similia, de nullius rei temporalis amissione cõquestus est, sed solum idolorum furtum dolens, sic militibus respondit: *Deos meos quos mihi feci tulistis, & dicitis, quid tibi est?* Si ergo homo idololatra plus doluit amissionem idolorum à se factorum, quã cæterarũ rerũ iacturam, Quid faciet Christianus, qui ob peccatũ mortale Deum amisit? oportet sane vt dolore infinito peccata ob oculos mentis proponens, dicat ab opposito Michæ: Deum meum qui me fecit, tulistis à me, quomodo non plorem incessanter plusquam omniũ cæterarum rerũ amissionẽ, & pœnas corporeas infinitas? D. Bern serm. 3. in Ramis palmarũ, innuit Christũ Dominũ non solũ corporeis oculis hominũ, peccata fleuisse, sed etiã per sudorẽ sanguineum in horto significasse, ex omnibus corporis poris oculos fecisse, qui ad modum oculorũ sanguineas lachrymas fundentes hominum peccata deflerent, ac purgarent. Verba Bernar sic habẽt: *Factus in agonia orabat: vbi quidẽ non solum oculis, sed quasi membris omnibus fleuisse videtur, vt totum corpus eius, quod est Ecclesia totius lachrymis corporis purgaretur.* Sic ille. Si ergo Christus Dominus vt peccata aliena defleret sanguineas lachrymas per totũ corpus effudit, quas lachrymas op' est effundat quilibet, pro peccatis nõ alienis, sed proprijs? D. Ieron. in epist. ad Eustoch. de virginitatis custodia c. 3. ne peccatũ ipse cõmitteret, narrat mirũ afflictionis modũ quo corpus suũ castigabat, gemendo, lachrymãdo, orãdo, ieiunãdo pectus duro saxo percutiẽdo, ne inquã accederet ad peccatũ cõmittendũ. Quid faceret post peccatũ cõmissum? Non potest clarior, nec excellentior doctrina desiderari, de modo quo de peccato dolendum sit, quam à tantis ac talibus autoribus audiuimus.

Iud. 18.

Sudor sanguineus Christi Domini lachrymæ fuerunt fusæ ob nostra peccata.

Oportet etiã omnino vt prædictus dolor statim adhibeatur post peccatũ nec expectemus annũ ad dolendũ. Beatissima parẽs vtrũque docuit suo dolore de sola absentia Christi: fuit enim magnus vt verba sonant, & par est credere:

Peccati contritio statim habenda, nõ dilatanda.

credere,& præterea statim, absque cunctatione cognita Christi Domini absentia nec passum vlterius progressa,in Ierusalem reuersa est quærēdi filij causa.Statim inquā peccati dolor habendus,non procrastinandus. Hoc est quod Paulus ad Roman.16. desiderat,& commendat. *Deus autem pacis conterat Satan sub pedibus vestris velociter.* Vide verbū velociter: oportet nempe, vt supposita per fragilitatem peccati commisione,de illius remedio per dolorem statim, ac velociter cogitemus. Multo enim difficilius ex parte nostri, de peccato antiquo dolemus & à Deo remediū impetramus.Etenim peccatum antiquū vltra quā quod maiores radices egerit volūtate ad illud magis affecta; pondere suo ad aliud peccatū trahit.& sic non vnū tantū, sed multa cōmittuntur nisi citius per doloris, & Sacramenti remediū illi subuenitur. In cereo extincto id cernere facile erit. Si namque cereus vbi primum extinctus est, alteri accenso supponatur, statim absque difficultate, & cunctatione accenditur, ita vt solus fumus suppositi cerei lumen superioris ad se trahere videatur. Si vero cereus iamdiu extinctus accedendus sit,ob temporis frigiditatem, & ceræ concretionē, tardius lumen recipit,& quasi

Rom. 16.

cum quadam resistentia frigoris inhærentis. Eodem modo contingit in anima;si statim post peccatum resipiscat, & in se reuertatur: quamuis semper id per diuinum auxilium faciendum sit, facilius tamen, & velocius videtur fieri, statim post peccatum, quam postquam per longum tempus peccati frigiditas occupauit cor: & mentis oculus seu memoria quasi Deum oblita est. Peccauit Petrus, & in eodem quasi momento diuino auxilio præuentus, solo diuino intuitu, in lachrymarum imbres prorupit. Samaritana vero illa Ioann 4. quæ antiquo peccato grauata erat, longo indiguit sermone, rationibus & doctrinis. Hæc duo hactenus dicta, de peccati dolore habendo, & statim habendo, vt plurimum promptius & facilius inueniuntur in Religiosis quam in sæcularibus, habent enim ad illa duo ex vi status maiorem commoditatem. Primo enim ex vi status plangentis habent officium. Habetur enim 16. q. 1. cap. Monachus in hunc modū. *Monachus non docentis,sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus præstoletur aduentum.* Sic ibi. Est itaque Religiosi officiū plangere peccata sua, & peccata totius mūdi. Secūdo quia cū sacra

Ioan. 4.

Petrus statim conuersus post peccatum: Samaritana non similiter.

mentum Religiosi, fere quotidie frequentent, nō possunt non conscientiā præparando peccata detestari. Inde fit tertio vt statim illa deplorent ob sacramentorū frequentem receptionem. adde magnum cōmodum ex fraterna societate aliorū, prælati scilicet vigilantis, amici admonentis, zelatoris clamātis, & similium, ex quibus omnibus animatur, & accēditur Religiosus ad peccati velocem planctū, ac detestationē.

Imo audeo dicere, non solū Religiosos facilius Deum reperire per peccati dolorē citius habitum, verum etiā illos suo modo esse templū, & doctores inter quos facilius reperitur Christus. Quod enim Religiosi sint templum speciale Dei, ostendo ex testimonio beatæ Luciæ quæ iuxta Diui Pauli sententiam, suo iudici percontanti dixit: *Caste & pie viuentes templum sunt Spiritus sancti.* At vero Religiosi in Ecclesia Dei maiorem castitatem & pietatem erga Deum seruant Diuus item Bernar. serm. 11. Dedicationis Ecclesiæ integrō sermone probat, & ostendit Religiosos esse templum Dei. Vltra vero rationes illius, liceat hanc adducere, in hoc distinguitur, ac dignoscitur domum aliquam esse Ecclesiam, aut esse domum secularem: quia in Ecclesia eo quod diuino cultui dicata sit non permititur vlla immunditia, non conuiuia, non recipiūtur animalia, non alia prophana vsui corporis humani necessaria: quod si fiat statim clamor, & pius zelus insurgit. E contra vero in domo prophana, & sæculari, illa omnia recipiuntur, etiam animalia, & alia quæ ad vsum corporis humani necessaria sunt. Idem videas obseruari in personis Religiosis, & sæcularibus. Has enim quia dicatæ Deo non sunt, etiamsi prophanos mores cibos conuiuia, & peccata carnalia videas frequentare, non adeo indignaris, quia dicatæ Deo non sunt. Religiosi vero si eadem faciāt, si prædictis omnibus immisceantur, magnum clamoris, & scādali occasionē præbent, quia scilicet personæ Deo dicatæ sunt, & modo specialiori templum sunt spiritus Sancti. Quod item Religiosi modo suo sint etiam Doctores idiotæ, inter quos facile reperiatur Deus, habemus ex D. Chrysost. hom. 58 ad pop. Antioch. vbi de Religiosis personis ac domibus loquens sic habet. *Ipsa domus, vestes, ministeria, quasi litteris quibusdam impressis humilitatem prædicant, &c.* Et vere quidem omnia enim in persona Religiosi sæculares docent. Docēt illos honestus habitus, honesta colloquia, vigiliæ, ieiunia, & multæ aliæ

Religiosi sunt templum, & doctores in quibus reperitur Deus,

tæ aliæ quotidianæ actiones Religiosorum instruunt ipsos sæculares, vt proinde Religiosi ipsi non loquentes doceant, & muti doctores sæcularibus existant. Vt modo etiam aliquo eisdem congruant illa verba, Matth. 5. *Vos estis lux mundi*. Quis enim mundum maiori luce illuminat quam Religiosus, seu omnes Religiosæ personæ suo nempe exẽplo, prædicationibus scripsis, ieiunijs, mortificationibus, & alijs multis quibus plena est vita Religiosa? Sunt ergo Religiosi, & qui citius dolentes quærunt Deum: imo & ipsum templum & doctores adiuuantes ad faciliùs quærendum Deum.

Quo vero clarius de vita Religiosa loquamur, inuenio hodie Christum Dominum prima fundamenta vitæ Religiosæ iecisse. Primo enim hodie anno 12. relictis parentibus ad templũ confugit: in quo fere Religiosæ vitæ perfectio vel initium consistit. Hodie primi voti, obedientiæ scilicet, iacit fundamentum, cum dicitur; *Et erat subditus illis*. Hodie paupertatem Euangelicam incoauit, cum relicto parentum cibo & victu, mendicasse creditur ostiatim in hoc triduo, iuxta Gaetanum: & expressẽ asserit Author incognitus ad Psalmũ 108. ex D. Bernar. iuxta illa verba, de Christo hoc triduo intellecta *Et persecutus est hominem inopem, & mendicum*. Denique pro voto castitatis habemus Christum, & Matrem, & Iosephũ Virgines. Vide si bene vita Religiosa hodie in hoc Euãgelio adumbrata, & delineata sit? Garriant nunc, & insaniant cõtra vitã Monasticam recentes hæretici: Accusent Religionũ fundatores Benedictum, Franciscum, Dominicum, & cæteros, quos dicũt esse in inferno, si facti sui non pænituerunt: & illos tres Patriarchas præcipue, vocat Illyricus recens hæreticus Hæresiarchas: debachentur in quantum velint, nam in eo quod Religionum fundatores accusant Christum Dominum accusant, qui hodie talia fundamenta vitæ monasticæ posuit. Imo in fauorem primi voti Monastici, obedientiæ videlicet, considero non solum Christum Dominum hic reperiri obedientem illis, maiorẽ minoribus, Deũ creaturis, Magistrum discipulis: sed etiam ipsam Deiparam inuenimus subditam Iosepho, iuxta doctrinam Pauli ad Titum c. 2. dicentis quod fœminæ viris suis subditæ sint? Hanc vero legem quænam melius obseruaret, quã cæteris omnibus humilior sancta Deipara? Ipse autem Ioseph, tantæ matris considerans pene infinitã dignitatem, & pueri Iesu diuinam Maiestatem, quid non

Christus D. author triũ votorum Religiosorum

Hæretici accusantes vitã Religiosam & fundatores ordinum.

ad Titũ 2.

non plus subditum se ambobus ostenderet, in animi scilicet inferioris recognitione! Itaque videas in his tribus personis quasi certamen assumptum in obediendo. Vnde obiter taxare liceat friuolos obedientes, & qui alteri dedignantur humiliari: hi enim non considerant Christum Iesum verum Deum, creatorem, infinitam sapientiam, pauperi fabro subditum & humiliatum. Si vero inquiras in quibus Christus Dominus erat subditus Ioseph? Dicam cum multis pie sentientibus, & picturis pijs fauentibus, & ipsa ratione suadente, Christum Dominum Iosepho ministrasse tanquam patri in omnibus ministerijs humilibus ad pauperem domum ac parentem pertinentibus Id quod, vt dicebam, ipsa ratio suadet: erant enim parentes humiles pauperes. & vnicus ille erat in domo filius virginis, quare ergo nouum putabitur si dicamus illum ipsis in omnibus humilibus ministerijs fuisse famulatum? Confundat hoc rebelles subditos, & nolentes, nisi in magnis, & honorifici obedire. Legant D. Basilium in constit. Monast. cap. 22. in quo ex professo docet verum Religiosum omnia officia, etiam humilima, debere prompte exequi. In cuius rei probationem affert duo exempla. Primum Christi

Religiosus humilia officia debet exequi in religione, & per illa honoratur.

Domini lauantis pedes Discipulorum: quod profundissimæ humilitatis, & abiectionis signum fuit. Secundũ Apostolorũ in die Palmarum, qui quasi Agasones, duo iumenta portarunt ex Christi Domini præcepto: ac proinde, ait Basilius, *Etiam si iumenta oneraria sequi oporteat propter communem vtilitatem, faciendum est id quod prælatus iniunxerit*. Affert ibidem Pater sanctissimus, causam quæ Religiosum ad hæc humilia facienda debet adigere: quia, inquit, *Quidquid propter Deũ fit, non est paruum, sed magnum, & spirituale, & cælo dignum*. Et paulo infra ait. *Magnum est homini imitatorem fieri Dei, dum per humilia hæc in altitudinem imitationis illius perducitur.*

Fili quid fecisti nobis sic? Verba hæc in substantia dicere solent parentes Religiosi quando de filij Monachatu sibi non complacent, eo quod vel charior, vel senior alijs filijs sit. Dolentes enim illius absentiam, quasi illi exprobrãt: vt quid reliquisti nos, descendentiæ lineam, & vitam hanc asperam elegisti, cũ posses in mundo saluari, & similia quæ solent obijcere. Quibus prima facie condonari potest, eo quod ex impetu paterni amoris, vel materni affectus, illa dicere consuescant diuerso tamen sensu, quã à Beata Virgine dicta sunt.

Parentes dolentes de filij Monachatu.

Re

Re tamen vera, illis persuadendum est, vt imitentur matrem illam cuiusdam socij quadraginta illorum martyrũ qui passi sunt sub Rege Licino, de quibus in Breuiario die nona Martij. Hæc enim cum filium Melithonem ob nimium frigus corporale, animo frigido â cæterorum constantia deficere videret, sic filium adhortata legitur. *Fili paulisper sustine: ecce Christus ad ianuam stat, adiuuans te.* Itaque ad mortem viriliter propter Deum tolerandam chara mater, charũ filium hortabatur. Hoc ipsum Religiosi mater debet imitari. Laboriosa est Religiosa vita, & martyrio incruento comparata; vt iam diximus in præcedentibus ex Bern. & D. Ieronimo: Ad hoc igitur incruentum martyrium Christiana mater, non dehortari, sed hortari debet: dicens. Fili, paulisper sustine. Re enim vera paulisper tantũ vitæ labores durant, momentanei sunt omnes miseriæ nostræ Agones sicut ipsa vita breuis, & momentanea est: vt partim ex hoc labores omnes vitæ nostræ tolerabiliores sint, eo quod momẽtanei fere sunt Multo vero magis consolatoria sunt verba sequentia illius piæ matris: *Ecce Christus ad ianuam stat adiuuans te*: Quasi diceret, Christus quasi stans, & assurgens (sicut dicitur fecisse Sthephano, Act. 7. ad illũ adiuuandum in suo martyrio) expectat te ad ianuam cæli. Hoc enim pacto Ieronimus super Psal. 34. exponit illa verba Sthephani Act. 7. *Video Iesum stantem à dextris virtutis Dei*, idest stantem, armatum, & assurgentem ad fauendum. Verba Ieronimi sunt. *Quid fortius, quid pulchrius quam Christum armatum stare pro suis, sicut sanctus Shtephanus vidit quando dixit, &cat.* Deinde ad ianuam cæli seu in ianua cæli dixit Christum adiuuantem stare; in quo respectum habere potuit ad illam scalam Iacob, Genes. 28. in cuius cacumine cælum tangente, vidit Deum innixum scalæ. Cum enim supra vitam Religiosam huic scalæ Iacob ostenderimus esse similem, denuo addimus cum Carruziano ad Euangelium Dominicæ quartæ aduentus: Deum ideo ibi dici innixum cacumini scalæ, vt scilicet manum porrigeret ascendenti, per gradus illos difficiles, illumque adiuuaret. Ecce vtrũque innuitur in verbis illis piæ matris, quod scilicet Christus in Agone pro illo laborantibus assistat, stans tanquam armatus & tanquam ex ianua cæli, scalæ innixus manum porrigat, vt per illam tribulationem tanquam per scalam ad ipsum ascendamus. Hæc ambo, tibi noua

Act. 7.

Christus adiuuat specialiter Religiosum.

noua profitens inseruiunt, in hac laboriosa vita, & scala Iacob paulisper sustine: Christus enim Dominus pro quo labores hos suscipis te adiuuabit quasi armatus stans: & quasi ex ianua Cœli tibi manum porriget, vt facilius, & suiauius ad illum per religionis labores possis ascendere.

Quid est quod me quærebatis? Hoc est responsum filia, quod reddere debes patri, & matri, & omni, seu cuilibet te volenti auocare ab hoc sancto proposito, seu itinere quod hodie ingrederis: *Quid est quod me quæritis?* In his quæ patris mei sunt oportet me esse iam hodie sortita es alium patrem meliorẽ, ac nobiliorem, Deum scilicet omnipotẽtem: ita Pater noster Seraphicus Franciscus, quando omnia terrena patri terreno corã Episcopo Asisiensi renunciauit: *Dixit se gratias Deo agere, quod ex tunc verius dicere Deo posset, Pater noster qui es in Cælis.* Hodie etiam æternum hunc Patrem nouo modo sortiris, cuius protectioni te subdis: oportet ergo, Æterno Patri qui nobilior, & potentior est, obedias, & morem geras: ac proinde dicas cum Puero Deo Christo: *In his quæ Patris mei sunt oportet me esse.* Considero ego in his verbis, quod cum Beatissima Deipara, tanta teneretudine, tantoque doloris affectu, Christum Puerum hodie vocauerit filium, dicens: *Fili quid fecisti nobis sic?* Ille econtra, nec teneris verbis matris commotus, nec ex innato puerorum ad matrem amore, illam matrẽ apellauit. Causa fortasse fuit quia cum vt diximus hodie tum omnes fideles, tum maxime Religiosos instituebat, voluit eos docere, quod illi in particulari: *Non debent sibi vocare patrem super terram.* Sicut ipse Christus Dominus postea docuit Math. 23. dicens. *Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim Pater vester qui in Cælis est.* Hoc autem omnibus Fidelibus dictum, sibi specialiter debent Religiosi applicare, & viua memoria recondere: debent insuper memores esse quod licet mater, aut pater ipsius, per impossibile, essent æque sancti, ac beatissima Deipara, (quod nũquam erunt) & ab illo peterent aliquid incompatibile cum vita religiosa: illis omnino inauditis, in ijs quæ Dei sunt, debent firmiter inhærere.

Religiosus non habet patrem super terrã. *Math. 23.*

Vltima verba huius Euangelij sunt: *Quod Puer Iesus proficiebat ætate, & gratia apud Deum, & homines* Reseruata maiori explicationi horum verborum Theologis de modo quo puer Ieus crescebat gratia: (non enim in anima recepit augmentum gratiæ, sed omnem simul recepit in instanti incarnationis: & dicitur proficere

in

Deuotiones magnæ in principio, frigescunt.

in gratia quo ad ostensionem, seu quoad effectus, quia in dies magis ac magis ostendebatur illius gratia) considero etiam ipsum Christum non repente apparuisse sanctum, sed paulatim in sanctitate profecisse quo ad nos modo exposito. Hoc documentum etiam tibi inseruiat: noli repente apparere, seu fieri sanctam: periculosum enim illud est, imo via communi, impossibile: feruores nempe extremi in principio rarius durant: contenta sis proficere paulatim. De aurora dicitur, seu de Ecclesia, quod quasi aurora consurgat: paulatim scilicet, non enim in suo primo ortu plene illuminat sicut in meridie, sed paulatim lucis incrementa demonstrat. Arbores item, non repente poma proferunt, prius flores, deinde folia, tertio fructus producunt. Contenta sis in hoc principio, cum puero IESV non docere, sed inter doctores sedere, & audire. Doctores Religionis sunt antiquæ & sanctæ Religiosæ in omnibus Religiosis exercitijs satis expertæ: has audire, has imitare debes, si vis proficere sapientia & gratia in hac vita, & in alia per gloriam, Amen.

(?)

SER





SERMO XI.

IN FESTO NATIVITATIS B. MARIÆ, ET IN PROFESSIONE MONIALIS.

Liber generationis IESV Christi filij Dauid, filij Abraham.

Matth. 1.

Matth. 1.



EX ijs quæ docent recentiores Theologi cum D Tho. ad 1. par. q 63. de peccato Angelorum, potest colligi diabolum sciuisse verbum diuinum assumpturum esse carnem humanam. Ibi enim asseritur communiter, peccatum Angelorum fuisse positum in hoc: quod dum erant in via, fuit illis propositus Christus Dominus futurus verus Deus & homo, vt illum adorarent tanquam verum Dominũ. Quem Angeli boni adorarunt, & salui facti sunt. Angeli vero mali indigne ferentes quod illa vnio hypostatica deferretur naturæ humanæ inferiori, suæ vero Angelicæ nobiliori negaretur: nolentes Christum futurũ adorare, per inuidiam tanti boni, & per superbiam elati corruerunt, & damnati sunt. Sciens ergo diabolus futuram incarnationem verbi Domini, licet nec tempus posset scire, nec designatas personas certo cognoscere ex quarum progenie, caro foret aptanda diuino verbo: procurauit tamen quantum potuit. vt quantum sibi videbatur, vel incarnationem impediret, vel dilataret.

Peccatum Angelorũ quod fuerit.

Diabolus incarnationẽ futurã nouit, & illam si posset impediret.

Cumque

Cumque intelligeret quantum diuina bonitas peccatum, & peccatores odiat, ac detestatur, tanquam Leo rugiens, & vinculis solutus, enixus est homines peccatis coinquinare, & peccatores peiores facere, vt forte Deus peccatorum tædio affectus, vel incarnationem mutaret, vel dilataret. Addo insuper potuisse diabolum scire ex coniecturis, ex semine Abraham progenerandū Christum Dominum cum enim diabolus cognoscat omnia indiuidua rerum corporalium actu existentia (si à Deo non impediatur) & ille probabiliter audiuerit promissionem illam factā à Deo Abrahæ Genes. 18. & Genes. 26. *Quod scilicet in semine eius essent benedicendæ omnes tribus terræ* potuit diabolus ex vi talis promissionis (cuius auditionem nō lego absconditam diabolo.) & attenta particulari Abrahæ sanctitate, multisque diuinis beneficijs in illum collatis conijcere ex semine illius nasciturum verbum Diuinum incarnatum. Hoc præsumens forte diabolus, adeo in posteros, ac descendentes Abrahami per tentationes, insaniuit & exarsit, vt in his Abrahami nepotibus huius Matth. Genealogiæ reperiantur tot ac tanti peccatores, quales non facile sit alibi reperire. Qui enim scire voluerit abominandas & exercendas; impietates Salomonis, Roboam, Manasses, & multorum hic descriptorum legat libros Regū, & Paralypomenon, longum enim esset id recensere. Vt interim omittamus tres Reges in hac linea à Matthæo omissos, Ochosiam scilicet, Ioaz, & Amaziam, quos aliqui doctores dicunt non fuisse nominatos in hac Saluatoris linea propter magna & ingentia illorum peccata, vt interim alias causas illius omissionis omittamus. Hæc inquam peccatorum fœdatio, & maculatio à diabolo in his Christi Domini progenitoribus ideo facta, & intenta est, vt quasi Christo fœdaret vestem seu carnem, qua prætendebat indui, ac proinde incarnationem saltem dilataret. Verum, *cum flumina peccatorum non possent obruere charitatem illam infinitam Dei.* Cantic. 8. *Cum venit plenitudo temporis, ordinauit vt per hanc rectam lineam ex Abrahamo, & Beatissima Deipara de tribu Iuda descenderet*: hodieque nasceretur, mundi remedium, & ex illa nasceretur Christus mundi Saluator.

Genes. 18. & Gen. 26

Cant. 8.

Edocemur primo in hoc, à bono proposito boni operis nō deterreri, nec desistere propter quascumque difficultates obiectas, sed illis omnibus superatis vlterius procedere. Cum enim Deus, proponeret hoc tantum, & adeo

Propositū bonum non omittendū propter difficultates obiectas.

& adeo ſanctum opus incarnationis perficere, non obſtantibus tot ac tantis peccatorum difficultatibus, quæ adeo deteſtatur Deus, illis omnibus ſuperatis opus intentatum ſuo tempore perfecit. Hanc ego ſanctam, & neceſſariam doctrinam multis confirmo Sitque primum exemplum in ipſo verbo diuino iam incarnato, ideſt Chriſto Domino de quo narrat Lucas cap 9. quod appropinquante tempore paſsionis ſuæ, cum eſſet profectu rus Ieruſalem in qua erat moriturus: videns in intellectu quot opprobria illic, quot flagella, quot irriſiones, & tandem acerbiſsimam paſſurus eſſet mortẽ, repugnante forte humanitate: affectu illo pro paſsionis: ipſe Chriſtus Dominus vt repugnan tiam illam inculpatam vinceret, nec ab itinere deſiſteret, dicit Euangeliſta quod; *Faciem ſuam firmauit vt iret in Ieruſalẽ.* Nouus quidem loquendi modus, ſed valde appoſitus ad intentum: quaſi diceret ſuæ humanitati quaſi vim intuliſſe, ne repræſentatæ difficultates ac labores illũ à ſancto Redemptionis propoſito, & opere retardare valerent. Explicatur hoc Chriſti Domini factum appoſita comparatione ægroti amaram potionem ſumpturi. Illic enim vas plenum potione manutenens, ſentiens odoratu illius terrum odorem, oculis nigrum colorem, intellectu, illius diram amaritudinem, reuolutionem, & conuulſionem corporis poſtea cauſandam, horret quodammodo, ac refugit ab illius ſumptione: intelligens nihilominus neceſsitatem qua indiget ipſius potionis ſumptione, firmat faciem, claudit oculos, ſenſuum actiones quantum poteſt reprimit, & illam abſorbet. Eodem modo ſe habuit Chriſtus Dominus citato loco Luc. firmando faciem ſuam, & docuit nos eodem modo facere in difficultatibus, ac laboribus oblatis propter Deum. Labores namque & tentationes omnes huius vitæ potio amara ſunt, qua Deus animas noſtras curare, & purificare prætendit: ieiunia, caſtitas, paupertas, & cæt. omnia potio amara ſunt carni, quæ de diuino mandato animæ ſaluti neceſſaria ſunt: quamuis ergo humanitatis affectus, & imbecillitas horreat & refugiat, firmanda eſt facies, & ob firmanda eſt voluntas, ſeu intentio, ne voluntas ab incæpto ſancto propoſito deſiſtat, vel retardetur. Habemus eiuſdem Rei optimũ exemplum in illo piſce Tobiam iuniorem inuadente Tob. 6. cũ enim adoleſcens immanem belluam ſe inuadentem timeret, & ad ſanctum Angelũ Raphaelem comitem

Luc. 9.

Labores ſunt potio amara.

Tob. 6.

comitem recurreret, clamans: *Domine inuadit me, dixit Angelus apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te.* O bone Angele, & hoc est auxilium quo iuuas comitē tuum? immotus manens, iubes illum belluam apprehendere quam timet? Ita sane, & non solum apprehendere iubet, sed exenterare. Edocemur itaque labores, ac tentationes, & difficultates quæ velut immanes belluæ nos apprehendunt, non esse timendas, non esse fugiendas, nec propter illas à sancto opere cessandum; sed per branchiam apprehendendas à nobis, atque exenterandas, vt ex illarum felle curationem, & purgationem, animæ nostræ faciamus. Etiam Poeta Virgilius hoc moraliter & naturaliter intellexit, cum dixit: *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.* 6. Aeneidos, quasi diceret, audendum esse contra mala & labores, neque illis succumbendum. Vt enim optime dixit Seneca epist. 104. *Maius periculū incurrimus si malis terga damus, illaque refugimus, quam si facie ad faciem aggrediamur.* Verba Senecæ sunt hæc. *Periculis magis patemus auersi.* Et nititur Seneca, vt videtur, optima comparatione. Quemadmodū enim si duo homines pugnaturi cōgrediātur, & alter eorū terga vertat inimico, vel potius faciem auertat, ansam

Labores debemus brāchijs apprehendere & exenterare sicut Tobias piscē.

dat inimico, vt insequens tergū inuadat, & perimat: quod forte non faceret si facie ad faciem resisteret. Eodem modo, qui cum laboribus, ac difficultatibus cōgrediens terga vertit, ac refugit, magis periculo illi patet, quatenus scilicet aut à tentatione vincitur; aut meriti occasionem perdit, & ad futuras pugnas ignauus, ac pauidus redditur. Confirmatur hoc tandem altero dicto eiusdem Senecæ epist. 103. dicentis, labores huius vitæ, malaque præsentia, difficilia quidem esse, non quia in se difficilia sint: sed quia nos debiles contra illa nō audemus, nec insurgimus. Verba Philosophi sunt hæc: *Non quia difficilia sunt, non audemus, sed quia non audemus difficilia sunt.*

Tota hæc doctrina imprimis nouæ professæ necessaria est. Hodie namque laboriosam vitam monasticam ingreditur. Hodie ipsamet iuxta Euangelicum cōsilium, debilibus suis, ac fæmineis humeris crucem Christi, seu suam propriam super imponit, iuxta illud Christi Domini Matt. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsū, & tollat crucē suā & sequatur me.* Hodie ex tuo libero arbitrio Christū sequi proponis, & crucē post illū portare decernis. Hodie sicut Christus Dominus hic dicitur filius Abra-

Matt. 16.

 ham:

ham: sic etiam te facis similem filio Abraham, nempe Isaac. Cū enim profitens vota Religiosa, se viderit coram superiori genibus flexis, & manibus traditis in manus Prælati, & inter prælati manus concusis: consideret se Isaac Genes. 22 coram patre Abraham manibus ac pedibus ligatum, & ad holocaustum paratum. Talis enim redditur profitens coram prælato, manibus scilicet ac pedibus ligatus manet, vt non liceat illi vel operari vel ambulare, contra voluntatem prælati sui, & hoc sonant prædicta verba, *abneget se, & tollat crucem suam*. Quem locum Genes. de Isaac explicans Gaet. ad citatum cap. ponderat imprimis stupendam obedientiam, & mansuetudinem Isaac iuuenis, non resistentis patri seni, quem posset facile superare, & proinde ipse etiam libentissime morti consentiebat, sciens à Deo esse præceptam. Secundo considerat Gaet. non fuisse ligatum Isaac, eo quod timeret pater ne fugeret, qui voluntarie patiebatur: sed ligatū esse, ne naturales, & inuoluntarij motus debitum ac decentem situm victimæ perturbarent; ne appareret tantilla inobedientia sacrificij. Ecce qualiter hodie cum Christo diceris filia Abraham: voluntarie te ligari pateris: imo & tu te ipsam ligas. Momento ligamen hoc adeo rigidum esse, vt si fieri posit, nec naturales motus & inuoluntarij in te reperiantur contra promissam obedientiam, sicut enim alter Isaac in holocausto Deo consecraris. Hæc est crux quam hodie tibi imponis: hæc est vita laboriosa contra quam cum Christo Domino debes ob firmare faciem, obfirmare voluntatem, ne ob illius difficultates à proposito, seu promissis, deterrearis. Hos labores, & agones, horrere non debes, sed cum Tobia iuniore per branchiam apprehendere, & exenterare, ac Deo offerre. In tuum fauorem maxime facit, quod si crux est vita quam assumis, crux est quam cum Christo, & post Christum, & propter Christum portas, quæ omnia sufficientia sunt, vt crucis mærorem liniant, illamque suauissimam reddant. Sufficiat vnicum huius rei exēplū illius sanctissimæ matris Claræ: de qua scribitur in respōsorio diei festi illius: quod Nouitias speciali cura docebat, Christum crucifixū plangere, quod & ipsa faciebat frequēter. Et additur. Crux ei digno pondere, maiores dat delicias quo maior dolor angit. Et re vera ita est, quod qui labores propter Deum libenter suscipiunt, quo magis labores

Gen. 22.

Obedientia mirabilis Isaac.

affligunt

affligunt, eo maiorem ipsi diuinam consolationem in anima sentiunt.

Christus Dominus non descẽdit à Iacob per Rachelem pulchram sed per Liam, & cur?

Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Ex hoc loco clare colligitur Christum Dominum à Iacob non descendere per Rachelem illius dilectam vxorem, sed per Liam. Constat enim Iudam filium Iacob genitum fuisse ab vxore Lia, Genes. 29. Christus vero Dominus cum descendat à Iuda, est filius non Rachelis pulchræ, & dilectæ, sed Liæ. Hoc autem libuit aduertere, quia inuenio duo capita in iure Canonico in quibus doctissimus Papa Innocen. III. peculiari consideratione aduertit, & cõmendat Christũ Dominum non esse filiũ pulchræ Rachelis sed Liæ. Hæc capita sunt, nisi cum pridem. de Renunciat. & cap. licet quibusdam, de Regularibus. Affert porro Summ. Pontifex prædictam consideratiõe, vt doceat: non licere alicui Episcopo, quando ipse suæ Ecclesiæ vtilis est, relicto Episcopatu Monachum fieri suæ particularis consolationis gratia.

Episcopus vtilis Ecclesiæ nõ potest fieri Religiosus.

Ad obiectionem vero, quã posset quis Sũmo Pontifici dicere; vitam contemplatiuam Religiosi, esse meliorem, & proinde præferendam actiuæ vitæ Episcopali, vtpote occupatæ in corrigendis alienis peccatis, alendis pauperibus, prædicationibus, & similibus actionibus corporalibus: Respondet Papa, quod in hoc casu cõmunis vtilitas, speciali vtilitati præfertur, & in hoc casu recte præponitur solicitudo contemplationi. Et ad hoc intentũ allegat Christũ Dominum non à Rachele, contemplatiuã significante, descẽdere, sed à Lia significante actiuam vitam. *Quanquã enim, ait Papa, contemplatiua sit securior, ista tamen, (actiua) est magis fructifera, cum in fecunditate sobolis lippitudo Liæ Rachelis pulchritudini sit prælata.* Sic ille. Ad idem intentum citat Sum. Pontifex ibidem, *Non dixisse Diuum Lucam cap.* 10. *Mariam Magdalenam contemplatiuam excepisse Christum Dominum in domum suam, sed Martham sororem actiuam illum hospitio recepisse.* Multam nobis siluam aperit prædictus Summus Pontifex in sua consideratione huius Euangelij, ad nostrum hodiernum intentum, & quidẽ licet ibi Papa dicat vitam actiuam Liæ esse magis fructiferam contemplatiua, & ẽ contra contemplatiuam Rachelis esse securiorem, neutram alteri absolute videtur prætulisse, sed solũ respectiue vtranque ad inuicẽ cõparauit Si enim quæratur qui modus viuẽdi absolute melior sit? Dicendũ est cũ D. Tho. 3 p. q. 40. art. 1. ad 2. & 2. 2. q. 188. art. 6. non

Luc. 10.

ſolam contemplatiuam vitã eſſe meliorem: nec è contra ſolã actiuam: ſed miſtam vitam ex vtraque contemplatiua, & actiua ſimul, eſſe meliorẽ viuendi modũ, & magis meritoriũ: quẽ habuit Chriſtus Dominus, *qui erat per noctans & contẽplans in oratione Dei, & interdiu recurrebat ad prædicandum*, docendum, & ad opera miſericordiæ exhibenda populo indigenti.

Vita actiua valde fructifera: & plus quam cõtẽplatiua.

Hoc poſito conſiderationi illi Sum. Põtificis inhærens, dico primo ad conſolationẽ ſæculariũ non debere illos triſtari, nec diffidere de ſua actiua vita: ſciẽtes Chriſtum Dominũ nõ de Rachele contemplatiua, ſed de Lia actiua deſcendere. Sciẽtes inſuper iuxta Canonicã declarationẽ, actiuam vitam magis fructiferam eſſe vita contemplatiua. Etenim ſi coniugatus vir vel quis alius actiue viuens licitis & ſanctis negotijs propter Deum occupetur, quis non videat perennem, & continuũ meritorũ cumulum inde poſſe ſibi acquirere? Quis neget ipſum Sũmum Pontificem, qui tot negotiorum pondere preſſus, nocte ac die nequit reſpirare, neque forte per quadrantem contemplationi vacare; multo magis mereri quam mereatur Religioſus tota nocte vacans contemplationi? præterea quis neget vxoratum virum in gratia exiſtentem, & omnes ſuas actiones Deo offerentem, ſi nocte & die occupetur in negotijs licitis pro alenda familia, alijſque licitis & honeſtis actionibus propter Deum ſuſceptis, operibus ſcilicet miſericordiæ; magnam ſibi inde coronam gloriæ comparare? Quot vidimus viros coniugatos, & Epiſcopos actiuæ vitæ præcipue deditos, in virtute, & ſanctitate multos Religioſos contemplatiuos ſuperaſſe? Accedit ratio ducta ab experientia: nam contemplationi diu vacare non poſſumus; cum enim hæc abſtractionem animæ â ſenſibus, requirat, quod nobis difficile eſt, laborioſa omnino cenſetur contemplatio, ac proinde intermittenda: quod adeo verum eſt, vt tres Apoſtoli ſanctiſsimi in horto nõ potuerint vna hora cũ Chriſto Domino vigilare, & cõtemplari, Matth. 26. ac proinde illius meritũ nõ poteſt eſſe adeo continuũ, contẽplatiuæ videlicet. Quod ſecus accidit in actiua, quæ ſcilicet actionum varietate ſuauior eſt: & præterea nõ requirit illã abſtractionẽ animæ à corpore Hæc autẽ ſemper dicta eſſe volo, vt ita ſe habere intelligantur cæteris omnibus paribus concurrentibus. Matt. 26.

Habemus ſecũdo ex dicta Papali declarationẽ, vitam Religioſam

giosam in Rachele signatam, esse multo securiorem vita Episcopali: quæ magna laus est Religiosæ vitæ, cum enim Episcopale officium sit officium Magistri fidei, doctorisue animarum, iux
1. Tim. 2. ta illud Pauli 1. ad Thimot. 2. *Positus sum ego Prædicator & Apostolus, Doctor gentium in fide, &cat.* Supponit onus Episcopale virũ perfectissimum, qui in vitæ sanctitate, morumque præstantia, doctor sit, & Magister, potens alios erudire. Cum hoc tamen stat quod Religiosus sit securior, & à vitæ spiritualis periculis magis liber. Comprobat hãc veritatem infinita multitudo Religiosorum hominum, qui oblatos à Sede Apostolica Episcopatus cõstantissime recusarunt, & multorũ iam Episcoporũ qui de licentia Papæ renunciatis Episcopalibus oneribus ad Religiosæ quietis & tranquilitatis portũ confugerunt quos omnes longũ esset numerare. Ad hanc hodie securitatem & tranquilitatem cõfugis relicto sæculari strepitu, o noua professa. *Ad foramina petræ, & ad cauernam maceriæ quietissimã quasi columba conuolas cum sponsa illa di-*
Cantic. 2. *uina*, Cantic. 2.

Cum autem supra dixerimus ex D. Tho. (in quo ab omnibus recipitur) vitã mistam ex actiua, & contemplatiua esse præstantiorem vtraque diuisim accepta, si constiterit aliquam Religionẽ esse simul actiuam, & contemplatiuam (quod multum iam hodie viget in multis Religionibus) vide qualem coronam gloriæ sibi texet Religiosus simul actiuus, & contemplatiuus? hæc nempe fuit viuendi ratio quam Christus Dominus in hoc sæculo tenuit, cuius vitã cæteris omnibus cõstat fuisse excellentiorem. Ad hãc multi in Religione conãtur vitã suã adaptare, qui modo orando modo contemplando, modo legendo, scribendo prædicãdo, cæterisque sanctis corporalibus exercitijs promiscue se exercent, vt contemplatiuã cũ actiua permisceant. Hanc magnã occasionẽ merendi in Religiosis considerans Bern. serm 4. super Psal. qui habitat scripsit de suis hoc modo. *Scire vultis quantum in hac absconsione lucramur? credo nullum hic esse, qui, si quartam partem eorũ quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur vt sanctus, reputaretur vt Angelus, nunc autem quotidie tanquam negligens arguitur, &cat.* Argumentatur enim optime D. Bernard. hoc modo: si sæcularis aliquis in sæculo faceret quartam partem illorum operum quæ fiunt in Religione communiter, ieiuniorum scilicet, orationum, & aliorum perpetuorum exercitiorum quæ sunt ordinaria in

Vita mista ex contemplatiua & actiua est perfectior.

Religione: nonne talis sæcularis reputaretur sanctus? cur ergo talis non reputetur eadem acti tans cunctis diebus vitæ suæ?

B. Maria symbolū vitæ actiuæ & contemplatiuæ simul.

Iam vero ad fontem accedētes, si velimus (excepto Christo Domino) exemplum perfectissimæ vitæ inspicere, in qua & contemplatiua, & actiua simul concurrerint ob oculos proponamus nascentem hodie mundo Deiparam, quæ vtriusque vitæ fuit symbolum admirabile. Imprimis enim illa fuit coniugata, & nupta: ad matrimoniū vero pertinet vita actiua. Et quod fuerit vere nupta habemus in hoc Euangelio, illis verbis, *Virum Mariæ.* Fuit enim Ioseph vir eius vero matrimonio copulatus salua inter vtrunque integra virginitate. Vitam autem contemplatiuam perfectius illam coluisse, nullus est Doctorum qui neget, sed omnes vno ore proclamant. Lege Doctores ad Euangelium Assumptionis eiusdem Deiparæ, eidem applicantes officium vtriusque sororis Marthæ & Mariæ. Vide Suarez tom 2. de Incarnat. disput. 18. section. 2. conclus. 3 quibus ego addo maioris claritatis gratia, eandem Deiparam fuisse nuptam, vt modo ostendimus: & præterea fuisse Monialem. Abbatissam virginum illam vocat Viguerius in suis instit. c. 20. §. 9. Nec mirum cum illa iuxta omnes Doctores absque controuersia prima fuerit quæ voto speciali virginitatē suā Domino consecrauit. Si vero inquiras quando Beatissima Deipara hoc votum virginitatis emiserit, & quasi Monialis effecta sit? Dicam audacter intra vterum matris Annæ adhuc existentem hoc se voto astrinxisse: & ab vtero matris Monialem effectam esse. Hoc deduco primo ex eo quod Doctores dicunt communiter, illam intra vterum matris habuisse vsum rationis permanenter de quo late Suarez tom. 2. incarnation. disput 3. sect. 7. Si enim hanc prærogatiuam aliqui Doctores concedunt Baptistæ, multo maiori iure concedenda est Matri Dei. Secundo id ipsum deduco ex eo quod Doctores consequenter docent: Beatissimam Deiparam hoc votum emisisse à principio sui vsus rationis, vt insinuant Doctores cum Magistro in 4. distinc 30. & Diuus Thom. 3. part. quæst. 28. artic 4. Si ergo illa à principio vsus rationis vouit virginitatem: & in vtero matris habuit vsum rationis permanenter: recte infertur in vtero matris virginitatem vouisse, & ibidem, vt Viguerius ait, virginum Abbatissam effectam. Consonant his scripta à nostro Diuo Bernardino tom.

B. Maria prima virginitatem vouit dū adhuc esset in vtero matris Annæ, & fuit Abbatissa prima monialium. i. author.

no tom 2. serm. 51. articulo 1. cap 2. vbi sic ait. Secundũ quosdam Virgo in vtero matris fuit in sublimiori contemplationis statu quam vnquam fuerit aliqua creatura humana in perfecta ætate, &cæt. Idem affirmat tomo 1. serm. 61. Vnde constat quanta cum ratione Ecclesia, eiusdem Deiparæ hodiernam celebret natiuitatem, vt sanctam: si enim illa intra matris vterum adeo sancta fuit e mundo hodie nascens, vere suam Natiuitatẽ mundo colendam proponit & commendat.

Rachel cur non fuerit mater Christi in hac linea.

Ego adhuc aliam causam cõsidero, ob quam forte credi potest Christum Dominum non à Rachele per Ioseph, sed alia per Iudam descendere: quia scilicet, non videtur Deus approbare excessus amoris factos ob aliquam rem huius sæculi. (Omissis enim misterijs, inclusis in amore Iacob erga Rachelem, ijs non obstantibus possumus aduertere alia via, Iacob in Rachele diligenda quasi excesisse, quod Latini vocant apud Calepinum, deperire aliquam rem: id est impatienter amare, & cum excessu. In nostro idiomate Lusitano dicetur, *fazer estremos por alguem*. Deperijt ergo Iacob Rachelem, & quasi excessus ob illã fecit quatuordecim annis quasi serui vitam egit pro illa, immẽsos labores perferendo. Iniuriã passus Liam pro illa primo inuitus accepit: dotẽ pro illa nõ recepit: illam semper loco excellentiori inter vxores coluit, cum illa esset minor ætate quã Lia, & sic de alijs quæ possunt colligi ex libro Genesis. Ac proinde videtur Christus Dominus illã pro parẽte in hac linea omittens, docere nos, non sibi esse placitos excessus amoris factos pro vlla re mũdi, siue vxor illa sit, siue quæcũque res ad præsentis vitæ vsum necessaria. Hos enim amoris excessus, seu extrema solet Deus punire, vel ex eo quod occasione illius rei nimis dilectæ multa mala, & afflictiones incurrimus, vel ex eo quod mutatis rebus postea eandem rem odio habemus. Exemplum habemus in eodem Iacob, hic sæpissime postea propter eandẽ Rachelẽ cruciatus est mille angoribus: vidit illam sterilem, ab eadem importunis precibus exorabatur, vt daret illi filios. Hæc eadem furto idolorum patris Laban in causa fuit, vt Laban ipsum Iacob insequeretur, cum ipsius Iacob perturbatione. Denique ipsam Rachelem vidit in itinere immatura ætate partus dolore moriẽtem. Idem Iacob qui Iosepho filio præ alijs dilecto tunicam polymitam fecit insignũ amoris particularis: postea cruciatus est

Excessus amoris pro re humana nõ approbãtur sed puniuntur a Deo.

Tunica polymita facta à Iacob Ioſepho, illū Iacobum poſtea afflixit.

videns eandem tunicam intinctam ſanguine hædi, putans filium eundem mortuum, & ſic in eadē tunica qua filium Ioſeph cæteris prætulit, quodammodo punitus eſt. Quod enim eadem tunica polymita poſtea patri allata ſit intincta hædi ſanguine, refert Ioſephus 1. lib. antiq. Quod item puniamur in ijs exceſsiue dilectis, permittente Deo, eadē poſtea odiendo ipſam experiētia quotidiana cōprobat, videmus enim paſsim homines odiſſe fæminas, amicos, & res alias quas exceſsiue, & impatienter dilexerunt. Vide 2. Reg 13. Amnon qui ante amore ſororis Thamar exardebat, poſtea illā plus odientem quā antea amantē. Notiſsimus eſt etiam furor Medeæ contra Iaſonē quē ipſa antea deperierat vt alia omittamus Hoc ipſū videtur colligi ex lib. Sapien. c. 11. vbi poſtquam dixit Spiritus ſanctus Deū puniuiſſe Ægyptios infeſtiſſima animalia illis immittendo ranas, ſcilicet, culices, ſyniphes & ſimilia: ſubdit, vt ſcirent quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, alluditur enim ibi ad idola animaliū quæ colebāt Aegyptij, & tanquā Deos venerabātur crocodillum, bouē apim, oues, & ſimilia, per hæc igitur animalia, quæ colitis, vt Deū, per eadem torquet vos Deus. Eodē modo, dilexiſti fœminā vt Deū, amicū, &c. pluſquā Deum? permittit Deus, vt vel propter illos torquearis; vel etiā iuſto iudicio permittit, vt eadem poſtea odio habeas. Sunt enim ipſæmet res exceſsiue dilectæ ſepulchra concupiſcentiæ noſtræ, ad eū modū quo filij Iſrael Num. 11. dicuntur ſepulti & mortui in eo loco quo carnes impatienter deſiderarunt. Tantalus apud inferos iuxta Poetas cruciabatur, vt præſentem aquam, & poma guſtare non poſſet, ſed illo guſtare tentante fugerent: in quo ſignificare voluerunt pænam auari, qui in hoc mundo congregauit aurum veſtes &c. nec ſibi neque alijs applicabat: & proinde in eo dixerunt auarū puniri in inferno, in quo hic per exceſsiuū amorem peccauerat. Et conſonat pæna illa illata diuiti epulone Luc. 16. qui linguā exceſsiue recreans in hac vita delicatis, & exceſsiuis conuiuijs: & poſtea in inferno de ſola linguæ afflictione querebatur. Denique hoc eſt quod Diuus Auguſtinus dixit illa diuina ſententia 1. confeſſ. cap. 12. *Iuſsiſti Domine, & ſic eſt vt pæna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.* Iubet nāque Deus, & iuſto iudicio decernit, vt etiam in hac vita patiantur homines pænam ſui inordinati, & exceſsiui amoris. Hæc omnia dixi propter exceſsiuum amorem

Num. 11.

Sap. 11. Odio habentur aliquādo quæ nimis diligimus.

Luc. 16.

Patriarchæ

Patriarchæ Iacob in Rachelem, vt fortasse & propterea ex Rachele Messiam nepotem non habuerit sed ex Lia.


Docebo porro vos omnes qualem fœminam excessiue, nimis,& cum excessu (si fas est dicere) possitis diligere absque periculo. Hæc nempe est Beatissima Deipara hodie nata: hanc possumus ac debemus deperire, in huius amore & obsequio excessus facere, sed nunquam excedemus Quid enim non excessus amoris sancti pro illa faciamus? Cum ipse Deus modo suo excessus amoris pro illa fecerit. Ex vsu,& praxi Ecclesiæ, omnia contenta in libro Canticorum Salomonis applicantur etiam Deiparæ matri,tanquã illi à Deo, seu Christo sponso dicta. Quis vero non videat in illis Canticis, omnia fere esse excessus amoris diuini erga illam: huiusmodi fuit sponsum vulneratum in vno crine colli illius: huiusmodi pro vigilia ad portas sponsæ irroratum habuisse crinem: Talia sunt amatoria verba, & laudatiua, eiusdem sponsæ modis exquisitis, vt omnia fere sancti excessus signa videantur. Hinc factũ fuit vt ipsemet Deus in eisdem Canticis innuat se iam desiderare diem natiuitatis hodiernæ. Illa enim verba Cantic. 2. sponsæ dicta. Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea & veni, bis repetita in eod. capite. Explicat Rupertus ad illum locum,quasi sint desiderantis Dei, ac per optantis iam ortum Deiparæ, vt impleret opus Redemptionis. Vt proinde ibi forte dictum sit. Surge, quia hodie Deipara nascitur quasi aurora consurgens, verba Ruperti sunt. *Verba hæc sic accipite quasi desiderantis, & optantis iam adesse materiam tantæ salutis. Scilicet Virginem.* Hæc ille. Nec solus Deus hoc desiderabat ardenter, sed & cuncta sæcula mundique ætates hanc fælicitatem natiuitatis Deiparæ desiderãtes, quasi certabant inter se vtri nam deberet obtingere. Testis huius doctrinæ est Damascenus oratione de Virginis natiuitate sic dicens. *Certabant sæcula quodnam ortu Virginis gloriaretur. Verum eorum contentionem præfinitum Dei consilium superauit, postremaq; sæcula prima facta sunt, &cæt.* Nos ergo qui dignati sumus tanta fælicitate, in tantæ Virginis laudibus & obsequio securos excessus faciamus. Si autem hoc omnes facere tenemur, multo magis ad id noua professa tenetur cũ cæteris Monialibus, siquidem iuxta prædicta ex Viguerio, immaculata Deipara virginum Abbatissa,& patrona particularis est.

Cant. 2.

Natiuitatem B. M. Deus desiderabat.

Ne

Ne autem vltima noſtra doctrina, de exceſſu amoris, exceſſiuaque dilectione alicuius Rei vitanda, Moniali deeſſe videatur, breuiter applico dicens, perſonam Religioſam ad prædictos exceſſus vitandos magis teneri. Etenim ſi illa voto ſolemni temporalia cuncta à ſe abdicat: ſi etiam licita alijs, ſibi ipſa interdicit: quam fædum, & indecorum erit eidem perſonæ Religioſæ poſt talem renunciationē res has caducas deperire, illas exceſsiue, & impatienter amare? perſeuera igitur in eo quod hodie facis & promittis patronam Deiparam, & Abbatiſſam tuam imitando, ac deprecando, vt & perſeuerantiam tibi, & nobis omnibus gratiam & gloriam impetret. Amen.



SERMO XII.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS ET PROFESSIONE MONIALIS.

Intrauit Jeſus in quoddam Caſtellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum ſuam.

Luc. 10. **Luc. c. 10.**

PRima expoſitio litteralis præſentis loci eſt, quod Christus Dominus intrauit in quoddam oppidulum, ſeu vicum, cui nomen erat, Bethania, ſitum extra vrbē Ieroſolymam ad radicē montis Oliueti ex parte Orientali, quod oppi- Bethania dicitur domus obedietiæ ſeu afflictionis.

oppidulum erat patria Marthæ, & Mariæ: ibique in domo Marthæ, seu apud vtramque sororem fuit hospitatus. Pro maiori vero litteræ, & hodierni intenti explicatione nota primo ex indice nominum Hebraicorum Bibliæ Vaticanæ, quod Bethania significat domum obedientiæ, seu afflictionis. Secundo noto in hac domo duas has sorores varijs ac diuersis ministerijs Deo solitas deseruire, altera contemplationem, altera opera misericordiæ sectantibus. Præterea Martha semper Deo in puritate, & humilitate seruierat: Maria autem iam à vanitatibus, mundique pompis conuersa, Deo se totam deuouerat, postquam ad Christi Domini pedes quasi professionem emisit. Pensanda enim sunt quædam verba D. Augustini lib. 50. homil. homil. 23. dicentis de gloriosa Magdalena ad pedes Christi hæc verba. *Accessit confessa, vt rediret professa.* Propter hæc sanctarum sororum exercitia Christus libenter hospitabatur apud illas idque non raro.

Castellũ hoc comparatur monasterio.

Hinc iam liceat oppidulum hoc seu domum separatam à tumultu vrbis, monasterio comparare cui hodie noua professa adscribitur. Monasterium enim ab vrbis, populique tumultu secernitur. Monasterium sicut altera Bethania, domus est proprie obedientiæ; & afflictionis, seu pœnitentiæ. In monasterio non duæ sed multæ sorores à sæculi vanitatibus conuersæ, ad diuinum obsequium translatæ diuersis, ac varijs ministerijs quotidie Deo deseruiunt: aliæ contemplando, aliæ sanctis, & corporalibus exercitijs se exercendo vt proptera libentissime Christus Dominus apud huiusmodi domos seu monasteria hospitetur, earum quasi obsequijs recreatus pascebatur Christus Dominus in hac domo à Martha, sed multo magis ille pascebat ambas sorores, suauissimo eloquio, saluberrima doctrina & consilijs hoc ipsum videas Christo Domino in monasterijs sacratarum Virginum euenire vt scilicet, & illas pascat, & ab ipsis etiam pascatur & reficiatur. Conuenit illi respectu monasteriorũ Virginum illud de sponso dictũ, Cantic. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Quod explicatius dicit hymnus Virginum de sponso. *Qui pascis inter lilia septus Chorais Virginũ.* Quod enim ibi per verbum pascitur sit intelligendum, sponsum actiue pascere virgines explicant multi doctores ad illum locum, & innuitur prædictis verbis Ecclesiæ citato hymno, non enim dicit: *Qui pasceris inter lilia, sed qui pascis inter lilia.* Pascit namque

Christus Dñs pascit ones suas & pascitur ab eis.

Christus

Ezech.34. Christus Dominus vt verus Pastor oues suas, maxime virgines, iuxta Ezech.34 *In montibus Israel, in riuis, & in cunctis sedibus terræ, in pascuis vberrimis*, doctrina videlicet, sacramentorum & similium. Quæ spiritualium pascuorum abundantia maxime in Religione locum habet. Quod item, verbum pascitur ibidem etiam passiue accipiatur, vt scilicet sponsus vltra quã quod pascat actiue, etiam passiue dicatur pasci, & refici ab ipsis ouibus, ac virginibus, earum obsequijs mire recreatus: patet ex verbo, *Pascitur*, ibi posito: & expresse sic accipi posse exponit Bernard. ser.71. super Cantica Et noster Titelm. ad citatum cap.2. Cantic dicens: *Per lilia intelligi animas Fidelium quæ in Ecclesia virtutum odore, & gratiarum cãdore, ac pulchritudine exornãtur?* Quod expresius habet Ber. serm. 72. supra Cantica. Sic dicens: *Et fortassis hoc est quod sponsus dicitur pasci inter lilia, candore, & odore virtutum delectari, & familiaritatem habere cum puris animis, pudicisque corporibus.* Diuus item Ambrosius in lib. de institut. virg. cap.15. ait. *Christi lilia sunt specialiter sacræ virgines, quarum est splendida & immaculata virginitas.* Diuus item Ieronymus 1. contra Iouinianum, referens eadem verba sponsæ dicit de Christo Sponso. *Qui pascit inter virginum candidissimos choros.* Ex his omnibus constat quam libenter Christus Dominus in monasterijs sacrarum virginum hospitetur, Marthæ, & Mariæ ministerijs: quantumque ipsarum candore, puritate, castitate, cæterarumque virtutum odore recreetur, pascatur, ac reficiatur. Quod si iuxta citatos Doctores maxime Ambros. & Ieron. ordinariæ, & communes virgines huius quasi refectionis, & recreationis Christo Domino causa sunt. Quid de virgine virginum dicendum erit Beatissima inquam Deipara, cuius puritas, virginitas, cæterarumq. omnium candor, & pulchitudo cæteras omnes virginum virtutes, & virginitates antecedit; Quanta putas alacritate, & lætitia, in illius domo Christum Dominum per annos triginta recreatum, refectum, & hospitatum ab illa vere Christus Dominus vt agnus illius vere pastus, & nutritus est. Et econtra illa etiam ab eodem Christo tanquam ouis à pastore vberrimis pascuis per annos septuaginta duos cæteris omnibus abundantius est sustentata.

Christus D. in monasterijs virginũ libenter pascitur, & iucundatur.

Secunda expositio allegorica horum verborum Lucæ est: Christum Dominum per incarnationem intrasse in mundum: & mulierem quandam Beatissimam Virginem, excepisse illũ in vtero

suo

B. Mariæ vita actiua & contemplatiua quæ?

ſuo virginali, loco anguſto, licet auguſtiſsimo: quæ poſtea eidem Chriſto Domino, per vitæ actiuæ, & contemplatiuæ obſequia, pluſquam Martha & Maria deſeruiuit. De illius enim vita ante partum, dum in templo viuebat, tradit Sabellicus libr. 2. exempl. cap. 4. & 9 ex antiqua traditione, illam à prima luce vſque ad tertiam diei horam contemplationi alijſque rebus ſacris ſolitam vacare: deinde vſque ad meridiem operi alicui incumbere: Reliquam vero diei partem in ſacra lectione, & oratione inſumere. Quod ſi ante partum hanc viuendi rationem in actiua & contemplatiua ſeruauit; eadem viuendi ratio creſcere omnino debuit, & augmentum recipere poſt partum, filij præſentia, doctrina, maioribus auxilijs, maiori occaſione vt per actiuam vitam filio corporaliter deſeruiret: & eius intuitu, ac doctrina, in altiores contemplationes altius efferretur. Hoc vnum tantum de illius contemplatiua refeiam, quod ſcilicet ſcribit Noſter Bernardinus Senenſis ſerm. 61 tom. 1. art. 3. cap. 3. vbi aſſerit B. Virginem etiam cum dormiebat habuiſſe altiſſimam contemplationem, pluſquam aliquis in vigilia vnquam habuerit: verba illius ſunt. *Magiſque in contemplatione Dei exceſsit dormiendo, quam aliquis vigilando ſicut ipſa*, Cantic. 5. *Ego dormio & cor meum vigilat.* Hæc ille. Qua de re hæc pauca ſufficiant: ſolus enim Chriſtus tantæ matris in hoc excellentiam potuit cognoſcere, & tanquam Deus, & tanquam teſtis oculatus vitæ illius, in ipſius domo hoſpitatus. Ego autem hunc ingreſſum Chriſti Domini in anguſtiam Virginalis vteri volens applicare etiam Monialibus: conſidero verbum Diuinum factum carnem, ſeu Chriſtum Dominum, noſtro loquendi modo, aliquid paſſum eſſe, & ad nimias anguſtias redactum, illa clauſura intra vterum virginalem. Hoc probo ex Cantico Te Deum laudamus, in quo Auguſtinus vel Ambroſius ſic Chriſtum Dominum eſt alloqutus. *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis vterum.* Inſinuat potuiſſe Chriſtum Dominum horrere anguſtias, & clauſuram virginalis vteri: quamuis enim locus ille excellentior eſſet omni loco totius orbis: reſpectu tamen Dei paruus erat. Et præterea illa humanitas CHRISTI DOMINI in inſtanti quo fuit intra virginis vterum formata; habuit ſtatim perfectiſsimum rationis vſum: & præ-

Cantic. 5.

Chriſtus Dñs aliquod paſſus eſt in eo quod intra virginalem vterum clauſus ſit.

& adeo sanctum opus incarnationis perficere, non obstantibus tot ac tantis peccatorum difficultatibus, quæ adeo detestatur Deus, illis omnibus superatis opus intentatum suo tempore perfecit. Hanc ego sanctam, & necessariam doctrinam multis confirmo Sitque primum exemplum in ipso verbo diuino iam incarnato, idest Christo Domino de quo narrat Lucas cap 9. quod appropinquante tempore passionis suæ, cum esset profectu rus Ierusalem in qua erat moriturus: videns in intellectu quot opprobria illic, quot flagella, quot irrisiones, & tandem acerbissimam passurus esset mortẽ, repugnante forte humanitate: affectu illo pro passionis: ipse Christus Dominus vt repugnantiam illam inculpatam vinceret, nec ab itinere desisteret, dicit Euangelista quod; *Faciem suam firmauit vt iret in Ierusalẽ.* Nouus quidem loquendi modus, sed valde appositus ad intentum: quasi diceret suæ humanitati quasi vim intulisse, ne repræsentatæ difficultates ac labores illũ à sancto Redemptionis proposito, & opere retardare valerent. Explicatur hoc Christi Domini factum apposita comparatione ægroti amaram potionem sumpturi. Illic enim vas plenum potione manutenens, sentiens odoratu illius tetrum odorem, oculis nigrum colorem, intellectu, illius diram amaritudinem, reuolutionem, & conuulsionem corporis postea causandam, horret quodammodo, ac refugit ab illius sumptione: intelligens nihilominus necessitatem qua indiget ipsius potionis sumptione, firmat faciem, claudit oculos, sensuum actiones quantum potest reprimit, & illam absorbet. Eodem modo se habuit Christus Dominus citato loco Luc. firmando faciem suam, & docuit nos eodem modo facere in difficultatibus, ac laboribus oblatis propter Deum. Labores namque & tentationes omnes huius vitæ potio amara sunt, qua Deus animas nostras curare, & purificare prætendit: ieiunia, castitas, paupertas, & cæt. omnia potio amara sunt carni, quæ de diuino mandato animæ saluti necessaria sunt: quamuis ergo humanitatis affectus, & imbecillitas horreat & refugiat, firmanda est facies, & ob firmanda est voluntas, seu intentio, ne voluntas ab incæpto sancto proposito desistat, vel retardetur. Habemus eiusdem Rei optimũ exemplum in illo pisce Tobiam iuniorem inuadente Tob. 6. cũ enim adolescens immanem belluam se inuadentem timeret, & ad sanctum Angelũ Raphaelem comitem

Marginal notes: *Luc. 9.* — Labores sunt potio amara. — *Tob. 6.*

comitem recurreret, clamans: *Domine inuadit me, dixit Angelus apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te.* O bone Angele, & hoc est auxilium quo iuuas comitē tuum? immotus manens, iubes illum belluam apprehendere quam timet? Ita sane, & non solum apprehendere iubet, sed exenterare. Edocemur itaque labores, ac tentationes, & difficultates quæ velut immanes belluæ nos apprehendunt, non esse timendas, non esse fugiendas, nec propter illas à sancto opere cessandum; sed per branchiam apprehendendas à nobis, atque exenterandas, vt ex illarum felle curationem, & purgationem, animæ nostræ faciamus. Etiam Poeta Virgilius hoc moraliter & naturaliter intellexit, cum dixit: *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.* 6. Aeneidos, quasi diceret, audendum esse contra mala & labores, neque illis succumbendum. Vt enim optime dixit Seneca epist. 104. *Maius periculū incurrimus si malis terga damus, illaque refugimus, quam si facie ad faciem aggrediamur.* Verba Senecæ sunt hæc. *Periculis magis patemus auersi.* Et nititur Seneca, vt videtur, optima comparatione. Quemadmodū enim si duo homines pugnaturi cōgrediātur, & alter eorū terga vertat inimico, vel potius faciem auertat, ansam

Labores debemus brāchijs apprehendere & exenterare sicut Tobias piscē.

dat inimico, vt insequens tergū inuadat, & perimat: quod forte non faceret si facie ad faciem resisteret. Eodem modo, qui cum laboribus, ac difficultatibus cō-grediens terga vertit, ac refugit, magis periculo illi patet, quatenus scilicet aut à tentatione vincitur; aut meriti occasionem perdit, & ad futuras pugnas ignauus, ac pauidus redditur. Confirmatur hoc tandem altero dicto eiusdem Senecæ epist. 103. dicentis, labores huius vitæ, malaque præsentia, difficilia quidem esse, non quia in se difficilia sint: sed quia nos debiles contra illa nō audemus, nec insurgimus. Verba Philosophi sunt hæc: *Non quia difficilia sunt, non audemus, sed quia non audemus difficilia sunt.*

Tota hæc doctrina imprimis nouæ professæ necessaria est. Hodie namque laboriosam vitam monasticam ingreditur. Hodie ipsamet iuxta Euangelicum cō-silium, debilibus suis, ac fæmineis humeris crucem Christi, seu suam propriam super imponit, iuxta illud Christi Domini Matt. 16. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsū, & tollat crucē suā & sequatur me.* Hodie ex tuo libero arbitrio Christū sequi proponis, & crucē post illū portare decernis. Hodie sicut Christus Dominus hic dicitur filius Abra-

Matt. 16.

ham: ſic etiam te facis ſimilem filio Abraham, nempe Iſaac. Cũ enim profitens vota Religioſa, ſe viderit coram ſuperiori genibus flexis, & manibus traditis in manus Prælati, & inter prælati manus concuſis: conſideret ſe Iſaac Geneſ. 22 coram patre Abraham manibus ac pedibus ligatum, & ad holocauſtum paratum. Talis enim redditur profitens coram prælato, manibus ſcilicet ac pedibus ligatus manet, vt non liceat illi vel operari vel ambulare, contra voluntatem prælati ſui, & hoc ſonant prædicta verba, *abneget ſe, & tollat crucem ſuam*. Quem locum Geneſ. de Iſaac explicans Gaet. ad citatum cap, ponderat imprimis ſtupendam obedientiam, & manſuetudinem Iſaac iuuenis, non reſiſtentis patri ſeni, quem poſſet facile ſuperare, & proinde ipſe etiam libentiſsime morti conſentiebat, ſciens à Deo eſſe præceptam. Secundo conſiderat Gaet. non fuiſſe ligatum Iſaac, eo quod timeret pater ne fugeret, qui voluntarie patiebatur: ſed ligatũ eſſe, ne naturales, & inuoluntarij motus debitum ac decentem ſitum victimæ perturbarent; ne appareret tantilla inobedientia ſacrificij. Ecce qualiter hodie cum Chriſto diceris filia Abraham: voluntarie te ligari pateris: imo & tu te ipſam ligas. Momento ligamen hoc adeo rigidum eſſe, vt ſi fieri poſsit, nec naturales motus & inuoluntarij in te reperiantur contra promiſſam obedientiam, ſicut enim alter Iſaac in holocauſto Deo conſecraris. Hæc eſt crux quam hodie tibi imponis: hæc eſt vita laborioſa contra quam cum Chriſto Domino debes obfirmare faciem, obfirmare voluntatem, ne ob illius difficultates à propoſito, ſeu promiſſis, deterreatis. Hos labores, & agones, horrere non debes, ſed cum Tobia iuniore per branchiam apprehendere, & exenterare, ac Deo offerre. In tuum fauorem maxime facit, quod ſi crux eſt vita quam aſſumis, crux eſt quam cum Chriſto, & poſt Chriſtum, & propter Chriſtum portas, quæ omnia ſufficientia ſunt, vt crucis mærorem liniant, illamque ſuauiſsimam reddant. Sufficiat vnicum huius rei exẽplũ illius ſanctiſsimæ matris Claræ: de qua ſcribitur in reſpõſorio diei feſti illius: quod Nouitias ſpeciali cura docebat, Chriſtum crucifixũ plangere, quod & ipſa faciebat frequẽter. Et additur. Crux ei digno pondere, maiores dat delicias quo maior dolor angit. Et re vera ita eſt, quod qui labores propter Deum libenter ſuſcipiunt, quo magis labores affligunt

Gen. 22.

Obedientia mirabilis Iſaac.

affligunt, eo maiorem ipsi diuinam consolationem in anima sentiunt.

Christus Dominus non descẽdit à Iacob per Rachelem pulchram sed per Liam, & cur?

Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Ex hoc loco clare colligitur Christum Dominum à Iacob non descendere per Rachelem illius dilectam vxorem, sed per Liam. Constat enim Iudam filium Iacob genitum fuisse ab vxore Lia, Genes. 29. Christus vero Dominus cum descendat à Iuda, est filius non Rachelis pulchræ, & dilectæ, sed Liæ. Hoc autem libuit aduertere, quia inuenio duo capita in iure Canonico in quibus doctissimus Papa Innocen. III. peculiari consideratione aduertit, & cõmendat Christũ Dominum non esse filiũ pulchræ Rachelis sed Liæ. Hæc capita sunt, nisi cum pridem de Renunciat. & cap. licet quibusdam, de Regularibus. Affert porro Summ. Pontifex prædictam considerationẽ, vt doceat: non licere alicui Episcopo, quando ipse suæ Ecclesiæ vtilis est, relicto Episcopatu Monachum fieri suæ particularis consolationis gratia.

Episcopus vtilis Ecclesiæ nõ potest fieri Religiosus.

Ad obiectionem vero, qua posset quis Sũmo Pontifici dicere; vitam contemplatiuam Religiosi, esse meliorem, & proinde præferendam actiuæ vitæ Episcopali, vtpote occupatæ in corrigendis alienis peccatis, alendis pauperibus, prædicationibus, & similibus actionibus corporalibus: Respondet Papa, quod in hoc casu cõmunis vtilitas, speciali vtilitati præfertur, & in hoc casu recte præponitur solicitudo contemplationi. Et ad hoc intentũ allegat Christũ Dominum non à Rachele, contemplatiuã significante, descẽdere, sed à Lia significante actiuam vitam. *Quanquã enim, ait Papa, contemplatiua sit securior, ista tamen, (actiua) est magis fructifera, cum in fæcunditate sobolis lippitudo Liæ Rachelis pulchritudini sit prælata.* Sic ille. Ad idem intentum citat Sum. Pontifex ibidem, *Non dixisse Diuum Lucam cap. 10. Mariam Magdalenam contemplatiuam excepisse Christum Dominum in domum suam, sed Martham sororem actiuam illum hospitio recepisse.* Multam nobis siluam aperit prædictus Summus Pontifex in sua consideratione huius Euangelij, ad nostrum hodiernum intentum, & quidẽ licet ibi Papa dicat vitam actiuam Liæ esse magis fructiferam contemplatiua, & ẽ contra contemplatiuam Rachelis esse, securiorem, neutram alteri absolute videtur prætulisse, sed solũ respectiue vtranque ad inuicẽ cõparauit Si enim quæratur qui modus viuẽdi absolute melior sit? Dicendũ est cũ D. Tho. 3 p. q. 40. art. 1. ad 2. & 2. 2. q. 188. art. 6. non

Luc. 10.

solam contemplatiuam vitã esse meliorem: nec è contra solã actiuam: sed mistam vitam ex vtraque contemplatiua, & actiua simul, esse meliorẽ viuendi modũ, & magis meritoriũ: quẽ habuit Christus Dominus, *qui erat pernoctans & contẽplans in oratione Dei, & interdiu recurrebat ad prædicandum*, docendum, & ad opera misericordiæ exhibenda populo indigenti.

Hoc posito considerationi illi Sum. Põtificis inhærens, dico primo ad consolationẽ sæculariũ non debere illos tristari, nec diffidere de sua actiua vita: sciẽtes Christum Dominũ nõ de Rachele contemplatiua, sed de Lia actiua descendere. Sciẽtes insuper iuxta Canonicã declarationẽ, actiuam vitam magis fructiferam esse vita contemplatiua. Etenim si coniugatus vir vel quiuis alius actiue viuens licitis & sanctis negotijs propter Deum occupetur, quis non videat perennem, & continuũ meritorũ cumulum inde posse sibi acquirere? Quis neget ipsum Sũmum Pontificem, qui tot negotiorum pondere pressus, nocte ac die nequit respirare, neque forte per quadrantem contemplationi vacare; multo magis mereri quam mereatur Religiosus tota nocte vacans contemplationi? præterea quis neget vxoratum virum in gratia existentem, & omnes suas actiones Deo offerentem, si nocte & die occupetur in negotijs licitis pro alenda familia, alijsque licitis & honestis actionibus propter Deum susceptis, operibus scilicet misericordiæ; magnam sibi inde coronam gloriæ comparare? Quot vidimus viros coniugatos, & Episcopos actiuæ vitæ præcipue deditos, in virtute, & sanctitate multos Religiosos contemplatiuos superasse? Accedit ratio ducta ab experientia: nam contemplationi diu vacare non possumus; cum enim hæc abstractionem animæ â sensibus, requirat, quod nobis difficile est, laboriosa omnino censetur contemplatio, ac proinde intermittenda: quod adeo verum est, vt tres Apostoli sanctissimi in horto nõ potuerint vna hora cũ Christo Domino vigilare, & cõtemplari, Matth. 26. ac proinde illius meritũ nõ potest esse adeo continuũ, contẽplatiuæ videlicet. Quod secus accidit in actiua, quæ scilicet actionum varietate suauior est: & præterea nõ requirit illã abstractionẽ animæ à corpore Hæc autẽ semper dicta esse volo, vt ita se habere intelligantur cæteris omnibus paribus concurrentibus.

Vita actiua valde fructifera: & plus quam cõtẽplatiua.

Matt. 26.

Habemus secũdo ex dicta Papali declarationẽ, vitam Religiosam

giosam in Rachele signatam, esse multo securiorem vita Episcopali: quæ magna laus est Religiosæ vitæ, cum enim Episcopale officium sit officium Magistri fidei, doctorisue animarum, iuxta illud Pauli 1. ad Thimot. 2. *Positus sum ego Prædicator & Apostolus, Doctor gentium in fide, &cat.* Supponit onus Episcopale virũ perfectissimum, qui in vitæ sanctitate, morumque præstantia, doctor sit, & Magister, potens alios erudire. Cum hoc tamen stat quod Religiosus sit securior, & à vitæ spiritualis periculis magis liber. Comprobat hãc veritatem infinita multitudo Religiosorum hominum, qui oblatos à Sede Apostolica Episcopatus cõstantissime recusarunt, & multorũ iam Episcoporũ qui de licentia Papæ renunciatis Episcopalibus oneribus ad Religiosæ quietis & tranquilitatis portũ confugerunt quos omnes longũ esset numerare. Ad hanc hodie securitatem & tranquilitatem cõfugis relicto sæculari strepitu, o noua professa. *Ad foramina petræ, & ad cauernam maceriæ quietissimã quasi columba conuolas cum sponsa illa diuina*, Cantic. 2.

1. Tim. 2.

Cantic. 2.

Cum autem supra dixerimus ex D. Tho. (in quo ab omnibus recipitur) vitã mistam ex actiua, & contemplatiua esse præstantiorem vtraque diuisim accepta, si constiterit aliquam Religionẽ esse simul actiuam, & contemplatiuam (quod multum iam hodie viget in multis Religionibus) vide qualem coronam gloriæ sibi texet Religiosus simul actiuus, & contemplatiuus? hæc nempe fuit viuendi ratio quam Christus Dominus in hoc sæculo tenuit, cuius vitã cæteris omnibus cõstat fuisse excellentiorem. Ad hãc multi in Religione conãtur vitã suã adaptare, qui modo orando modo contemplando, modo legendo, scribendo prædicãdo, cæterisque sanctis corporalibus exercitijs promiscue se exercent, vt contemplatiuã cũ actiua permisceant. Hanc magnã occasionẽ merendi in Religiosis considerans Bern. serm 4 super Psal. qui habitat scripsit de suis hoc modo. *Scire vultis quantum in hac absconsione lucramur? credo nullum hic esse, qui, si quartam partem eorũ quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur vt sanctus, reputaretur vt Angelus, nunc autem quotidie tanquam negligens arguitur, &cat.* Argumentatur enim optime D. Bernard. hoc modo: si sæcularis aliquis in sæculo faceret quartam partem illorum operum quæ fiunt in Religione communiter, ieiuniorum scilicet, orationum, & aliorum perpetuorum exercitiorum quæ sunt ordinaria in

Vita mista ex contemplatiua & actiua est perfectior.

Religione: nonne talis sæcularis reputaretur sanctus? cur ergo talis non reputetur eadem acti tans cunctis diebus vitæ suæ?

B. Maria symbolũ vitæ actiuæ & contemplatiuæ simul.

Iam vero ad fontem accedẽtes, si velimus (excepto Christo Domino) exemplum perfectissimæ vitæ inspicere, in qua & contemplatiua, & actiua simul concurrerint ob oculos proponamus nascentem hodie mundo Deiparam, quæ vtriusque vitæ fuit symbolum admirabile. Imprimis enim illa fuit coniugata, & nupta: ad matrimoniũ vero pertinet vita actiua. Et quod fuerit vere nupta habemus in hoc Euangelio, illis verbis, *Virum Mariæ*. Fuit enim Ioseph vir eius vero matrimonio copulatus salua inter vtrunque integra virginitate. Vitam autem contemplatiuam perfectius illam coluisse, nullus est Doctorum qui neget, sed omnes vno ore proclamant. Lege Doctores ad Euangelium Assumptionis eiusdem Deiparæ, eidem applicantes officium vtriusque sororis Marthæ & Mariæ. Vide Suarez tom 2. de Incarnat. disput. 18. section. 2. conclus 3 quibus ego addo maioris claritatis gratia, eandem Deiparam fuisse nuptam, vt modo ostendimus: & præterea fuisse Monialem. Abbatissam virginum illam vocat Viguerius in suis instit. c. 20. §. 9. Nec mirum cum illa iuxta omnes Doctores absque controuersia prima fuerit quæ voto speciali virginitatẽ suã Domino consecrauit. Si vero inquiras quando Beatissima Deipara hoc votum virginitatis emiserit, & quasi Monialis effecta sit? Dicam audacter intra vterum matris Annæ adhuc existentem hoc se voto astrinxisse: & ab vtero matris Monialem effectam esse. Hoc deduco primo ex eo quod Doctores dicunt communiter, illam intra vterum matris habuisse vsum rationis permanenter de quo late Suarez tom. 2. incarnation. disput 3. sect. 7. Si enim hanc prærogatiuam aliqui Doctores concedunt Baptistæ, multo maiori iure concedenda est Matri Dei. Secundo id ipsum deduco ex eo quod Doctores consequenter docent: Beatissimam Deiparam hoc votum emisisse à principio sui vsus rationis. vt insinuant Doctores cum Magistro in 4. distinc 30. & Diuus Thom. 3. part. quæst. 28. artic 4. Si ergo illa à principio vsus rationis vouit virginitatem: & in vtero matris habuit vsum rationis permanenter: recte infertur in vtero matris virginitatem vouisse, & ibidem, vt Viguerius ait, virginum Abbatissam effectam. Consonant his scripta à nostro Diuo Bernardino tom.

B. Maria prima virginitatem vouit dũ adhuc esset in vtero matris Annæ, & fuit Abbatissa prima monialium. i. author.

no tom 2. serm. 51. articulo 1. cap 2. vbi sic ait. Secundū quosdam Virgo in vtero matris fuit in subliniori contemplationis statu quam vnquam fuerit aliqua creatura humana in perfecta ætate, &cæt. Idem affirmat tomo 1. serm. 61. Vnde constat quanta cum ratione Ecclesia, eiusdem Deiparæ hodiernam celebret natiuitatem, vt sanctam: si enim illa intra matris vterum adeo sancta fuit, mundo hodie nascens, vere suam Natiuitatē mundo colendam proponit & commendat.

Rachel cur non fuerit mater Christi in hac linea.

Ego adhuc aliam causam cōsidero, ob quam forte credi potest Christum Dominum non à Rachele per Ioseph, sed alia per Iudam descendere: quia scilicet, non videtur Deus approbare excessus amoris factos ob aliquam rem huius sæculi. (Omissis enim misterijs, inclusis in amore Iacob erga Rachelem) ijs non obstantibus possumus aduertere alia via, Iacob in Rachele diligenda quasi excessisse, quod Latini vocant apud Calepinum, deperire aliquam rem: id est impatienter amare, & cum excessu. In nostro idiomate Lusitano dicetur, *fazer estremos por alguem*. Deperijt ergo Iacob Rachelem, & quasi excessus ob illā fecit quatuordecim annis quasi serui vitam egit pro illa, immēsos labores perferendo. Iniuriā passus Liam pro illa primo inuitus accepit: dotē pro illa nō recepit: illam semper loco excellentiori inter vxores coluit, cum illa esset minor ætate quā Lia, & sic de alijs quæ possunt colligi ex libro Genesis. Ac proinde videtur Christus Dominus illā pro parēte in hac linea omittens, docere nos, non sibi esse placitos excessus amoris factos pro vlla re mūdi, siue vxor illa sit, siue quæcūque res ad præsentis vitæ vsum necessaria. Hos enim amoris excessus, seu extrema solet Deus punire, vel ex eo quod occasione illius rei nimis dilectæ multa mala, & afflictiones incurrimus, vel ex eo quod mutatis rebus postea eandem rem odio habemus. Exemplum habemus in eodem Iacob, hic sæpissime postea propter eandē Rachelē cruciatus est mille angoribus: vidit illam sterilem, ab eadem importunis precibus exorabatur, vt daret illi filios. Hæc eadem furto idolorum patris Laban in causa fuit, vt Laban ipsum Iacob insequeretur, cum ipsius Iacob perturbatione. Denique ipsam Rachelem vidit in itinere immatura ætate partus dolore morientem. Idem Iacob qui Iosepho filio præ alijs dilecto tunicam polymitam fecit insignū amoris particularis: postea cruciatus est

Excessus amoris pro re humana nō approbātur sed puniuntur a Deo.

Tunica polymita facta à Iacob Iosepho, illū Iacobum postea afflixit.

videns eandem tunicam intinctam sanguine hædi, putans filium eundem mortuum, & sic in eadē tunica qua filium Ioseph cæteris prætulit, quodammodo punitus est. Quod enim eadem tunica polymita postea patri allata sit intincta hædi sanguine, refert Iosephus 1. lib. antiq. Quod item puniamur in ijs excesiue dilectis, permittente Deo, eadē postea odiendo ipsam experiētia quotidiana cōprobat. videmus enim passim homines odisse fæminas, amicos, & res alias quas excesiue, & impatienter dilexerunt. Vide 2. Reg 13. Amnon qui ante amore sororis Thamar exardebat, postea illā plus odientem quā antea amantē. Notisimus est etiam furor Medeæ contra Iasonē quē ipsa antea deperierat vt alia omittamus Hoc ipsū videtur colligi ex lib. Sapien. c. 11. vbi postquam dixit Spiritus sanctus Deū puniuisse Ægyptios infestissima animalia illis immittendo ranas, scilicet, culices, syniphes & similia: subdit, vt scirent quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, alluditur enim ibi ad idola animaliū quæ colebāt Aegyptij, & tanquā Deos venerabātur crocodillum, bouē apim, oues, & similia, per hæc igitur animalia, quæ colitis, vt Deū, per eadem torquet vos Deus. Eodē modo, dilexisti fæminā vt Deū, amicū, &c. plusquā Deum? permittit Deus, vt vel propter illos torquearis; vel etiā iusto iudicio permittit, vt eadem postea odio habeas. Sunt enim ipsæmet res excesiue dilectæ sepulchra concupiscentiæ nostræ, ad eū modū quo filij Israel Num. 11. dicuntur sepulti & mortui in eo loco quo carnes impatienter desiderarunt. Tantalus apud inferos iuxta Poetas cruciabatur, vt præsentem aquam, & poma gustare non posset, sed illo gustare tentante fugerent: in quo significare voluerunt pænam auari, qui in hoc mundo congregauit aurum vestes &c. nec sibi neque alijs applicabat: & proinde in eo dixerunt auarū puniri in inferno, in quo hic per excesiuū amorem peccauerat. Et consonat pæna illa illata diuiti epulone Luc. 16. qui linguā excesiue recreans in hac vita delicatis, & excesiuis conuiuijs: & postea in inferno de sola linguæ afflictione querebatur. Denique hoc est quod Diuus Augustinus dixit illa diuina sententia 1. confess. cap. 12. *Iussisti Domine, & sic est vt pæna sua sibi sit omnis inordinatus animus.* Iubet nāque Deus, & iusto iudicio decernit, vt etiam in hac vita patiantur homines pænam sui inordinati, & excesiui amoris. Hæc omnia dixi propter excesiuum amorem

Sap. 11. Odio habentur aliquā-do quæ o im nimis diliximus.

Num. 11.

Luc. 16.

Patriarchæ

Patriarchæ Iacob in Rachelem, vt fortaſſe & propterea ex Rachele Meſsiam nepotem non habuerit ſed ex Lia.


Docebo porro vos omnes qualem fæminam exceſsiue, nimis,& cum exceſſu (ſi fas eſt dicere) poſsitis diligere abſque periculo. Hæc nempe eſt Beatiſsima Deipara hodie nata: hanc poſſumus ac debemus deperire, in huius amore & obſequio exceſſus facere, ſed nunquam excedemus Quid enim non exceſſus amoris ſancti pro illa faciamus? Cum ipſe Deus modo ſuo exceſſus amoris pro illa ſecerit. Ex vſu & praxi Eccleſiæ, omnia contenta in libro Canticorum Salomonis applicantur etiam Deiparæ matri, tanquã illi à Deo, ſeu Chriſto ſponſo dicta. Quis vero non videat in illis Canticis, omnia fere eſſe exceſſus amoris diuini erga illam: huiuſmodi fuit ſponſum vulneratum in vno crine colli illius: huiuſmodi pro vigilia ad portas ſponſæ irroratum habuiſſe crinem: Talia ſunt amatoria verba, & laudatiua eiuſdem ſponſæ modis exquiſitis, vt omnia fere ſancti exceſſus ſigna videantur. Hinc factũ fuit vt ipſemet Deus in eiſdem Canticis innuat ſe iam deſiderare diem natiuitatis hodiernæ. Illa enim verba Cantic. 2. ſponſæ dicta. Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea & veni, bis repetita in eod. capite. Explicat Rupertus ad illum locum, quaſi ſint deſiderantis Dei, ac per optantis iam ortum Deiparæ, vt impleret opus Redemptionis. Vt proinde ibi forte dictum ſit. Surge, quia hodie Deipara naſcitur quaſi aurora conſurgens, verba Ruperti ſunt. *Verba hæc ſic accipite quaſi deſiderantis, & optantis iam adeſſe materiam tantæ ſalutis. Scilicet Virginem.* Hæc ille. Nec ſolus Deus hoc deſiderabat ardenter, ſed & cuncta ſæcula mundique ætates hanc fælicitatem natiuitatis Deiparæ deſiderãtes, quaſi certabant inter ſe vtri nam deberet obtingere. Teſtis huius doctrinæ eſt Damaſcenus oratione de Virginis natiuitate ſic dicens. *Certabant ſæcula quodnam ortu Virginis gloriaretur. Verum eorum contentionem præfinitum Dei conſilium ſuperauit, poſtremaq; ſæcula prima facta ſunt, &c.* Nos ergo qui dignati ſumus tanta fælicitate, in tantæ Virginis laudibus & obſequio ſecuros exceſſus faciamus. Si autem hoc omnes facere tenemur, multo magis ad id noua profeſſa tenetur cũ cæteris Monialibus, ſiquidem iuxta prædicta ex Viguerio, immaculata Deipara virginum Abbatiſſa, & patrona particularis eſt.

Cant. 2.

Natiuitatem B. M. Deus deſiderabat.

Ne

Ne autem vltima nostra doctrina, de excessu amoris, excessiuaque dilectione alicuius Rei vitanda, Moniali deesse videatur, breuiter applico dicens, personam Religiosam ad prædictos excessus vitandos magis teneri. Etenim si illa voto solemni temporalia cuncta à se abdicat: si etiam licita alijs, sibi ipsa interdicit: quam fædum, & indecorum erit eidem personæ Religiosæ post talem renunciationē res has caducas deperire, illas excesſiue, & impatienter amare? perseuera igitur in eo quod hodie facis & promittis patronam Deiparam, & Abbatissam tuam imitando, ac deprecando, vt & perseuerantiam tibi, & nobis omnibus gratiam & gloriam impetret, Amen.



SERMO XII.

IN ASSVMPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS ET PROFESSIONE MONIALIS.

Intrauit Iesus in quoddam Castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.

Luc. 10. Luc. c. 10.

PRima expositio litteralis præsentis loci est, quod Christus Dominus intrauit in quoddam oppidulum, seu vicum, cui nomen erat, Bethania, situm extra vrbē Ierosolymam ad radicē montis Oliueti ex parte Orientali, quod oppi- Bethania dicitur domus obediētiæ seu afflictionis.

oppidulum erat patria Marthæ, & Mariæ: ibique in domo Marthæ, seu apud vtramque sororem fuit hospitatus. Pro maiori vero litteræ, & hodierni intenti explicatione nota primo ex indice nominum Hebraicorum Bibliæ Vaticanæ, quod Bethania significat domum obedientiæ, seu afflictionis. Secundo noto in hac domo duas has sorores varijs ac diuersis ministerijs Deo solitas deseruire, altera contemplationem, altera opera misericordiæ sectantibus. Præterea Martha semper Deo in puritate, & humilitate seruierat: Maria autem iam à vanitatibus, mundique pompis conuersa, Deo se totam deuouerat, postquam ad Christi Domini pedes quasi professionem emisit. Pensanda enim sunt quædam verba D. Augustini lib. 50. homil. homil. 23. dicentis de gloriosa Magdalena ad pedes Christi hæc verba. *Accessit confessa, vt rediret professa.* Propter hæc sanctarum sororum exercitia Christus libenter hospitabatur apud illas idque non raro.

Castellũ hoc comparatur monasterio.

Hinc iam liceat oppidulum hoc seu domum separatam à tumultu vrbis, monasterio comparare cui hodie noua professa adscribitur. Monasterium enim ab vrbis, populique tumultu secernitur. Monasterium sicut altera Bethania, domus est propriè obedientiæ, & afflictionis, seu pænitentiæ. In monasterio non duæ sed multæ sorores à sæculi vanitatibus conuersæ, ad diuinum obsequium translatæ diuersis, ac varijs ministerijs quotidie Deo deseruiunt: aliæ contemplando, aliæ sanctis, & corporalibus exercitijs se exercendo vt propterea libentissime Christus Dominus apud huiusmodi domos seu monasteria hospitetur, earum quasi obsequijs recreatus pascebatur Christus Dominus in hac domo à Martha, sed multo magis ille pascebat ambas sorores, suauissimo eloquio, saluberrima doctrina & consilijs hoc ipsum videas Christo Domino in monasterijs sacratum Virginum euenire vt scilicet, & illas pascat, & ab ipsis etiam pascatur & reficiatur. Conuenit illi respectu monasteriorũ Virginum illud de sponso dictũ, Cantic. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* Quod explicatius dicit hymnus Virginum de sponso. *Qui pascis inter lilia septus Chorais Virginũ.* Quod enim ibi per verbum pascitur sit intelligendum, sponsum actiue pascere virgines explicant multi doctores ad illum locum, & innuitur prædictis verbis Ecclesiæ citato hymno, non enim dicit: *Qui pasceris inter lilia, sed qui pascis inter lilia.* Pascit namque

Christus Dñs pascit ones suas & pascitur ab eis.

Christus

Christus Dominus vt verus Pastor oues suas, maxime virgines, iuxta Ezech.34 *In montibus Israel, in riuis, & in cunctis sedibus terræ, in pascuis vberrimis*, doctrina videlicet, sacramentorum & similium. Quæ spiritualium pascuorum abundantia maxime in Religione locum habet. Quod item, verbum pascitur ibidem etiam passiue accipiatur, vt scilicet sponsus vltra quã quod pascat actiue, etiam passiue dicatur pasci, & refici ab ipsis ouibus, ac virginibus, earum obsequijs mire recreatus: patet ex verbo, *Pascitur*, ibi posito: & expresse sic accipi posse exponit Bernard. ser.71. super Cantica. Et noster Titelm. ad citatum cap.2. Cantic dicens: *Per lilia intelligi animas Fidelium quæ in Ecclesia virtutum odore, & gratiarum cãdore, ac pulchritudine exornãtur?* Quod expresius habet Ber. serm. 72. supra Cantica. Sic dicens: *Et fortasis hoc est quod sponsus dicitur pasci inter lilia, candore, & odore virtutum delectari, & familiaritatem habere cum puris animis, pudicisque corporibus.* Diuus item Ambrosius in lib. de institut. virg. cap.15. ait. *Christi lilia sunt specialiter sacræ virgines, quarum est splendida & immaculata virginitas.* Diuus item Ieronymus 1. contra Iouinianum, referens eadem verba sponsæ dicit de Christo Sponso. *Qui pascit inter virginum candidisimos choros.* Ex his omnibus constat quam libenter Christus Dominus in monasterijs sacrarum virginum hospitetur, Marthæ, & Mariæ ministerijs: quantumque ipsarum candore, puritate, castitate, cæterarumque virtutum odore recreetur, pascatur, ac reficiatur. Quod si iuxta citatos Doctores maxime Ambros. & Ieron. ordinariæ, & communes virgines huius quasi refectionis, & recreationis Christo Domino causa sunt. Quid de virgine virginum dicendum erit Beatisima inquam Deipara, cuius puritas, virginitas, cæterarumq. omnium candor, & pulchitudo cæteras omnes virginum virtutes, & virginitates antecedit; Quanta putas alacritate, & lætitia, in illius domo Christum Dominum per annos triginta recreatum, refectum, & hospitatum ab illa vere Christus Dominus vt agnus illius vere pastus, & nutritus est. Et econtra illa etiam ab eodem Christo tanquam ouis à pastore vberrimis pascuis per annos septuaginta duos cæteris omnibus abundantius est sustentata.

Ezech.34.

Christus D. in monasterijs virginũ libenter pascitur, & iucundatur.

Secunda expositio allegorica horum verborum Lucæ est: Christum Dominum per incarnationem intrasse in mundum: & mulierem quandam Beatisimam Virginem, excepisse illũ in vtero

suo

ſuo virginali, loco anguſto, licet auguſtiſsimo: quæ poſtea eidem Chriſto Domino, per vitæ actiuæ, & contemplatiuæ obſequia, pluſquam Martha & Maria deſeruiuit. De illius enim vita ante partum, dum in templo viuebat, tradit Sabellicus libr. 2. exempl. cap. 4. & 9 ex antiqua traditione, illam à prima luce vſque ad tertiam diei horam contemplationi alijſque rebus ſacris ſolitam vacare: deinde vſque ad meridiem operi alicui incumbere: Reliquam vero diei partem in ſacra lectione, & oratione inſumere. Quod ſi ante partum hanc viuendi rationem in actiua & contemplatiua ſeruauit: eadem viuendi ratio creſcere omnino debuit, & augmentum recipere poſt partum, filij præſentia, doctrina, maioribus auxilijs, maiori occaſione vt per actiuam vitam filio corporaliter deſeruiret: & eius intuitu, ac doctrina, in altiores contemplationes altius efferretur. Hoc vnum tantum de illius contemplatiua refe[ra]m, quod ſcilicet ſcribit Noſter Bernardinus Senenſis ſerm. 61 tom. 1. art. 3. cap. 3. vbi aſſerit B. Virginem etiam cum dormiebat habuiſſe altiſſimam contemplationem, pluſquam aliquis in vigilia vnquam habuerit: verba illius ſunt.

B. Mariæ vita actiua & contemplatiua quæ?

Magiſque in contemplatione Dei exceſsit dormiendo, quam aliquis vigilando ſicut ipſa, Cantic. 5. *Ego dormio & cor meum vigilat.* Hæc ille. Qua de re hæc pauca ſufficiant: ſolus enim Chriſtus tantæ matris in hoc excellentiam potuit cognoſcere, & tanquam Deus, & tanquam teſtis oculatus vitæ illius, in ipſius domo hoſpitatus. Ego autem hunc ingreſſum Chriſti Domini in anguſtiam Virginalis vteri volens applicare etiam Monialibus conſidero verbum Diuinum factum carnem, ſeu Chriſtum Dominum, noſtro loquendi modo, aliquid paſſum eſſe, & ad nimias anguſtias redactum, illa clauſura intra vterum virginalem. Hoc probo ex Cantico Te Deum laudamus, in quo Auguſtinus vel Ambroſius ſic Chriſtum Dominum eſt alloquutus. *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti Virginis vterum.* Inſinuat potuiſſe Chriſtum Dominum horrere anguſtias, & clauſuram virginalis vteri: quamuis enim locus ille excellentior eſſet omni loco totius orbis: reſpectu tamen Dei paruus erat. Et præterea illa humanitas CHRISTI DOMINI in inſtanti quo fuit intra virginis vterum formata; habuit ſtatim perfectiſsimum rationis vſum: & præ-

Cantic. 5.

Chriſtus Dñs aliquod paſſus eſt in eo quod intra virginalem vterum clauſus ſit.

& propterea, ſi alij infantes intra matris viſcera rationis vſu carentes, non horrent: potuit horrere Chriſtus Dominus, & quia Deus, & quia ratione perfectiſsima vtebatur in primo conceptionis ſuæ inſtanti. Conſonat, quod canit Eccleſia, in hymno Deiparæ. *Qui pro nobis natus tulit eſſe tuus*: Ideſt Chriſtus Dominus tulit, & aliquid paſſus eſt in hoc quod fuit filius tuus. Et tandem in alio hymno eiuſdem Deiparæ. *Ventris ſub arca clauſus eſt.* Quandiu Deus intra virginalem vterũ fuit, quaſi in arca clauſus eſt. Quæ autem anguſtia erit homini diſcurſiuo nouem menſibus ſub arca manere recluſum? Video te iam dicere. Et quæ anguſtia erit rationali fæminæ per totam vitã ſub clauſura manere concluſam, voto perpetuo clauſuræ? Hæc ideo attuli, vt inde Moniales conſolationem accipiant, ſuæ perpetuæ clauſuræ tædium temperantes conſideratione huius ingreſſus Chriſti Domini in quaſi carcerem, & clauſuram intra vterum virginalem. Et præter huius Chriſti Domini clauſuræ conſiderationem, vnicum exemplum adducam, ſed ſufficientiſsimum illius Magni Ieronimi, qui epiſt. 22. ad Euſtoch. de Cuſtod. virg. narrans de ſuo illo deſerto, aſperaque ſolitudine vbi aliquandiu vixerat, & de

Clauſuræ monialiũ cõſolatio.

cauſa quæ illum ad illam quærendam compulerat ſic inquit. *Ille ego ipſe qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarũ.* Sic ille. Cauſam itaque aſsignans ob quam ad illam aſperam ſolitudine tanquam ad carcerem conuolauerit, fuit metus gehennæ: quia ſcilicet, ſi clauus clauo truditur, aſperior & æterna clauſura gehennæ fecit, vt leniorem eremi clauſuram ſuſtineret. Deinde dicit in illa ſolitudine ſolos ſcorpiones ſocios habuiſſe & feras. Primum tibi inſeruiat, quod ſcilicet ad mitigãdam acerbitatem clauſuræ ad quam tu te ipſam hodie damnas, ſeruiat recordatio illius clauſuræ perpetuæ infernalis, à qua non eſt vnquam regreſſus: ab iſta vero tua eſſe facilis regreſſus ad cælum. Secundum D. Ieronimi dictum de ſocietate Ferarum, & Scorpionum te non tangit: imo oppoſitum conſoletur. Si enim tantus vir propter animæ ſecuritatem paſſus eſt ſe habere ſolas feras, & ſcorpiones ſocios: Tu in hoc meliorem ſortem ſortita fuiſti, quæ in Religionis clauſura, non ſcorpiones & feras, ſed Chriſti Domini ſponſas, & quaſi Angelicam vitam in terris ducentes in ſocias habitura es.

Non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolum miniſtrare. Fere omnes

omnes doctores ad hunc locum exponunt moraliter, Martham his verbis Mariam sororem quasi otiosam taxasse & iudicasse illã otio indulgere. Applico ad sæculares actiuos circa Religiosos fere contemplatiuos. Quando sæculares vident Religiosos à ligonibus, & Mechanicis vacare, iudicant sæpe, & accusant illos, quod otiosi sint, & otio quasi inutiles indulgeant. Et hic est vnus ex clamoribus ordinarijs sæcularium contra Religiosos. Ego autem illis non aliud respõsum dandum censeo, quam illis ipsis præcipi vt per solam dimidiam horam contemplationi, vel orationi attente, ac deuote vacent. Bone Deus, quomodo suadabunt, angustiabuntur, vagabuntur, & per errabunt animo, montes, vrbes, & orbem? exempla eiusdem rei sunt, quot quotidie robustissimi homines, & laboribus corporalibus assueti, habitum Religionis induunt, & paulo post, illa sancta quiete contemplationis, & otio, quod vocant, afflicti, & impatientes, nec tolerare volentes, relicto habitu ante professionem ad vomitum sicut canes, mundumque ignauiter reuertuntur? Non ergo vita Religiosa otiosa est, in sensu quo dicitis: nemo enim otium & delitias fugit, sed potius quærit. Nesciunt ergo hi distinguere otium sanctum, à tumultu seu perturbatione mentis: otium enim possumus appellere vitam Religiosam, si otium nihil aliud sit quam quies spiritus, & otium opponatur tempestatibus sæcularibus. Hoc modo sumpsit otiũ etiam Poeta Gentilis Horatius in quadam Ode sic dicens, de Nauta tempestate iactato, & quietem seu tranquilitatem à Dijs postulante.

Sæculares vocãt Religiosos otiosos.

Otium diuos rogat in patenti
Prensus Ægeo, simul atra nubes
Condidit Lunã, neque certa fulgẽt
Si dera Nautis.

Otiũ significat quietem spiritualẽ.

Ecce quomodo otium significat tranquilitatem & quietem, & opponitur turbini, ac tempestati. Consonat & D. Augustini sententia in serm. 27. de verbis Domini: vbi vitam contemplatiuam vocat otiosam, sed negat esse desidiosam, aliud enim est vitam esse otiosam; idest quietã, ac sæcularibus perturbationibus liberam: aliud vero est esse desidiosam, idest ignauam, & expertem cuiusuis bonæ, & sanctæ operationis: est ergo vita Religiosa otiosa, idest non inquieta curis sæcularibus, sed non est desidiosa, carensue actionibus sanctis, imo multis sanctis operationibus referta. Nunc iam intelligentur verba D. August. qui citato serm. loquens de duabus vitis actiua & contemp'atiua sic

Vita otiosa in bono sensu, diuersa est à vita desidiosa.

sic habet. *Remanserunt ergo in illa domo, quæ susceperat Dominum in duabus fœminis duæ vitæ, ambæ innocentes, ambæ laudabiles: vna laboriosa, altera otiosa: nulla facinorosa, nulla desidiosa. &c.* Ecce quomodo vitam contemplatiuam vocat otiosam, in sensu tamen à nobis explicato. Caueant ergo sæculares in suo malo sensu otiosos, ac desidiosos religiosos vocare: discant, illos sancto illo otio indulgere, quod etiam gentiles subodorati, dicebant debere Philosophum otiari, id est à tumultu populi fugere, ac separari, & ruri in villis degere: nec turbari erga plurima sæcularia, vt mox iã dicimus in sequentibus verbis.

Solicita es, & turbaris erga plurima. Solicitudo est mater inquietudinis: solicitudo autem non est aliud quam cura immodica, & superflua assumpta pro aliqua re: seu desiderium nimium alicuius rei: vbi enim quis aliquid immoderate desiderat, & non obtinet, inquietus manet: quod etiam explicatur illis verbis diui Augustini sæpissime auditis ex suo lib. confess. *Inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Quemadmodum ergo cor humanum, id est, voluntas ad Deum inclinans, Deumque desiderans, inquieta est quandiu non fruitur re desiderata: sic etiam cor humanum desiderans nimis rem aliquam

Solicitudo quid sit.

temporalem, inquietum est donec possideat. Desiderabat ergo Martha multiformiter in illo corporali cibo Christo Domino obsequi, & ideo quandiu omnia desiderata non perficiebat, inquieta erat, & turbata, adeo vt audire meruerit, *Turbaris erga plurima.* Ego hinc elicio hanc considerationem: scilicet, si nimia solicitudo circa corporale obsequium Christo ipsi exhibitum taxatur ab eodem Christo, & perturbatio vocatur: quanto magis ab eodem Christo Domino taxabitur, & damnabitur, nimia solicitudo corporalis in obsequio prestando corpori nostro, mundo, ac diabolo? Hæc nempe est perturbatio, & solicitudo quam Christus Dominus damnare intendit, à qua Religiosi liberi sunt, & qua sæculares vt plurimum, submerguntur. Cuius rei argumentum de sæcularium perturbatione ob desiderium temporalium causata, nullum velimus luculentius audire quam diuum Bernardum suo illo serm. super illa verba Math. 19. Diui Petri cum Christo Domino sic dicentem. *Vidi ego aliquando quinque viros, quid ni phreneticos arbitrer? Primus siquidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam. Secundus sulphureo astans lacui exhalantem teterrimum gustabat haurire vaporem. Tertius fornaci incubans vehementer*

Solicitudo mundana taxatur.

menter accensæ micantes scintillas biantibus excipere faucibus lætabatur. Quartus supra pinnaculum templi residens lenioris auræ spiritum aperto attrahebat ore: & si quo minus influere videretur flabello sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aerem deglutire. Quintus seorsim positus, ridebat cæteros, ipse quoque ridendus, & maxime, proprias exim carnes in credibili quodam studio sugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori. Et paucis interpositis, cum dixerit, illorum omnium causam esse validissimam famem: subdit hæc alia verba, quasi finem ab illo intentum continentia. *Ecce (ait) desiderium terrenorum, quo adepto longius à summo bono detinetur homo, & inuenitur, quo te amplius dederis caducis rebus, & transitorijs appetendis* Sic Diuus Bernardus. Vide optime descripta hominum desideria; quibus desiderant res mundanas, quæ nempe sunt arena sicca scintillæ fornacis, odor sulphireus, & ventus perflans &c. Dumque hæc desiderãt hiantes quam quieté, ac tranquillitatem animi poterunt habere stantes ad littus inquieti maris, supra fornacem, supra lacum tetrum, supra pinnaculum? Hæc est sæcularium multorum inquietudo, & perturbatio, quam Religiosi sancto otio indulgentes, effugiunt, & irrident, & tanquam proximi commiserantur. Hic nempe sunt qui intra Religionis portum ad Christi Domini pedes sedentes sanctæ quieti, & contemplationi indulgent. Hic nempe est quietis locus, & quieta solitudo ad quam sicut columbæ alas assumentes confugiũt iuxta illud Psalmi 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, volabo, & requiescam.* Psal. 54. Eosdem tamen Religiosos ego admonitos velim, cum Diuo Gregorio Papa mox citando; vt hunc quietum locum, Christiue pedes, & hospitium non solum corpore eligant, sed multo magis mente, ac spiritu complectantur: aliàs parum illis proderit quietus locus, si mens per desideria terrena difluens inquieta sit. Asserit hoc, & monet Diuus Gregorius lib. 30 Moral cap. 12. tractans in terminis idem argumẽtum sub his verbis: *Quid autem prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit mentis? Qui enim corpore remotus viuit, & tumultibus conuersationis humanæ desideriorum terrenorum cogitationibus se inserit, non est in solitudine: si vero prematur aliquis corporaliter sæcularibus turbis, & tamen nullos curarum sæcularium tumultus in corde patiatur, non est in vrbe & cæt.* ibidem. Vide quomodo indutus

Quies loci non prodest, si desitquies animi.

tus habitu Religioso sæcularem inquietudinem pati potest. Et è contra quomodo sæculari vestitu amictus poterit Religiosam quietem, & tranquillitatem possidere.

Vnum est necessarium.) Hæc verba si referantur ad ciborum pluralitatem quam forte Martha parabat: indicant, vnum cibi genus sufficere ad vitæ sustentationem, sicut par est credere voluisse Christum Dominum sua frugalitate contentum, & in hoc sensu, verbum, *necessarium*, idem erit quod sufficiens: quasi dicat, vnum vel parum ad corporis sustentationem sufficit. Vbi rursus taxatur nimia solicitudo in quærendis multiplicatis remedijs sustentationis corporalis. Vnũ enim sufficit. Quẽadmodum enim baculus ligneus omnino necessarius est homini claudo, vel seni ac infirmo ad ambulandum; si ille non vnum, sed mille baculos fasciculo ligatos ad ambulandum assumat; non solum in illis leuamen non inueniet, sed pondus & onus sentiet incomportabile. Eodem modo panis & cætera vitæ remedia, necessaria omnino sunt ad corporis sustentationem. Si vero non vnum tantum sed multa inquiras, & solicites, perturbationem, & mentis inquietudinem, imo & corporis molestias senties importunas. Huc pertinet illa diuina Pauli sententia 1. ad Timoth. 6. vbi primum ponit hæc verba, *Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia*, quasi dicat, lucrum maximum nos acquirere quando solo remedio sufficienti contenti sumus: lucramur enim quo ad animam imperturbatam manentem, lucramur, & quoad corpus etiam curis non distractum, & simpliciori victu sanius conseruatum, ac proinde magnus quæstus est sufficientia tantum quærere. Quæ autem sint hæc sufficiencia, subdit statim dicens: *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur his contenti simus.* Vide parcitatem, vide frugalitatem Hoc ad litteram nullibi melius obseruatur quam in Religionibus, vt experientia testatur, neque proinde probationibus opus est: cũ videamus in aliquibus Religionibus vix etiã necessaria procurari. Si autem hæc verba, *vnum est necessarium*, intelligantur de Deo vt sit sensus, Deum, qui vnus est, esse necessarium, quemadmodũ exponũt Doctores cum gloss. interlin. sensus est, vt ait gloss. necessariũ esse vni Deo iugiter inhærere. Ego mitius adhuc verba ista exponens, nec multum à littera, & à prædictis dissonans; credo etiam hic, *necessarium*, pro sufficienti

1. Tim. 6.

Frugalitas est quæstus animi & corporis.

Deus sufficit nobis, sufficienti accipi posse: vt sit sensus Vnus Deus est necessarius, id est, Deus solus sufficit. Quod nõ dissonat ab intento Christi Domini taxantis Martham propter multiplicem ciborum praeparationem. Quasi illi dixerit, *Matt.*4. illud quod Matth. 4. dixerat; *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*: & hoc ipsum sit, vnum est necessarium, id est vnum sufficit, siue Deus sufficit. Quae verba in praedicto sensu nemo potest, ac debet verius dicere quam Religiosa, *Cant.* 2. iuxta illud Cantic. 2. *Dilectus meus mihi & ego illi.* Quae verba inter alias significationes, hanc etiam accommodam habent: videlicet, dilectus meus mihi sufficit, nulla alia re indigeo, ille mihi sufficientissimus est. *Exod* 6. Vocatur Deus Exod. 6. Sadai, quod à Doctoribus exponitur significare idem quod sufficiens, seu ipsa sufficientia, iuxta Epiph. haeres. 40. *Deus solus est, qui est omnia in omnibus.* 1.*Cor.* 15. 1. ad Corinth. 15. *Et qui replet in bonis desiderium nostrum* Psalm. 102. *Psal.*102. Nam secundum quod ait Diuus Prosper lib. 2. de vita contemplatiua cap. 16. *Quid vltra, cui omnia suus conditor fit: aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit?* Sic ille. Et Diuus Augustinus 13. confess. cap. 8. sic ait ad eundem finem: *Omnis mihi copia quae Deus meus non est, egestas est.* Sic Augustinus. Quae omnia Religiosus prae caeteris dicere debet, eo quod ex voto & tẽporalia renunciet, & solum Deũ in portionem suã recipiat. Hoc ipsum beatissima Deipara prae omnibus puris creaturis fecit, magisque solo Deo contenta fuit: quod colligo primo ex eo quia si is qui plus Deũ gustat, & cognoscit, quo magis habet de Deo, plus illi terrena desipiunt, & amara videntur, Deipara plus caeteris in hoc mũdo, & Deum cognouit, & gustauit. Colligo etiam ab effectu, in hunc modum: parentes Deiparae Ioachim, & Anna diuites erant; vt enim testatur Autor libri de Ortu Virginis tom. 4. Ieronymi substantiam suam trifariam diuiserant, primam partem templo, & ministris offerebant, secundam pauperibus & peregrinis; tertiam in alenda familia impendebãt, hoc autẽ nõ faciũt nisi diuites valde homines. Iam vero Deipara, fuit vnica & sola haeres parentum suorũ, vt suppono verissimum. Insuper à Magis adoratoribus, varia, & preciosa dona, maxime auri recepit & his omnibus non obstantibus, in tanta paupertate vixit per totam vitam, vt hodie moriẽs, nihil haberet quod testamẽto legare posset nisi duas tunicas, quas iuxta Nicephorum lib. 2. histor.

B. Maria paucioribus terrenis contenta.

B. Mariae testamentum.

hist. cap. 21. testamento iussit dari duabus viduis. Quod signum euidens est, solum Deum ipsi Virgini sufficisse, & ipsam solo ipso contentam vixisse.

Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea. Hæc verba si ad Magdalenam referantur, significant vitam contemplatiuam ab illa electam esse securiorē, de quo iā diximus in serm. præcedente. Si vero ad Deiparā referantur, quod est intentū hodiernū, voluit mater Ecclesia per signa ostēdere ad quantā gloriā Beatissima parens hodie euecta sit. Si enim gloria in cælo respōdet operibus vitæ: & Beatissima parens in vita actiua & contemplatiua adeo cæteros excelluit: liquido constat quanto cum excessu omnes in gloria debeat superare. Ego rem breuiter, & clarius ex Theologia sic deduco. Hodie multa cū probabilitate Doctores recētes ex patribus aliquibus deducūt, atque defendūt (qualis est Suarez tom. 2 de Incarnat. disput 18 sect. 4 concl. 2) Deiparam matrem solam habuisse maiorem gratiam habitualem, quam habuerint omnes sancti homines, & Angeli simul collectiue sumpti: sic enim decebat fieri attenta pene infinita dignitate Matris Dei: quod ibi sufficienter ostendit Suarez ex Patribus, & ex aliquibus congruentijs. Cum ergo certissimum sit in Theologia, mensuram gloriæ debere nobis conferri iuxta mensuram gratiæ in nobis repertæ: sequitur hodie Deiparæ soli maiorem gloriam collatam esse, quam omnibus hominibus, & Angelis beatis collectiue sumptis conferenda sit. Et per hoc satis explicata manet præsens festiuitas, & quid Ecclesia intelligat, cum eidem canit: *Exaltata est super choros Angelorum*, imo & hominum omnium collectiue sumptorū. Hoc etiā suo modo nouæ professæ applicetur; optimā enim partem elegit: cum vita Religiosa securior sit, eo quod sit contēplatiua: cumque etiam, vt diximus, præcedēte sermone, etiam vita Monastica actiuam participet; & vtraque in Religionibus vigeat in cuius vtriusque complexione stat perfectior viuendi ratio: inde potest colligere quicunque Religiosus, qui vitam monasticam perfecte obseruauerit, quantam sibi gloriæ coronam in Religione possit comparare.

B. Maria ad quantā gloriam assumpta sit?


B. Maria sola habuit maiorē gratiā quā omnes homines & Angeli beati collectiue sumpti.

In laudem porro tanti festi, & ad omnium deuotionē circa illud excitandam, refero breuiter stupendum miraculum, ac beneficium à Deipara in simili festo collatum. Refert Vincent, in speculo hist. lib. 7. cap. 105.

Miraculũ Deiparæ in festo Assumptionis

105. & 106. hominem quendam à Dæmone tentatum,& sub promisso ab eodem Dæmone certum quid impetrandi,abnegasse Deum & sacramenta. Cumque Diabolus peteret vt etiam Deiparam abiurasset & execraretur: hoc ille renuit facere: & dixit nullo modo se tale commissurum. Quo facto tristis recessit: itaque Deum negauit, noluit tamen negare Deiparam. Hic ipse tristis abijt, & in nocte vigiliæ Assumptionis Deiparæ,templum illius ingressus ibidem in angulo templi tristis mãsit, & obdormiuit bene ad Deiparam affectus. Eadem nocte illi Deipara apparuit & leui reprehensione præmissa, illum consolata, dixit peccatum suum à Deo iam esse condonatum. Hæc sunt beneficia quæ gloriosissima Deipara hominibus impetrat in hoc tanto suo festo, etiam illi qui se antea Diabolo consecrauerat. Maiora impetrabit nouæ professæ quæ se totam hodie Deo, ac Deiprræ cõsecrat: & eadem etiam deuotis suis impetrabit, qui illam hodie in tanto festo corde, & ore coluerit, & inuocabit. Inter hæc beneficia præcipua erit hic gratia & postea gloria, Amen.






SERMO XIII.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ ET in professione Monialis.

Duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Matthæi cap. 17.



Olet Deus opt. Max à nobis parua, & pauca in hoc mũdo exigere vt postea in futuro sæculo nobis magna, & multa largiatur E cõtra vero diabolus à nobis in hac vita multa, dura, & difficilia postulat, vt nobis in alia vita maiora, & æterna mala retribuat. Horũ duorũ primũ videre licet in Euãgelio hodierno, in quo Christus Dominus à tribus Discipulis suis solũ quæsiuit vt montem excelsum secum ascenderent, in cuius ascensu nõ multum erant laboraturi, nec nimis fatigandi, idque ideo parũ petijt, vt illis in eodẽ monte suæ gloriæ specimen, & exemplar demonstraret. Secundum vero libeat intueri in Euangelio præteritæ Dominicæ, in quo Diabolus, vt Christo Domino in alio monte gloriam mundi vanam, falsam, & caducam ostenderet, *Duxit illum in alium montem, non solum excelsum, sed excelsum valde,* (quæ particula, valde, hodie non apponitur)

In hoc mũdo diabolus dat pauca, & in futuro multa mala.

Et præterea

Et præterea, antequam Diabolus illam phantasticam gloriam donaret, *Petijt à Domino, vt cadens ipsum Dæmonem adoraret.* Itaque Christus Dominus vt veram gloriam promittat, & ostendat solius excelsi montis ascensum requirit sine genuflexione, & adoratione: Diabolus vt falsam gloriam promittat, & donet multo plura, ac difficiliora exigit, montis scilicet valde excelsi conscensum, curuationem, & adorationem, vt tandẽ in altera vita labores, & tormenta tribuat, quæ vix possunt cogitatione comprehendi, probatur idipsum circa Deum, nam 3. Reg. 17. Heliam Prophetam misit in Sarephtam ciuitatem. vt ibi pasceretur à vidua; & ab eadem vidua sanctus Propheta ex parte Dei solum petijt subcinericium panem paruulum, faciendum ex pugillo farinæ, quem tãtum habebat. Pro retributione vero paruuli panis petiti, vide quanto plura & maiora Dominus concessit? Farinam, & oleum viduæ multiplicauit, seu conseruauit per miraculum vsque ad pluuiam futuram, per quam fames cessauit: filiũ præterea eiusdem viduæ mortuũ, reduxit ad vitam: &, quod mihi valde probabile est, eidem viduæ post mortem donauit gloriam; sic enim pium est credere de fæmina, quam Deus hic ad tale ministerium selegit, cuique tam insolita dona donauit. Aliud exemplum videas in illa gloriosa Samaritana, Ioann. 4. (gloriosam dico, sancta enim fuit, & Martyr, prout habetur in Martyrologio die vigesima Martij, & Photina dicta est.) In hac inquam videas idem exemplum: petijt namque Christus Dominus ab illa tantum potum aquæ simplicis: & statim dat illi gratiam in præsenti, & gloriam in futuro. Quibus omnibus consonat illud Christi Domini Matth. 10. vbi propter illum dantibus calicem aquæ frigidæ tantum, repromittitur correspondens præmium in æterna vita. Pro eadem denique materia facit optime, quod refert Leõtius apud Surium tom. 1. die 23. Ianuarij in vita sancti Ioannis eleemosinarij, de quodam videlicet Publicano in Aphrica valde diuite, sed nimis auaro, qui nunquam pauperibus petentibus aliquid erogabat. Hic enim cum quadam die appropinquanti pauperi ad ianuam domus suæ, furore percitus, & inuitus panem porrigeret, & tanquam lapidem in eundem proijceret: post duos dies idem Publicanus morbo correptus mortifero, in extasim raptus, videbat á se in iudicio rationẽ

3. Reg. 17.

Magna Deus pro paruis largitur.

Ioan. 4.

Samaritana fuit sancta & Martyr.

Matt. 10.

Vide vim eleemosynæ.

exigi suarum actionum: videbat item adesse trutinam pro meritis librandis: & in sinistra parte trutinæ videbat nigros congregatos, & multa eius turpia facta in ea lance deponentes. In dextera vero parte erant viri candidati nihil boni inuenientes, quod in illa dextra lance pro misero collocarent. Sed addebant nihil se bonum pro illius miseri fauore habere collocandum, nisi panem illum, quem duobus ante diebus ille inuitus pauperi dederat. Quem panem cum in lance dextera posuissent, trutina facta est ex æquo propendens. Tunc viri illi candidati Publicano dixerunt: recedens adde huic pani, & operare. Quo facto Publicanus ad se rediens agnouit vera esse quæ viderat: & ad Deum conuersus nouam, & sanctam vitam inchoans, & sanctus, & erga pauperes valde misericors euasit. Ecce quam parum Deus ab hoc diuite auaro petijt, & acceptauit panem scilicet vnũ non sponte datum, vt illi & in hac vita gratiam, & in altera conferret beatitudinem. Concludit adhuc Diuus Augustinus ad hoc intentum super Psalmum 36. nos exhortans ad operandum ita dicens: *Da modica, accipe magna, da temporalia, accipe æterna: da terram, accipe cælum.* E contra vero Diabolus, vt dicebam, multa, ac difficilia petit à nobis in hac vita, vt in illa parum, aut nihil tribuat, & in æterna reddat tormenta dura, & æterna. Sufficiebat ad hoc ipsa confessio damnatorum, qui Sapientiæ 5. ad se redeuntes de se ipsis in vita degentibus dicunt: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulauimus vias difficiles.* Hæc sunt postulata à Dæmone in hac vita, lassitudo, & fractio ossium, & viarum difficilium ambulatio, pro quibus æterna tormenta largitur. Vide quot labores Absalon reprobus in hac vita passus est suadente, ac petente Diabolo? Primo fratrem Amnon interfecit, vnde patris præsentiam fugit & gratiam demeruit: ita vt profugus fugeret ad Regem Tholomai, 2. Regum 13. Secundo, ad quas se demisit vilitates, & submissiones, ambiens regnum? 2. Reg. 15. ad portas ciuitatis stabat, ipse Regis filius cuiuis homini litiganti se demittens, & offerens, & ambitiosa verbositate conclamans. Tertio, apparatus bellicos parare, & congregare cæpit contra patrẽ, quæ omnia satis magnam inquietudinẽ mentis important: donec tandẽ suismet crinibus suspensus, & suffocatus interijt, & ad æterna tormenta damnatus est. In hoc etiam

Sap. 5.

Impij dura in hac vita patiũtur, & in alia vita.

2. Reg. 13.

2. Reg. 15.

etiam Pharao Minister diaboli, à filijs Israel dura nimis exigebat in principio, laterum videlicet confectiones, pro quibus solum paleas (idest fragilem, ac breuem delectationem) exhibebat: donec tandem progressu temporis etiam has paleas denegauit. Vide etiam quanta, & quam dura tulerit ille filius prodigus, Lucæ cap. 15. peregrinationem scilicet, famem, & obsequium, seruitutemue erga ciuẽ, cui adhæsit: Retributio vero fuit, vt nec de porcorum siliquis posset ad famem pellendam sumere. Optime ad intentum loquitur Bern. serm. de 1. gradu superbiæ, tom 2. vbi loquens de Esu pomi vetiti à diabolo suaso, sic Euam sanctus alloquitur, diaboli morem declarans. *Porrigit pomum (idest diabolus) & surripit paradisum.* Et vere quidem, omnia namque, quæ diabolus nobis in hac vita porrigit tandundem possunt æstimari quantum pomum: vide, ac discurre per omnia dæmonis, ac mundi dona, solum pomum inuenies, imo & vanitatem puram, sicut expertus Salomon testatur Eccles. 1. *Et omnia vanitas* Propter hæc autem tantilla poma, ac dona, diabolus prætendit nobis paradisum surripere. Hinc fere pro corollario potest inferri plura, ac duriora homines pati pro inferno quam pro cælo assequendo. Vide labores homicidæ, fornicarij, ambitiosi, & cæterorũ peccatorum, & hoc verum esse nullatenus dubitabis. Et quãdo ego hoc non obtineam, saltem euidenter ostenditur plura nos, & duriora pati pro temporalibus rebus habendis, quam pro cælestibus, & ipsa vera gloria comparandis. Testatur hoc eleganter D. Ieron. epist. ad Nepotianum, vbi agit de quibusdam hominibus, qui seruiebant ægrotis non propter Deum, sed intuitu rerũ temporalium, vt scilicet ægrotorum hæreditas ad ipsos deueniret, vel ab ipsis temporalem retributionem acciperent: eaque de causa multa incommoda, labores, & afflictiones sustinebãt, quas ibi memorat: de his inquã sic seruientibus, ita subijcit Iero. quasi admirans. *Quantis sudoribus hæreditas cassa expetitur? Minori labore margaritum Christi emi poterat.* Et reuera de multis grauibus peccatoribus id certũ est affirmare qui scilicet paucioribus laboribus, ac sudoribus cælestẽ gloriã assequerentur; quã æternam damnationem acquirunt. Filius ille prodigus in domo patris sui nec laborabat, neque egebat, nec famem patiebatur, quorum opposita extra paternam domum sibi euenerunt. Quamuis autem pro terrenis non plus, sed saltem æque

Lucæ c. 15.

Bona mũdi qualia sint.

Eccl. 1.

Peccator facit plus inferno, quam pro cælo, vel saltẽ plus pro terra quam pro cælo.

Pro cælo plus laborandū quā pro terra.

æque laboraremus, atque pro cælestibus; adhuc nobis id vitio vertendum esset: optime de hoc Tertull. lib. ad Martyres cap. 4. & 5. vbi illos exhortans ad labores pro vera gloria tolerandos, proponit illis primo quot, quanta, & quam dura multi ethnici pro vana, & falsa gloria passi fuerunt: cuiusmodi fuit inter alios Mutius Sæuola, Cleopatra, & multi alij. Refert præterea cōsuetudinem Adolescentum Lacædemonum, in quodam festo se crudeliter verberantium, eorumdem Adolescentum patribus ad idem instigantibus: cumque illa talia pro tali vana gloria fieri Tertullianus damnet, & admiretur, concludit pro vera, & æterna gloria eadem, ac plura, licite posse, imo debere fieri, sic inquiens. *Tanti vitreum, quanti verum margaritum?* Quasi dicat. Siccine, æquum ne est, vt tantū patiamur pro gloria terrena quæ vitrea est: quantum pro cælesti quæ vere margarita est? Clarius dicere poterat, tantum ne pro dæmone debetis facere, quantū pro Deo? Concludit Tertullianus dicens: *Quis ergo non libentissime tantum pro vero habeat erogare, quantum alij pro falso?* Sed adhuc eloquentius, & magis ad intentum, idem Tertullianus hac de re loquitur in libr. de pænitentia, prope finem cap. 11. Vbi loquens de ambitiosis, primo, inquit, hos neque pudere, neque pigere per incommoda animæ, & corporis eniti, seu progredi in causa votorum suorum: Tunc sic ait de illis. *Quas non ignobilitates vestium affectant, quæ non atria nocturnis, & crudis salutationibus occupant, ad omnem occursum maioris cuiusque personæ decrescentes, idque totum propter vnius anni volaticum gaudium.* Nota quæso singula verba Doctoris istius: maxime vltima (volaticum gaudium) quot, scilicet & quam dura in corpore, & in anima sustinet ambitiosus pro gloria volatica, quæ scilicet volat vt auis per spatium anni vnius: quam vero pauca, & quam inuoluntarie pro illa immensa, & æterna gloria volumus sustinere?

Ambitiosi taxantur à Tertull.

Indulgentia plenaria in die professionis.

Iam vero (vt præsentem discursum nostræ profitenti applicemus) nullus communiter loquendo in hac vita pro vera gloria obtinenda plura, ac duriora patitur quam Religiosus, maxime in die professionis. Hoc videtur asserere D. Tho. 2. 2. q. 189. art. 3. ad 3. vbi innuit Religiosum per solum actum professionis lucrari indulgentiam plenariam, omniumque pænarum pro peccatis debitarum remissionē: quia scilicet actus professionis excedit omne genus satisfactionis, etiam pænitentiæ publicæ.

Citat

Profesſio Religioſi quantis æquiualenti.

Citat pro hoc D Thom. caput Admonere 33. q 2. in quo Papa Sthephanus V. reſpondet cuidã viro Haſtulpho, qui iniuſte vxorem occiderat, & abſolutionem à Sede Apoſtolica poſtulabat: huic Papa poſt aſperam reprehenſionem, loco pænitentiæ duo facienda offert, vt ſcilicet vel intret monaſterium, ibique profiteatur: vel, ſi hoc facere recuſet pænitẽtiam publicam modo ſequenti faciat. *Videlicet vt illa durante abſtineat à carne & vino; exceptis feſtis Natiuitatis & Reſurrectionis Dominicæ: Tempus idem conſumat in pane, aqua, orationibus & eleemoſinis: arma non portet; vxorem non ducat, Balnea non intret, conuiuijs non aſſiſtat in Eccleſia vltimo loco poſt omnes ſedeat, denique vt communione corporis, & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti cunctis diebus vitæ ſuæ indignũ ſe exiſtimet.*

Pænæ impoſitæ vxoricidæ.

Vide obſecro quot, & quanta imponantur pro pænitentia, illi, qui Religionem nolit profiteri, & è contra, ſi Religionem acceptet, ab illis omnibus excuſetur, clare innuente Papa, quod Religionis profeſsio illis omnibus pænalibus operibus æquipolleat. Simile quid videre licet in legibus ciuilibus, maxime lib. 4. Ordin Luſitanorum tit 74. vbi decernitur quod ſiquis multo ære alieno grauatus neque habẽs vnde ſoluat, cedat omnibus bonis ſuis, ea ſcilicet relinquendo creditoribus, quantumcunque ea parua ſint, per hanc ceſsionẽ ſatisfacit omnibus debitis quantumcunque grauia illa fuerint: hoc ipſum ſuo modo in profitente Religionem conſpicias, hic namque per renunciationem bonorum temporalium ibi factam, & ſpontaneam oblationem ſui, ſatisfacit omnibus pænis debitis pro peccatis. Confirmat idem S. Tho. exemplo præcipui ſacrificij legis veteris quod dicebatur holocauſtum, in quo tota oblatio, & integra victima cremabatur, & cedebat in honorem Dei, ita vt nihil inde ſeruaretur ad vſum Sacerdotis, vel cuiuſcumque alterius offerentis Pari fere modo contingit in oblationibus Chriſtianorum: ſæculares enim in ſuis actionibus etiam ſi ſanctæ ſint, non offerunt Deo holocauſtum, ſemper in eleemoſinis ſua temporalia maiori ex parte ſibi ſeruant: ſemper in omnibus operibus ſuam ſaltem propriam voluntatem retinent: At Religioſus maxime in profeſsione holocauſtum ſui facit totum in Dei honorem; & obſequium conſumit, nihil de bonis temporalibus, nihil de propria voluntate ſibi reſeruans. Quod adhuc Clarius ſequens explicat ſimilitudo: is enim qui alienas arbores, vel hortum conducit, non manet Do-

Sæculariũ differẽtia à Religioſis.

Religioſi ſui holocauſtum offerunt Deo.

Dominus illarum arborum, sed solum acquirit dominium super fructus producendos ab illis arboribus. At is qui est verus Dominus, & habet dominium fructuum, & arborum, ita vt possit arbores eradicare. Pari modo sæculares etiam sancti, in suis bonis operibus Deo offerunt fructus tantum: Arbores, & personas non offerunt, Religiosi vero, & operum suorum fructus, imo & ipsas personas ita Deo, & prælatis offerunt per votum obedientiæ vt sui iuris non maneant. Ex quibus omnibus satis liquet intentum, videlicet Religiosos plura facere, & maiora pati pro assecutione gloriæ æternæ quam faciunt sæculares.

Hæretici de peccato mortali Petrum arguunt, & quare.

Si vis faciamus hic tria tabernacula. Hæretici Recentiores Magdeburgenses, dicunt D. Petrum hic peccasse mortaliter eo quod voluerit Christum Dominũ hic detinere, illumque in tabernaculo in monte includere. Caluinistæ etiam dicunt illum alia via peccasse mortaliter, eo quod voluerit Eliam ex Moysem æquiparare Christo Dño, tribuens illis tabernaculum sicut & Christo Domino & quidam illorum hoc male volunt colligere ex cap 9. D Marci: vbi Marcus loquens de misterio Transfigurationis, & hoc Petri dictum recitans, ait, *Quod Petrus nesciebat quid diceret*. Ego autem circa errorem hæreticorum, & suam erga Petrum calumniam, dico quod illi nesciunt quid dicant, in eo quod dicunt Petrum peccasse mortaliter. Totum illis ex eo prouenit, quia cum hodie negent pertinaciter Romanum Pontificem esse caput totius Ecclesiæ: ideo D. Petrum, cui Romanus Pontifex succedit, semper mordent, eidẽque Petro sanctissimo multos attribuunt defectus vt illũ ostendant non fuisse maiorem Apostolis omnibus in iurisdictione. Est enim hæc conditio animi maleuoli, seu odio pleni, vt in eo quem odit peccatum esse credat id quod non est peccatum: imo & aliquando ipsam virtutẽ peccatum reputet: sicut è contra charitatis officium est nihil cogitare malum, imo & ipsum malum, seu peccatum excusare. Quod vero attinet ad excusandum Petrum à peccato, sufficiat dictum Chrysost. ad præsentem locum, dum ait: *Non debere nos considerare quam prudenter, ille hortabatur Christum, sed quam feruens charitate Christi esset*. Innuit nempe Chrysost. Petrum non errasse in charitate, ac proinde non peccasse. Quod autem passio, seu odium, peccatum inueniat vbi non est, cernere est manifeste in Pharisæis circa Christum Dominũ, quem toties vt peccatorem accu-

Marc. 9.

Maleuolus putat peccatum quod non est E è cõtra beneuolus Petrus non peccauit volens tria tabernacula ædificare.

accusabant in manducando cũ peccatoribus, dæmones expellendo, & in curatione facta in Sabbato, cum aliàs constaret & illa opera sancta esse, & Christum Dominum esse impeccabilem. D. Ieron. epistola ad Pamachium ait: *Qui inimicus est, etiam in sirpo nodum quærit* modus Prouerbij est, innuens quod inimicus etiam inculpatam vitam accusat. Similes hi sunt Araneæ, quæ etiam de pulcherrimis, & suaue olentibus floribus mel suauissimum elicit. Apis nempe suauissima charitas est, quæ etiam opera indifferentia, & aliquando mala, vel excusat, vel non accusat. Paul. 1. ad Corinth. 13. dicit. *Charitas non cogitat malum*: quod ibidem sic explicat Chrysost. *Idest non suspicatur malum*. Duo exempla hoc maxime possunt illustrare: primum est Patriarchæ Iacob cui, cum filij ipsius tunicam Ioseph sanguine hædi tinctam ostenderent, plenus charitate pater, de malis, & inuidis filijs non est suspicatus malum inuidiæ, ac fratricidij intentati, sed ait: *Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph*. Aliud exemplum adhuc efficacius habemus in Loth, quem D. Chrysostom. homil. 44. in Genes. ait non peccasse neque in nimia potatione vini vsque ad insensibilitatem, neque in concubitu cum duabus filiabus: &, quod maius est, putat Chrysostomus neque ipsas filias peccasse patrem inebriando, ob causas quas ibi citat, vt videas qualia viscera sint charitatis in excusando, vel non accusando peccato, qualia Chrysostomus ibi ostendit, & circa patrem, & circa filias. At circa filias excusandas communiter non recipitur.

Maleuolus est vt Aranea.

Charitas est velut Apis.

1. Cor. 13.

Loth excusatus à Chrysost. in ebrietate & incestu.

Quod si hæretici supradicti Diuum Petrum accusant de peccato, eo quod dixerit: Bonum est nos hic esse, eo quod videretur otium, & quietem appetere: Quid dicerent ijdem hæretici de nostra hodie profitente, Tabernaculum quietum in monte Religionis separato spõte eligente? Dicerent nempe, quod nesciret quid faceret. Talem certe errorem impius Vuicleph corde, & ore concepit, vt non dubitauerit impudenter asserere Diuos Augustinum, Benedictum, & Bernardum esse in inferno, si pænitentiam non egerunt ob Religiones, quas instituerunt in Ecclesia Dei. Similes blasphemias dixerunt Caluinus, & Lutherus in reprobanda vita monastica. Quidquid vero illi garriant impudenter, & tanquã rabidi canes oblatrent, ego Religiosæ profitenti hæc verba D. Petri applico: *Bonum*

Vuicleph blasfemat Augustin. Benedictũ & Bernar. in inferno esse dicens ob Religiones institutas.

Tres Apostoli in monte Tabor tria vota significant.

Bonum est nos hic esse, & in monte Religionis permanere. Est enim reuera Religio quæuis mons Tabor, excelsus & seorsum positus, à mundi perturbationibus separatus. D. Antonin. 3. part. tit. 25. cap. 10. §. 11. montem Tabor Religionē appellat, eo quod in Religione tria vota reperiantur in tribus hodiernis Apostolis significata, Petro nempe, Iacobo, & Ioanne. Etenim Simon (idest Petrus) idem est quod obediens. Iacobus idem est, quod supplantans, & paupertatem designat, qui enim vere pauper est omnia supplantat, & terrena calcat. Denique Ioannes virgo, castitatem præfigurat. Mons etiam Religio est separatus, & quietus ex mente D. Bern. qui in sermone quodam de obedientia ad suos fratres, postquam illos præmonuit vt aduerterent quantam haberent occasionem vacandi Deo liberius quam sæculares præpediti diuitijs, filijs, vxoribus & cæteris impedimentis, quibus Religiosi liberi sunt, sub infert Bern. Religiosos sic alloquens. *Sic abscondit nos Deus in abscondito tabernaculi sui, &cat.* Vide quomodo Religiosus in ipsomet Dei Tabernaculo quietus absconditur; non in tabernaculo Moysis, vel Eliæ, sed in ipsó Dei tabernaculo quietus absconditur, & conquiescit. Eleganter hanc Religiosi quietem explicat, ac docet D. Tho oculatus Religiosus 2. 2. q. 186. ar. 7. dicens tria genera impedimentorum habere sæculares in ordine ad salutem. Primum est externa bona, quatenus scilicet hæc debent acquiri, procurari, & conseruari. Secūdum est vxores, & filij, quos regere, sustentare, & sustinere tenentur, cum infinitis periculis, ac perturbationibus. Tertium est actiones proprias personales regere, domare, ac dirigere. Cum autem quilibet sæcularis vxoratus illa tria impedimenta patiatur, Religiosus duobus primis caret, & solo tertio impeditur, circa proprias actiones dirigendas: & in hoc tertio subleuando nimium iuuatur à prælato vigilante, à senioribus obiurgantibus, & ab alijs Religiosis zelatoribus conuiuentibus, qui omnes vel malas actiones à longe impediunt, vel i las factas taxant, & per pænitentiam expiari procurant. Bonum ergo est nos hic esse, in monte Religionis: Bonū inquam, & quo ad animam, & etiam quo ad corpus, & quo ad honorem. Quo ad animam, est fere de fide, ea certitudine qua diffinitur in Concil Trid. statum Religiosum cæteris omnibus antecellere. Quo ad corpus etiā, eiusque maius commodum, potest applicari illud Virgilij in qua-

Religiosi quies.

Sæcularium impedimenta.

Religio etiā quo ad corpus vtilis est.

quadam egloga de quiete agricolarum sic loquentis *O fortunatos nimium sua si bona norint, agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis, fundit humus facilem victum.* Considera hæc omnia verba, facile enim quadrare videbis, & conuenire quieti Religiosæ.

Alio etiam ex capite ego iudico hoc D. Petri dictum caruisse peccato: *Si vis faciamus hic tria tabernacula*: Hoc enim suum dictũ subiecit voluntati Christi Domini dicens: *Si vis.* Suum namque dictum, & suum velle subdidit voluntati Christi: nec proinde malum esse poterat dictum cum diuina voluntate conforme. Vbi nobis doctrina præscribitur, quod in omni nostra petitione voluntatem nostram subijciamus primo voluntati diuinæ dicendo: *Domine, si vis* tale, vel tale mihi concede. Ipsemet Christus Dominus sic à Patre petiuit in agonia positus: *Pater, si vis, transfer calicem istum à me: veruntamen, non mea voluntas, sed tua fiat* Ecce quomodo non semel, sed bis Christus Dominus petitionem suam diuinæ voluntati committit. Quid enim nobis prodest, vitam, diuitias, & honores absque Dei voluntate possidere: Non sic impij non sic: non sic inquam peccatores postulant ab hominibus vel à Deo, sed propriam voluntatem absolute fieri petunt. Vide

Petitiones nostras cũ D volũtate conformare debemus.

Pro litanijs & cæt. serm.

Petitiones peccatorũ qua'es?

petitionem illã matris filiorum Zebedei Math. 20. *Dic vt sedeant hi duo filij mei, &c.* Quid facis ò bona fæmina? Petis ne a Deo cũ dicis: *Dic vt sedeant*? Hoc magis imperare videtur, quàm supplicare Dic, enim: imperatiui modi est. Licentiosius adhuc petiuit alia fæmina Marc 6. Filia scilicet Herodiadis, cum Herodes facultatem petenti faceret. Dixit: *Volo vt protinus des mihi indisco caput Ioannis.* Considera verba: volo, vt protinus. O ridiculam humiliationem, ac subiectionem requisitam in postulante: volo vt protinus hoc ego imperare dixerim, non obsecrare. Tales fere vt plurimum sunt petitiones fæminarum. Tales petitiones Pharizæorum: *Volumus à te signum videre.* Alludit ad hoc ab vsus postulandi à Sanctis, cum scilicet illorum imagines filo ligamus, & dicimus nos verbi gratia habere ligatum sanctum Antonium donec petita impetret à Deo: hoc inquam est velle nos assequi à Deo, ac Sanctis per fas perque nefas id quod prætendimus nulla facta protestatione cum diuo Petro, *Domine, si vis.* Cæcus etiam fuit in hoc ille cæcus Euangelicus Luc. 18. qui iuxta Iericho à Domino visum postulauit: cum enim illum Christus Dominus percontaretur, quid vellet, non se remisit ad diuinam voluntatem

Math 20.

Marc. 6.

Luc. 18.

tem dicens, quod tu Deus volueris, vel volo visum, *Si vis.* sed absolute suam voluntatem declarauit, dicẽs: *Domine vt videam.* Hoc ipsum circa prædictum cæcum bene considerauit D. Bern. in quodam serm. Conuersionis D. Pauli: in quo, postquam notat, & laudat dictum D. Pauli in via prostrati, iacentis super terrã, & ob cæcati â Deo, cum scilicet dixit Christo Domino. *Domine quid me vis facere*: (in quo perfectam sanctitatem ait consistere) comparat tunc Bernardus cæcum illum cum D. Paulo: & ait cæcum visum absolute â Deo petijsse absque resignatione in diuinam voluntatem. Saulus vero prostratus, & similiter cæcus (apertis enim oculis nihil videbat, Act. 9.) non postulat â cæcitate, vel illa angustia liberari, sed ait: *Domine quid me vis facere?* Et tandem sub infert sic Bernar. *Plures imitatores cæcus hic Euangelicus habet quam Paulus, &cat.* Vt autem & hoc Religiosis applicemus clare constat quomodo in suis actionibus non solum se conforment cum voluntate diuina, sed etiam cum humana sui prælati, aqua ita totaliter pendent, vt sine illo nec pedem quidem posint mouere. Est fere Religiosus tanquam seruus captiuus voluntate carens, solique Domini sui, vel prælati voluntati obsequens. Hoc præcipue D. Basilius Religioso cuilibet in memoriam reuocat, ac meditari præcipit Religiosos in quadam epistola, vt scilicet recordentur se nequaquam sui iuris esse, sed perinde ac si in seruitutem â Deo fratribus addicti sint. Hinc fit vt iuxta multos, & sapientes doctores vota particularia, seu simplicia â Religiosis post professionem facta, habeant semper annexam hanc conditionem, si videlicet permiserit, vel consenserit meus prælatus: ita quod neque Deo absolute promittere posint, saltem aliqua, nisi prælati voluerint: ac proinde in omnibus suis actionibus Religiosi saltem virtualiter, & Deo, & prælato dicunt, *Si vis, &cat.* Mirum est qualiter sancti Religionum fundatores alumnos suos exercuerint in propria voluntate frænanda, & reprimenda! Sanctus Antonius Abbas discipulum quendam Paulum modo vestes suere, modo dissuere iubebat: modo fiscellam texere modo retexere. Pater N. Franciscus Fratrem Massæum socium in itinere coegit vt in gyrum se iterum atque iterum more fatui rotaret, ac versaret. Alteri socio mandauit vt nudus iret, ac populo cuidam prædicaret. Alius aridum lignum irrigari quotidie præcipiebat, & hæc omnia sancti

Act. 9.

Religiosus totus pendet â voluntate Dei & prælati.

Religiosus est veluti seruus captiuus.

S. Anton. Abbas quomodo Paulũ discipulum exercebat.

Sancti illi dirigebant ad reuocādum subditis in memoriā se nō propria voluntate, sed suorum prælatorum arbitrio, & iudicio ducēdos ac gubernādos. Quod adeo verum est, vt Hugo Cardinalis super Psal. 49. ad illa verba; *Non in sacrificijs tuis arguam te*, erudite doceat, non licere Religiosis, neque illis prodesse, pænitentias particulares, & carnis macerationes occultas facere absque licentia suorū prælatorū, vel saltem quando ipsis ab eisdē prohibetur. Præmittit enim citatus Doctor, in Religione dari holocaustum, quod est sacrificiū perfectissimum consistēns in tribus votis de quo supra diximus: & præterea dantur in Religione particulares pænitentiæ, seu voluntariæ, quas vocat sacrificia, & non holocausta. De his vero voluntarijs sic ait: *Hæc dicuntur sacrificia, non holocausta, quia in faciēdo illa, non se totos offerunt, sed propriam voluntatē retinent: & ideo nō placent, non sunt accepti eorum vituli sine iugo obedientiæ*. Quinimo hæc ait aliquando posse esse hypocrisim: citatque illud 1. Reg. 15. *Melior est obediētia quā victima*. Fauere etiam potest illud Isa. 58. *In die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra*: & ideo ibidem dicitur Deum tale ieiunium non aspexisse. Confirmat tandē hæc omnia dictum illud Magni Ioannis

Religiosi nec pænitentias particulares meritorie agunt inuitis prælatis.

1. Reg. 15. Isa. 58.

Abbatis, teste Cassiano lib 5. de instit. Cænob. c. 28. A quo cum iam moribundo circunstantes fratres peterent, vt aliquid eis memoriale mandatum velut hæreditarium legatum relinqueret per quod possent ad perfectionem facilius peruenire, ingemiscens dixit: *Nunquam meam feci voluntatem nec quenquam docui, quod prius ipse non feci* O vera norma, ac regula veri prælati, ac verissimi subditi.

Prælati boni exēplum.

Petrum, Iacobum, & Ioannem. Ioannes Damascenus in oratione de Transfiguratione quærit causam cur Christus Dominus ad hanc Transfigurationē spectandam non duxerit omnes duodecim Apostolos. Et respōdet, quod, ne Iudam indignum duceret, alios octo cum Iuda reliquit. Eius hæc sunt verba: *Vnus hic dumtaxat indignus erat qui diuinitatem spectaret scilicet Iudas* Et paulo infra, dicit non decuisse ibi Iudam indignum assistere illum vero solum relinquere & vndecim assumere, foret scandalum, & occasionem inde Iudas sumere posset indignationis cōtra Christum Dominū Et ideo ait Damascenus mansisse Andræam cum cæteris. Inter alia motiua hoc vnum hinc licet aduertere, quod scilicet boni, & Sancti aliquando damnificantur ex conuersatione, & societa-

E e te malo-

Malorum societas quantum noceat etiā Sāctis.

te malorum. Hic namque videmus Andræam sanctissimum, & alios septem Apostolos ex mente Damasceni aliquid boni amisisse ex societate Iudæ, propter illum enim non sunt assumpti ad Christi Domini Transfigurationem spectandam. Quod autem boni aliquando patiantur propter societatem malorū docet optime in simili fere materia D Ambros. super 5. cap. Lucæ. Considerat ibi sanctus doctor Christi Domini Apostolos semel in mari periculosam tempestatem nocte sustinuisse Marc. 6. cum Dominus intra nauiculam non erat: eamque inquit potuisse illis accidere, eo quod Iudas in illa tunc vehebatur. Rursus considerat Ambrosius, iterum Christum Dominum ascendisse nauiculam Petri Luc. 5. vbi Iudas non erat: & tunc nullam fuisse tempestatem obortā Tunc sic discurrit Ambros. *Non turbatur nauis quæ Petrum habet turbatur illa quæ Iudam habet. Et si multa illic discipulorum merita nauigabant, tamen adhuc eam perfidia proditoris agitabat.* Hæc ille. Vide quantum Sanctis vndecim Apostolis vnius mali Iudæ societas nocuit ex mente Ambros. Greg. super Ezech. Innuit malorum societatem nocere alijs tanquā aerem pestilentem. *Sicut malus, inquit, aer assiduo flatu tractus, inficit corpus, ita peruersa locutio, & cæt.* Et in particulari verum id habet in pueris, & adolescentibus peruertendis, quos tanquam tenellos, ac teneros citius, ac facilius mali enecant, & inficiunt suis moribus, colloquijs, & malis exemplis, ad illum fere modum quo tempore epidimiæ plus de pueris, quam de robustis viris moriuntur. Circa hoc etiam inseruit dictum sancti Isidori lib. 2. soliloq. *Melius est habere malorū odium, quam consortium.* E contra vero quantum bonum sit, & quā fructuosum bonorum virorum societas, probatur ex eo quod etiam ossa sancti mortui sua vicinitate prosunt defuncto non sancto 4. Reg. 13. dicitur quod ossa Elisei iam defuncti fecerunt iuuante Deo, vt defunctus in eodem sepulchro positus resurgeret. Si vero ossa sancta, sed mortua, sic prosunt, multo magis Sācti viui sua societate proficient. In hoc multo fæliciores sunt Religiosi, quam sæculares, illi enim ex tot bonorum Religiosorum societate per momenta crescūt ob multa, & sancta exempla ab illis exhibita. Hunc enim vidēt abstinentiæ deditum, illum humilitate florentem, illum orantem, illum patientem, alterū castum, & sic de alijs virtutibus, ita vt merito Religionem possis vocare scholam virtutum, in qua omnium

Marc. 6.

Luc. 5.

Bonorum societas quantum prosit.

4. *Reg.* 13

Religiosi iuuantur ex bonorum societate.

omnium virtutum genera ore, & opere continuo edocentur. Consonant his dicta Bernardi serm. 54. super Cantic. de suorũ fratrum conuersatione sic dicẽtis: *Omnes considero feruentes, deuotos, gratia affluẽtes, &c.* Diuus etiã Gregor. lib. 24 Moral. cap. 6. ponit quædam verba ad hoc inseruientia dicens: *Viua lectio est vita bonorum.* Idem sanctus doctor hom 19. super Matth. Narrat de quodam sæculari commorante in quodam monasteria, qui cum esset superbus, lubricus, monasticæ vitæ non amicus, cum alijs imperfectionibus ibi notatis, tandẽ pestifero morbo correptus, & dracone sibi apparente conterritus, ad se rediens, fratrumque auxilium implorans, & liberatus, promisit vitam Monasticam, & conuersus est. Optime idem probatur ex 1. Reg 19. vbi cum Saul mitteret lictores seu ministros in Naioth ad interficiendum Dauid, & inuenirent illum iuxta Prophetas vaticinantes, (id est laudantes Deum, qui erant sicut Religiosi nostri) ipsi milites moti exemplo bono destiterunt à malo fine, & cæperunt etiam laudare Deum, quod idem fecerunt secundi & tertij alij milites. Imo & ipse Saul postremo per se veniens malo animo vt iam accessit prope, etiã prophetauit, id est, Deũ laudauit. Ecce bona quæ lucrantur etiam mali societate bonorum Religiosorum, faxit Deus opt. Max. vt malorum consortia fugiamus, & cum bonis societatem habeamus, vt ipsorũ meritis, & maxime per Christi Domini nostri passionem hic gratiam consequamur, & gloriam in futuro, Amen.

Peccator quidam conuertitur ex cõsortio Religiosorũ.



IESVS

SERMO XIIII.

DOMINICA XXIII. POST PENTHEC. ET in professione Monialis.

Domine, filia mea modo defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam & viuet.

Matth. cap, 9.



Ecclesiastes cap. 7. monet Spiritus sanctus peccatorem, *ne multum impie agat, ne moriatur in tepore non suo.* Qui locus in prima ria expositione intelligitur de illis peccatoribus, quibus, licet secundū cursum ordinariū naturæ prolonganda esset vita ordinaria; ipsi tamē per vias, & peccata insolita luxuriæ scilicet rixarum furtorum, & similium procedendo, sibi ipsis quasi vitam præcludunt, & citius moriuntur, quam aliàs possent mori quiete viuendo. Secundo eundem locum explicat Lorinus citato capite, vt de illis etiam dicatur mori in tempore non suo, qui licet quiete viuant, eos tamen mors inuenit in quouis statu non paratos, non libentes, & non maturos, id est, absque virtutibus, quibus ætas matura est vt posit esse Deo accepta, illique per mortē offerri. Iuxta hanc secundam expositionem,

Ecclef. 7.

Mori qui dicuntur in tēpore non suo.

tionem, puella huius Euangelij dici potest mortua in tempore non suo: probabiliter enim conijcere possumus eam mortuam fuisse non paratã non libentem, non maturã virtutibus. Tria se mihi motiua offerunt, vt id considerem: primum quod erat filia principis, & valde nobilis. Secũdum quod iuxta D. Marc. cap. 5. *Erat annorum duodecim*. Tertium quod iuxta Luc. cap. 8. *Erat vnica filia Patris sui*. Ecce tria impedimenta, vt puella hæc moreretur in tẽpore nõ suo, libẽs scilicet, parata, & virtutibus matura, cuius proinde morti possimus compati, & condolere. Quas, Deus bone, de rebus terrenis cogitationes formaret adolescentula nobilis, diues, vnica, anno duodecimo ætatis suæ: qualem spem de futuro matrimonio conciperet, quot denique cogitationum, ac desideriorum fluctibus ipsius cor distraheretur? Sanctus Dauid, etiam si sancte viueret, Deum precatus est Psal. 101. dicens: *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum*. Intelligebat enim in illa ætate minus paratum, minusque libentem hominem mori. Idque D. Gregor. clarius explicat super eadem verba citati Psal. dicens: *In media ætate minus satagit homo de amore æternorum* Sanctus etiam ille Rex Ezechias Isa. 38. periculoso morbo correptus, mortique sentiẽs se propinquum, & in ætate in qua non credebat se moriturum, dixit. *Dum adhuc ordirer succidit me*. In principio enim, & in medio ætatis adhuc homines ordiuntur telam vitæ. Ad eum nempe modum quo fœmina telam disponens, primo dicitur ordiri, id est certa fila taxare quoad longitudinem, seu iuxta longitudinem sexaginta, vel septuaginta cubitorum, ad quam longitudinem prætendit telam protendere, & hoc vocamus ordiri. Deinde texit ordium, transuersa fila super inducendo; sic homines maxime in principio ætatis ordiuntur vitam quasi telam, sperantes scilicet illam vsque ad septuagesimum, vel octogesimum annum protelare; multa postea transuersa fila & cogitationes terrenas super inducendo, dicentes ero talis, & talis, faciam hoc, & illud, sicque superueniens mors inuenit illos nec paratos, nec libentes, neç virtutibus maturos. Clarissimum exemplum habemus in alia fœmina florentis ætatis, videlicet in filia Iephte Iudic. 11. quæ sciens votum patris de illa sacrificanda, & occidenda petijt à patre, vt antequam illam occideret, licentiam sibi concederet, *vt montes circumiret, & plangeret virgi-*

Pro mortuis.

Marc. 5.

Luc. 8.

Iuuentus vt plurimum imparata ad mortem

Isa. 38.

Vitã quomodo homines ordiantur.

Iudicũ 11.

virginitatem suã cum sodalibus suis: Vbi Arias Montanus per virginitatem quam volebat plorare, intelligit ætatem nuptijs oportunam vide quomodo libenter moreretur, quæ flebat ætatem iuuenilem absque nuptijs? Virgilius loquens de quibusdam adolescentibus qui mortui sunt in principio vitæ, vocat eorum mortem acerbam, dicens: *Quos ipso in limine vitæ abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.* Alludit nẽpe Poeta ad fructus acerbos, & immaturos qui quandiu tales sunt, difficile auelluntur ex arbore, & quasi resistunt. Postquam vero maturi sunt ipsi se quasi inclinant, vt colligantur; & aliquando sponte cadunt. Ita euenit hominibus quandiu ob defectum ætatis, & virtutum sunt immaturi. At quando iam sunt annis pleni, & virtutibus abundantes, ipsi præ senio iam corpus ad terram inclinant, & mori vt plurimum desiderant, Totum hoc optime comprehẽdit Diuus Ieronymus epistola ad Nepotianum dicens: *Adolescentia multa corporis bella sustinet, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes quasi ignis in lignis viridibus, suffocatur sapientia & suũ non potest explicare fulgorem Senectus vero ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior, &c.* Et paulo infra ait: *Omnes pene virtutes corporis mutantur in senibus, &c.* Ex omnibus præcedẽtibus liquet, aptius tempus ad moriẽdum vt plurimum, esse senilem ætatem maturam annis, ac virtutibus è contra vero iuuentutem esse minus oportunam. Sed væ, væ! quid dicemus his nostris temporibus in quibus vt plurimum videmus homines neque in prima, neque in media, neque in vltima ætate paratos esse, nec maturos, vt moriantur. Videtur de hoc Deus conqueri Isayæ 5. cum de vinea sua, id est anima fideli, dicit: *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas.* Tempus in quo vinea vuas solet facere, est tempus ordinarium, & vltimum ad illud intentum: sic ætas saltem senilis vltima est, & propoitionata ad fructus virtutũ proferendos: si ergo in illa fructus bonos nõ proferamus, nõne merito de nobis dicetur quod facimus lubruscas tempore, quo vuas proferre debemus? Nonne de quouis nostrum sene dici poterit, quod Daniel cap 13. dixit vni ex illis duobus senibus: *Inueterate dierum malorum, & cæt.* Vere Isayas proxime citato loco, hos vocat labruscas: labrusca enim vua est inter spineta (vulgo *vua de balsas*) procreata, quæ nunquam plene maturescit. Tales multos homines videas, labruscos scilicet, & neque

Senectus apta ætas ad moriẽdum.

Morti per pauci separant.

Isay. 5.

Dani. 13.

Vita multorũ comparatur labruscæ.

que in vltima ætate virtutibus maturos. His bene conuenit id quod Christus Dominus dixit de villico Lucæ 13. circa ficum quæ tribus iam annis fructum non afferebat; *Succide illam vt quid etiam terram occupat?* O rem notatu dignissimã: conqueritur Dominus arboris quod in tribus annis fructuosa non sit: quas quærimoniæ causas habebit Deus circa nos, quod neque tribus annis, neque in trigesimo anno, neque in sexagesimo, neque in septuagesimo fructus dignos pænitentiæ in nobis inueniat?

Luc. 13.

Grande nobis exemplum in hoc dat nobis noua hodie professa Monialis, & nostrã in hoc damnat desidiam, quæ in primo, vel præcipuo iuuentutis flore reliquum, seu totum vitæ residuũ Deo consecrat. Cantic. 7. ait spõsa ad sponsum; *Omnia poma noua, & vetera dilecte mi, seruaui tibi* Sic hodie professa dicere poterit Domino Christo: omnes annos vitæ meæ, primos secundos, & vltimos tibi consecraui. Si autem etiam ex parte Christi sponsi exemplum etiam requiramus, inueniemus profecto illũ etiã omnes suæ ætatis annos in nostro remedio consumpsisse; imo in medio, & præcipuo suæ ætatis flore animã pro nobis posuisse. Propheta Habacu cap. 3. cum Christo Domino loquens, ait. *Domine, opus tuum in medio annorum viuifica illud*. Quod dictum si de opere redemptionis, seu passionis Christi Domini intellegatur (quod per excellẽtiã opus Christi præcipuum dici potest.) Hoc inquam opus in medio suæ ætatis Christus Dominus fecit, & sic vitam suã pro nobis dedit quãdo illa vita erat florentior, & robustior, & validior, anno silicet trigesimo tertio ætatis suæ, quãdo completur vt plurimum medium ætatis, si hæc perueniat ad annum septuagesimum. In huius tãti beneficij gratulationem, vel saltẽ in eius memoriam Religiosi vt plurimum, totum vitæ suæ tẽpus etiam apueritia in Dei obsequio consumunt, memores illius dicti Ieremiæ Tren 3. *Bonũ est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua, quia leuauit super se.* Quæ vltima verba explicat. D. Tho. opusc. cõtra retrahẽtes a Relig. dicens: *Erigunt se supra naturam & naturales inclinationes*; quasi dicat illos bene assuetos manere ad frænandos appetitus sensitiuos contra rectam rationem insurgentes. Cui consonat dictum Ieronimi Epistola 7. dicẽtis. *Difficulter eraditur quod rudes animi perbiberunt.* Et ad hoc ipsum citat Ieron illud vulgatũ Horatij dictũ: *Quo semel est imbuta recens seruabit oderẽ testa diu.* Cũ ergo Religiosi,

Cantic. 7.

Habac c. 3

Christus Dominus vitam suã pro nobis dedit in flore ætatis.

Tren. 3.

Adolescẽtia propria ætas ad Religionem.

ligiosi, & à pueritia iugũ Christi portent, seque in domando appetitu & propria voluntate exerceant, clarum est quod totã fere vitã Deo offerunt, & semper ad moriendum parati sunt, maturi, ac libentes. In cuius adhuc rei probationẽ seruit pulcherrima historia contenta in Chronicis Beatissimi Patris Dominici. In illis enim traditur Humbertum quondam Generalem prædicti ordinis narrare solitum quendã Religiosum dicti ordinis defunctum, apparuisse de nocte alteri fratri viuenti: quẽ viuum defunctus detulit ad quendam locũ, vbi vidit multos homines vestibus candidis, ac splendidissimis in cælũ euntes, & hi cruces singulas portabãt in humeris. Paulo post vidit alios eodem modo vestitos, sed magis adhuc splendentes & pulchriores, qui tamẽ cruces portabant in manibus. Tertio tandẽ vidit adhuc alios pulchriores & splẽdidiores quã fuerant primi, & secundi; hi tamen suas cruces neque in humero, neque in manibus portabant, sed singuli Angeli singulos præibant, portãtes singulorũ cruces. Rei nouitatem admirans Religiosus viuus, causamque percõtans Responsum accepit à defuncto: primos minus pulchros, crucẽ portantes in humeris, esse illos qui monasteria intrabant in grandiori iam ætate; secundos portãtes cruces in manibus significare illos, qui in media ætate Religiosi fiunt. Tertios denique esse illos, qui à pueritia vitam monasticam profitebantur: quasi diceret his Religionis iugum reddi suauius, & neque in humeris, neque in manibus portare crucem, sed quasi per alios illas gestare, quia scilicet à primæua ætate sumptum iugum, facili negotio ab ipsis propter Deum sustineretur.

Modo defuncta est. Quis prima facie considerans puellam mortuam in anno duodecimo cum supra dictis circunstãtijs, & rem iudicans humano iudicio non diceret, id fuisse diuinum iudicium, vel supplicium puellæ, vel patris ipsius punitionem? Si vero rem iuxta diuinam Scripturam metiamur, inueniemus fortasse fuisse Diuinum, & particulare beneficium factum isti puellæ, mori in tali ætate & circunstantijs: ne scilicet forte in grandæua ætate vteretur male diuitijs, nobilitate, pulchritudine, & cæt. Et vt tot ac tantas peccandi occasiones effugeret. Optimus locus ad hoc probandum habetur Sapien. 4. cum de viro in iuuentutis flore defuncto dicitur: *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio*

Mori in pueritia est aliquãdo benefi ciũ Dei.

Sap. 4.

ne fictio deciperet animam illius: Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona. Vide quæso rationem assignatam præuentæ mortis: quia scilicet in mundo homines fascinantur à tot malis occasionibus circunstantibus. Fascinatio (quam suppono dari vere, & realiter) nobis nolentibus, & nescientibus accidit: hoc autem licet in peccatis, locum non habeat, quæ non committuntur nisi à volentibus, & scientibus. bene tamen explicat multitudinem ac periculum vehemens mundanarum occasionum, quæ homines fascinant, & ad peccandum vehementer accendunt. Vere ergo aliquando donum Dei est mors immatura. Alia etiam via eadem mors immatura donum Dei est, ne scilicet defunctus videat mala temporalia communia, vel particularia suorum, vel sua propria futura Sic Deus. 4 Reg. 22. sanctum Regem Iosiam de vita sustulit dicens: *Vt non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus sum super populum istum*: Hæc vero mala temporalia inducta per Pharaonem habentur statim cap. 23. sequenti Sic sancti Machabæi, 1. Mach 3 dixerunt, *Melius esse mori in bello quam videre mala gentis suæ* Sic Possidius in vita Augustini, cap. 28. & 29 ait: *Augustinum e vita ereptum dono Dei, tædio malorum patriæ suæ, &c.* Ob quas omnes causas citans prædictum locum sapientiæ 49. Ambro se ipsum consolatur de obitu fratris sui Satyri orat. de obitu fratris: & Paulinus Pamachium de morte vxoris epistola 35. & alij similiter. Quin potius ego addo, etiam circa magnum peccatorem in flore iuuentutis ereptum, præuentam mortem pro diuino beneficio posse aliquando reputari: ne scilicet peccata peccatis superaddens duriora ac maiora tormenta in inferno sustineat. Sufficit mihi ad hoc probandum locus Augustini, qui 21. de Ciuit. cap. 24. dicit hanc vitam nostram vocari aliquando iram Dei. Verba eius hæc sunt. *Ira enim Dei est etiam ista vita mortalis, vbi homo vanitati similis factus est, &cæt.* Quo posito non abs re dici poterit quod forte aliquando Deus magnis peccatoribus præscitis vitam abreuians, eisdem misericordiam impertiat, ne scilicet diutius viuentes, *Thesaurizent sibi iram in die iræ iuxta Paulum ad Rom. 2.* Sed quia nullus cuiusuis ætatis mortem putat esse diuinum beneficium, ad aliam considerationem transeo.

Fascinantur homines spiritualiter.

4. Reg. 22.

1. Mach 3

Mors etiã immatura prodest aliquãdo malis peccatoribus & quomodo

Con-

Mors nulli parcit.

Considero item in morte puellæ duodenæ, quomodo mors nulli parcat ætati, quomodo quotidie & pueros, & senes feriat, neque id nobis proficiat ad mortis meditationem, vel præparationem. Quo ad primũ sufficiat tam longa experientia qua videmus & pueros aliquando in ventre Matris, aliquando in prima infantia, & in omni denique ætate mori. Sufficiat dictũ Virgilij in obitu Mæcenatis de morte sic dicentis. *Illa rapit iuuenes prima florente iuuenta, non oblita rapit, sed tamen illa senes.* Hinc maxime admiror, quod aliquando ab aliquibus dicitur de aliquo puero, vel puella immature mortua; videlicet, illos ante tempus mortuos fuisse. Quomodo ante tempus quis mori dici poterit, si tempus omne morti propinquum est? Si vita nostra vitrea est si vmbra est, si flosculus est, & cætera quæ de ipsius fragilitate passim inculcantur, quomodo ante tempus amitti dicenda est? In hoc tantum sensu dictum illud poterit aliqualiter verificari, *vt scilicet dicatur quis mori ante tempus à nobis constitutum, præfixum, & desideratum: Nullus enim est qui suo modo non sibi longum vitæ tempus promittat, præfiniat, & exoptet: nullam de tam propinqua morte faciens mentionem. Hoc adeo verum est, vt nõ solum iuniores id faciant, in quibus id minus periculosum videbitur, sed, quod valde dolendũ est, etiam ipsi senes, & longæui hoc vitio tangantur. Dolet id, & inculcat optime D. Ieron. epist. ad Ageruchiam post medium: vbi postquam reprehendit nimiam solicitudinem hominum circa temporalia procuranda, absque vlla mortis memoria, sic inquit: *Ætas optata cunctis non viciniam mortis, sed cassa spe annorum nobis spatia pollicetur: nemo enim tam fractis viribus, & sic decrepita senectutis est. vt non putet se vnum adhuc annum esse victurum: vnde subrepit obliuio conditionis suæ, vt terrenum animal iam, iamque soluendum, erigatur in superbiam.* Hæc eleganter Ieron. Sed quoniam neque hanc consideratio nem, vel admonitionem profuturam video, ad præsens nostrũ festum seu professionem sermonem transferens, dico quod filia huius principis Iairi hodie defuncta est corporaliter: Nostra vero hodie professa hodie moritur etiam, spiritualiter, & fere corporaliter. Quod in professione Religiosus moriatur spiritualiter, idest peccatis, patere potest ex verbis D. Petri 1. Canon. c. 2. illi applicatis, vbi ait Apostolus: *Vt peccatis mortui iustitiæ viuamus.* Hic est finis primus, & principalis.

Vitam sibi omnes promittunt etiam senes

Professio mors est.

1. Petr. 2.

palis Cuiusuis Religionis mori peccato, vitare vitia, & occasiones illorum, bonis semper operibus insistere, quod est mori spiritualiter, cum continua appetitus, & voluntatis propriæ mortificatione. Quod autem Religiosus etiam corporaliter mortuus reputetur, constat ex iure iure ciuili, in quo seu iuxta quod testamẽtum factum à Monacho ante professionem, ipsa superueniente valet, & firmatum est. Vt patet experientia: ergo professio morti æquiparatur. Et confirmatur ex Paulo ad Hebr 9 dicente: *Testamentum non valere nisi intercedat mors testatoris.* Cum ergo Monachi testamentum per professionem validum fiat, professionem ipsam mortem appellare licebit. Et reuera quid aliud est viuere in perpetua castitate, obedientia, paupertate, & clausura, quam quædam prolixitas morti? Et ad propositum professionis Monialis magis in particulari occurrit factũ Iephte Iud 11. circa filiam suam: Quam noster Nicolaus de Lyra, & Arias Montanus ad prædictum locum, dicunt non fuisse occisam à patre realiter seu corporaliter, neque id clare colligi ex scriptura sacra. Idem sentit Pagninus in sua versione, & Vatablus & Capitonus. Hi quinque doctores dicunt, patrem Iephte commutasse mortem corporalem filiæ in mortem quasi ciuilem & moralem includendo scilicet illam in domo separata ita vt neque appareret, neque cum vlla persona colloqueretur, ibique ieiunijs tãtum, & orationi vacaret, sicut videre poteris latius in duobus prius citatis doctoribus. Ego vero imprimis hanc expositionem germanam non sentio, neque conformem nostræ editioni vulgatæ Sixtianæ, quæ sonat oppositum, fuisse scilicet occisam corporaliter, & sic tenendum puto. Attuli tamen talium quinque doctorum expositionem, vt videamus quomodo vita Adolescentulæ intra septa domus inclusæ, ieiunijs & orationi intentæ, valeat pro morte reputari: morte inquam, vt supra tetigi, prolixa & lenta, siue producta, ita vt vero Religioso in perpetua mortificatione viuenti competere proprie possit illud dictum D. Augustini tract. 27. in Ioannem de Lento igne B Laurentij dicẽtis. *Non occisus est cito: diu viuere permissus est, imo tarde mori compulsus est.* Eodem modo Religiosi vita non est mors repentina, vt ita dicam, neque defacto violenta celeriter: est quædam mors lenta & prolongata. De Martyribus in hymno quodam canit Ecclesia: *Mortis sacræ compendio vitam beatam possident.* Compendium

Hebr. 9.

Iudic. 11.

Filia Iephte iuxta aliquos doctores non est à patre occisa.

dium enim mortis passi sunt vt plurimum, vno scilicet ictu, vna suffocatione, iactatione in mari vel similibus compendijs abreuiatis. At Religiosi vita mors est non compendiosa, sed prolongata vt dicebam Est hæc sententia disertis verbis D. Bernar. Monachi, & satis experti in sermone de Octaua Paschæ dicentis. *Est Martyrij genus in quotidiana corporis afflictione.* In historia etiam D. Bern. narratur quod cum princeps quidam Theobaldus latronem famosum iuberet suspendi, D. Bern. accurrens ab eo petijt, vt latronem illum sibi donaret: cumque illi princeps diceret, illum esse latronem multis titulis morte dignissimum ob multa scilicet latrocinia, respondit sanctus se illum velle occidere, in Religione scilicet, morte lenta pænitentiæ. Sicque prædictum latronem sibi donatum habitu suæ Religionis induit, in qua fecit postea magnos fructus pænitentiæ. Ecce quomodo D Bern. Religiosam vitam, mortem æstimat. Pater N. Franciscus ob solam obedientiam perfecte obseruatam, dicebat fratrem quemlibet esse mortuo similem. Vt enim habetur lib.1. Chron. c.28. 1. part. sic describebat perfectũ obedientem. Ille enim Pater sanctissimus citato loco dicebat. Hominem mortuum si sedere facias, non murmurat: si illum pungis, aut verberas, si oculos illi claudis, si cibum negas & similia, ad hæc omnia non respõdet, non resistit. Talis est perfecte obediens similis mortuo esse debet: si enim illum sedere, surgere, non manducare, iubeas, si verberes, si punias, si cibum adimas, adinstar mortui se habebit, soliusque mandantis voluntatem obseruabit Quod si ex mente tanti Patris sola obedientia perfecte obseruata facit hominem similem mortuo, castitas insuper, & paupertas mortem etiam, vel saltem mortificationem inducent. Huc alludit pictura quædam qua solet depingi perfectus Religiosus velatis oculis pedibus, ac manibus ad stipitem ligatis, ore religato, cum alijs similibus circunstantijs, vt in illo fere nihil videas nisi exemplar hominis pene defuncti Denique in huius rei confirmationem adduco D Ambros. tom.5. serm.47. infer. 2. hebd. sanctæ, de cuius mente Religio quæcumque vocari potest, ager ille sanguinis, emptus in sepulturam perigrinorum, Matth.27. citato enim loco, quærens Ambros. quis sit ille ager, vel potius qui sint illi perigrini quibus emptus est ille ager, sic ait. *Perigrinis inquam, qui erant sine domo, sine patria, & toto orbe exules, &c* Et paulo

Latronẽ D.Ber. ad habitum Religionis assumpsit.

Obediẽtia perfecta facit monachum mortuo similem.

Matth.27

Religio est ager sanguinis.

paulo post ait. *Istos autem perigrinos, quos esse dicimus, nisi deuotissimos Christianos, qui renunciantes sæculo, & nihil possidētes in mundo in Christi sanguine requiescunt:* Hæc Ambros. vbi satis innuit peregrinos illos quibus emptus est ager sanguinis, in sensu morali posse intelligi Religiosos, & ex consequēti Religionem esse agrum sanguinis. Et re vera ager sanguinis quæuis Religio multis de causis dici poterit. Prima, quia Christi sanguine, seu meritis specialiter irrigatur, ibidem Christi sanguine copiosius operante multa, & varia virtutum, ac meritorum genera. Secunda ob sanguinem multum ibidem effusum per cōmunes, & particulares pænitentias, flagelationes, &c. Et ob multos Martyres in quauis Religione repertos. Tertia, quia in Religione quauis sepeliuntur peregrini fratres, qui vere peregrini sunt, tum quod quilibet ex longinqua, & peregrina regione illūc confluat: tum vel maxime quia omnes Religiosi perigrini sunt, & aduenæ in hoc mundo, præ cæteris Christianis, cum ipsi mundo in speciali præ cæteris renuntient omnes Religiosi.

Diximus hactenus in præcedenti discursu Religiosum esse fere mortuum corporaliter, non autem esse mortuum vere, & realiter; in quo paulisper volo immorari, seu digressionem facere, sæculares admonendo ne putēt Religiosos esse omnino, & totaliter mortuos: nec illos ita velint esse adeo mortificatos, & ab humanis abstractos, vt protinus ijdem sæculares mirentur, clament, & accusent, si aliquid humanum, & fragile ab ipsis Religiosis fieri conspiciant, etenim, vt dixi, mortui non sunt, licet mortificati sint. Sentit diuus Basilius hanc esse sæcularium existimationem, vt scilicet putent, vel saltem velint ipsos Religiosos adeo spirituales esse, vt nihil humanum patiantur, sed veluti mortuos, vel aliam naturam ab humana habentes mortua opera nunquam exerceāt. Pulchre hoc explicat prædictus Pater lib. cōstit Monach. ca. 5 ibi enim suos Religiosos monens vt caute viuant, maxime coram sæcularibus: ait de sæcularibus erga fratres, hoc modo. *Cogitant (id est sæculares) fratres eo quod viuendi institutum mutarunt diuersam plane ab humana induisse naturam. Existimant naturales eorum affectus funditus esse sublatos:* Et paulo infra, de ijsdem sæcularibus cum Religiosum manducantem vident, ait: *Veluti si omnino corporis, ac materia expers esset aut nullum prorsus, aut quam minimum cibum assumere eum volunt: neque illud reputant quod illi bis, aut ter in die crassissimis vtun-*

Sæculares putant quod Religiosi sint insencibiles.

vtuntur cibis, & infinitam carnium molem deuorant, ingentemque supra modum vini vim ingurgitent. Hæc Basilius: ex cuius mente clare videas sæculares adeo notare Religiosos, eosque obseruare, vt tâquam si essent vere mortui nihil humanum, neque fragile admittant. Putât nêpe sæculares quod Religiosi ærei sint, & lapidei nullis laboribus frangendi. Impius ille Pilatus referente, D. Matth.

Matth. 27

cap. 27. cum audiuit Christũ Dominum in cruce mortuum esse, *Mirabatur si iam obiisset.* Quid miraris o scelește, an non Christus Dominus te iubente dire verberatus est cũ nimia sanguinis effusione? Non ne antea in agonia sanguinem sũdauerat, non ne coram te spinis coronatus est, non ne per tres horas sanguinem stillauit sacrosanctum Corpus illius per foramina quatuor clauorũ, vt mirari posses quomodo tandiu viueret? Cur ergo admiraris si iam obiisset? Existimant nempe sæculares, quod sancti viri, & Religiosi lapidei sunt, vel ferrei.

Pilatus admirans Christum obiisse.

Vos igitur alloquor, & præmoneo, sanctos, & fratres sæculares ne putetis nos in professione diuersam induere naturam, vel ipsam humanitatem mutare: solũ habitum mutamus, non naturam: Non affectus seu passiones deponimus aut mutamus, sed contra illas specialiter pugnare proponimus: & in hoc Religiosi dissimiles sũt sæcularibus, quod hi, vt D. Basil aduertit citato loco non student diligenter appetituum passiones frænare, sed sexcentis quotidie vitiosarum affectionum telis transfiguntur: illi vero ex instituto regulæ, exercitij, ac prælatorum ductu contra illas militant, & vincere conantur assidue. Præterea Religiosi vt plurimum sunt Domini suarum passionum: at è contra in sæcularibus vt plurimum passiones dominantur eorum. Sic innuit August. lib. de agone Christiano explicans illa verba Christi Domini, *Venit princeps huius mundi, & cæt.* Reddensque ibi causam ob quam diabolus dicatur princeps huius mundi, dicit. *Non quia in se Dominus est huius mundi, sed princeps cupiditatum earum, quibus concupiscitur omne quod transit.* Sic August. Nõ sumus Religiosi confirmati in gratia sicut Apostoli, vt desinatis admirari si aliquando Religiosum aliquem à perfectione cadere videatis.

Sæculares vincuntur à passionibus.

Cum vidisset tibicines & turbam tumultuantem, dicebat, Recedite & cæt. S. Gregor. lib. 18. Mor. ad illa verba Iob: *Et mare dicit, non est mecum.* Causam reddit ob quam Christus Dominus antequam puellam istam reuocaret ad vitam, turbam tumultuantẽ prius foras eiecit. *Nisi enim, ait ex corde*

corde prius eiecta fuerit importuna sæcularium turba curarum, anima quæ intrinsecus iacet mortua, non resurgit. Sic il. c. Si vero adhuc inquiras cur anima mortua non resurgat durante in illa strepitu curarum sæcularium, idem sanctus alibi causam assignans ait, hanc esse, quia scilicet, *Anima inter tumultus, ac rugitus temporalium negotiorum non audit, nec percipit internas inspirationes sibi à Deo immissas.* Pulchre id ipsum docet Augustin. super Psal. 49. ad illa verba. *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* Quærit enim Augustinus, cur Dauid non audiret illud quod iam intra se loquebatur antea Deus Et respondet. *Loquebatur in illo Deus intus, & mundus faciebat strepitum foris.* Et paulo post, ait, *Quod vt Dauid audiret cohibebat se à strepitu mundi, &cæt.* Si duo homines ad inuicem colloquuntur iuxta maleatorem ferrarium, præ nimio strepitu adinuicem verba non percipiunt, eaque de causa illos oportet inde secedere. Pro conclusione ergo præsentis loci, ait Gregor. citato prius loco: *Quid maris nomine nisi sæcularium amara inquietudo signatur?* Ita nempe est: de sæcularibus dici potest quod viuunt in vastissimo & inquietissimo mari curarum. Similes enim sunt cogitationes variæ à quatuor passionibus in nobis causatæ, & mentem nostram inquietantes. Similes inquam sunt inquietis fluctibus à quatuor ventis in mari excitatis. Eleganter hoc expressit Poeta quidam apud Nauar. in sum. Latina in principio videlicet præludio quinto sic dicens.

Mundi tumultus nō sinit inspirationes diuinas audire.

Quatuor aduersis miscentur vt æquora ventis,
Sic totidem nostras ingenti turbine mentes
Subuerti furijs, pectusque in prælia mitti.
Spes leuat arrectos, metus alto à vertice fluctus
Deijcit, hinc animum pulsat furibunda voluptas,
Inde dolor &cæt.
Nec radios fundit ratio, nec vela gubernat.

Vide quæso quot tumultibus procellarum, & passionum vt plurimũ anima in sæculo iactatur, & quatitur, ac proinde si in tali tempestate Dei voces audire valebit? Ad hunc finē Oseæ 2. dicit Deus de anima cuius saluti cupit intendere, *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Hæc igitur duo exactius adimplet is qui sæculo renuncians Religionem quærit: is enim & mundi inquietam perturbationem fugit, & Religiosam quietem inquirit vbi Dei voces, imo inspirationes, audiat, & exequtioni mandet. Hic nempe est, qui quod

Mundi inquietudo.

Osea. 2.

quod attinet ad mundi inquietudinem vitãdam, Religionemque ingrediens, merito versiculum illum poterit decantare:

Inueni portum, spes & fortuna, valete.

Et vere Religionem intrans portum quietum inuenit, vbi valedicit omni spei terrenæ, bonis fortunæ, seu potius, varios fortunæ ictus, & euentus contemnit Et in hoc tranquillo portu ita ad vnguem voces Dei audit, vt non solum eius præcepta, sed inspirationes, & Dei beneplacita libenter audiat, & exequatur. Ipsa praxis hoc sufficienter probare videtur. In sæculo homines vt plurimum illa sola faciunt, ad quæ sub præcepto se teneri intelligunt. (Et vtinam hæc recte exequerentur) exemplum sit: quæritis an in Ecclesia Parochus tali die ieiunium indixerit, an obseruandum præceperit, aliàs scilicet non facturi: idem cernere licet in præcepto annuæ confessionis, ad quam forte in quadragesima multi non accederẽt, nisi metu excommunicationis coacti: de alijs bonis operibus maxime afflictiuis, quomodo his sponte incumbatis, vos ipsos testes appello. At in Religione videte qualiter Dei voces, præcepta, & consilia, imo desideria audiantur, & obseruentur: quot spontanea ieiunia, quot voluntariæ confessiones: quot genera pænitentiæ libenter fiunt? Quot diuinis inspirationibus Religiosi obediunt: & quot bona opera, ad quæ non tenentur voluntarie exercent? Ecclesiastici 2 dicitur: *Qui timent Dominum inquirent, quæ beneplacita sunt ei* Vbi nota verba illa, *Beneplacita sunt ei.* Non enim dicit timentes Dominum, timore scilicet filiali, exequi, & inquirere illa quæ sunt præcepta Dei, sed illi beneplacita, quasi somnient, & inquirant in quibus Deus sibi bene complaceat, vt illa exequantur Hoc præstant Religiosi, vt patet ex proxime dictis. Et potest adhuc id clarius explicari comparatione filij, & serui. Hic enim cum Dominũ suum non diligat amore particulari, neque illi deuinctus sit amore naturali, illa solum exequitur, quæ expresse iubentur. Filius autem, qui tot titulis amore paterno vincitur, non solum expressa mandata patris implet, sed etiam patris desiderijs, & intentionibus cupit obtemperare. Sic puto dici posse vt plurimum, quod Religiosi vt filij, sæculares vt serui Deo seruiant. Dixi vt plurimum, quia bene video aliquando multos sæculares perfectiores esse, quam sint aliqui Religiosi, licet id non eueniat ratione status, sed quia Spiritus Sanctus vbi vult spirat, & cu-

Religiosi & præcepta, & inspirationes diuinus obseruãt.

Eccl. 2.

& cuiuis homini in quouis statu non desinit suæ misericordiæ imbrem iuxta suum beneplacitum impertiri.

Non est mortua puella sed dormit. Quæri potest quæ causa sit, vt Scriptura sacra mortem nostram aliquando somnum, & dormitionem appellet? Hoc loco id clare vides: Ioann. 11. de Lazaro amico Christi dicitur. *Lazarus amicus noster dormit*, id est mortuus. Act. 13. de Dauide sancto dicitur quod *Dormiuit, & appositus est ad patres suos*. Psal. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum*, id est mortem, *ecce hæreditas Domini.* In quibus omnibus locis mors vel somnus, vel dormitio appellatur. Cum aliás Aristoteles dixerit mortem esse maximũ omnium terribilium. Ego, saluo meliori iudicio, hanc causam reddo; Scripturam sacram vt plurimum, quando mortẽ somnum appellat loqui vt plurimum de morte Sanctorum virorum. & his mors est somnus, & suauis; at improbis peccatoribus mors est afflictio, & tormentum. Hoc probo ex omnibus citatis locis, vbi de morte sanctorum virorum agitur, idemque credo de hodierna puella pie credi posse mortuam scilicet in gratia. Quod ergo mors viris Sanctis sit somnus, & suauis, improbis vero è contra: ostendo primo hac comparatione. Morsus apis nobis acerbus est propter aculeum, seu stimulum morsui infixum: at si apis iam forte aculeum deposuerat, vel exuerat, iam eius morsus nec lædit, nec affligit, imo eius aspectus, vel nomẽ charum est. Hoc posito constat mortis aculeum ob quem molesta est, esse peccatum, testante Paulo ad Corinth. 1. cap. 15. *Stimulus autem mortis peccatum est.* Quasi causam assignet ob quam seu mediante qua mors sit mors, & affligens; & hæc causa sit peccatum repertũ in morte. Consonat dictum in illo Cantico, *Te Deum laudamus*, Augustini, vel Ambrosij ad Christum Dominum. *Tu deuicto mortis aculeo (id est peccato) aperuisti credentibus regna cælorum.* Cum ergo mors ratione solius peccati in moriente reperti aculeum, & stimulum, seu afflictionem inducat: sequitur quod si in moriente peccatum non inueniat, iam non stimulabit, non punget, sed veluti fructuosa apis somnum, & prouentum importabit. Hæc est causa, ob quam sancti mortem optabant, & inuocabant: adeo vt sanctus Iob cap 17. putredinem, & vermes in quos conuertendus erat, patrem, matrem & sorores appellauerit, quod fuit magnum amoris indicium erga mortem. Hinc

Marginalia: Mors cur aliquãdo dicatur somnus. — *Ioan.* 11. — *Act.* 13. — *Psal.* 126. — Mors est velut apis. — 1. *Cor.* 15. — *Iob* 17.

igitur colligo pro doctrina: vis mortem non timere? Time peccatum, vince peccatum per contritionem, & confessionem, mortis aculeum euacuabis, & extingues, nec proinde mors tibi mors acerba esse poterit sed somnus. Sed quoniam hoc etiam viris Sanctis me posse persuadere diffido ad nostrum festum, & professionem me conuertés, dico nouam hodie puellam profitentem non esse mortuam, sed dormientem: id est quanuis supra dixerim vitam Religiosi cõparari morti prolixæ, si tamen consideremus, quot, & quantas consolationes Deus suis Religiosis in isto agone concedat inueniemus ex alia parte, talem vitam non mortem sed somnũ, & spiritualis consolationis maximam causam esse, & proinde professa puella in ista laboriosa vita non mortua, sed dormiens reputanda est. Ego hoc probo ex D Paulo 1. ad Timoth. 5. vbi ait: *Quod vidua, quæ in delitijs est, viuens mortua est.* Hinc ego arguo ab opposito, ergo puella quæ in pænitentia propter Deum est, mortua viuens est. Consonat dictum Bernardi serm. super *Ecce nos reliquimus omnia*, quem totum fere Religiosis applicat, vbi inter cætera sic inquit. *Fuit omnino diuinæ largitatis, vt non solũ æternæ vitæ præmium proponeret, sed etiam huius vitæ spiritualia gaudia promitteret.* Ecce D. Ber. affirmat Christum Dominum mundo renunciantibus; quales sunt Religiosi, etiam in hac vita spiritualia gaudia promittere, ac largiri. Si Diabolus se sequentibus, suæque voluntati obsequentibus aliquando consolatiunculas terrenas (licet falsas) promittit, & procurat, quanto magis de Diuina, & infinita liberalitate, etiam in hac vita, æquũ est sperare illos, qui se totos diuino mancipant obsequio? De his consolationibus animæ Religiosæ cum Deo vnitæ, & absortæ, poterit intelligi quod dicitur Cantic. 2. *Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitatis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Tales sunt videlicet consolationes veræ Religiosæ, quæ omnino mundana contemnens soli spõso Christo inhæret, qua de re multa exempla suppeterent, vt Catharinæ Senensis, Beatæ Claræ, & similium. E contra vero si hodie liceret intueri vel audire clamores coniugatarum mulierum, quæ multis videntur in trãquillo, ac florenti statu viuere, cerneres illas non viuere, sed mori, & in illa sua vita mortuas esse, quod idem suo modo de viris etiam coniugatis debet intelligi. Huc ego imprimis applico illud Christi Domini Luc. 22. cũ conuer-

Consolationes Religiosi.

1. Tim. 5.

Cant. 2.


Coniugatorum tribulotiones.

Luc. 22.

conuersus ad mulieres se sequētes dixit, futurum esse, vt diceretur: *Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt*. Tot enim aliquando tribulationes, angustiæque vxoratam fæminam, vel virum circundant, ex inopia, ex filiorū multitudine, scandalis ipsorum, & similibus, vt dicant, o vtinam matrimonium nunquam contraxissem. Testis est etiam Iouinianus hæreticus, qui teste nostro Castro, aduersus hæres. verbo virginitas hæres. 1. cum assereret virginitatem non esse meliorem quā matrimoniū (quod est hæreticum) & quanuis ob hoc eius dictum multæ virgines Deo sacratæ nupserint eo tempore, ipse tamen noluit nubere, sed retento Monachatu quasi Monachus vixit non quod crederet, statum continentiæ esse meliorem, sed ne nuptiarum pateretur molestias. Id quod etiā comprobatur ex communi dicto Doctorum Iuristarū, & Theologorum asserentium in materia de matrimonio, fæminam nupturam debere afferre dotem ad sustentanda onera matrimonij. Non dicunt, onus matrimonij, sed onera, sunt enim onera, & multa onera obligationes illius. His omnibus oneribus liber est Religiosus, ac Religiosa, vt cogitent solum quæ Domini sunt, illique tantum placeant, & orēt pro nobis, & Ecclesia Dei, & nobis impetrent à Deo, vt hic nobis det gratiam, & postea gloriam. Amen.

Iouinianus hæreticus noluit nubere.





SERMO XV.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI, QVAM Kalendam Religiosi vocant.

Et Verbum caro factum est. Ioan.c.1.
Ioann. cap. 1.


DE Philosopho illo Platone, (qui ob naturalis intellectus acumẽ Diuini titulũ meruit) narratur quod non potuerit assequi, seu intelligere animam rationalẽ esse verã formã hominis, carni humanæ vnitã, sicut verã formam. Ac proinde dixit in Alcibiade animã rationalẽ nõ esse verã formã hominis: sed illã vniri corpori humano sicut nauta vnitur naui quam gubernat: aiebatque sicut ex nauta, & naui nõ fit vnũ compositum per se: sic etiã ex anima, & corpore non fieri vnũ ens per se, sed animã ex eo quod corpus gubernat, ac mouet, vniri corpori sicut nauta cum naui vnitur, quæ non est propria vnio. Hunc errorem confutant Philosophi cum Aristotele ad lib. 2. de anima ca. 2. In hunc errorem videtur Plato inductus, ex consideratione vilitatis, & fragilitatis corporis humani: cum enim anima sit spiritus nobilissimus, corpus autẽ quasi lutum corruptibile; non capiebat quomodo spiritus posset cũ luto vniri tanquam vera forma illius. Et reuera tanta est corporis humani vilitas, ac fragilitas, vt Diuus Paulus illud vocet corpus miseriæ: sic enim intelligenda sunt illa ipsius verba

Plato non potuit assequi quomodo anima rationalis vniretur corpori.

Rom. 7.

Rom. 7. verba ad Rom. 7. *Quis me liberabit de corpore mortis huius*, id est miseriæ huius. Eius inquã vtilitas & miseria tanta est, vt nobis ipsis recte considerantibus tædiũ, horrorem, ac molestiam afferant, iuxta illud Iob cap. 7. *Et factus sum mihimetipsi grauis:* quæ verba licet in alio sensu ibi accipiãtur: etiam ad præsentem possunt trãsferri. Itaque Plato videns extremorum dissonantiam corporis scilicet vilitatem, & animæ nobilitatem, contra id quod nostra fides docet, dixit animam vere non vniri corpori sicut formam illius. Quod si hoc in animæ cum corpore vnione negauit: multo magis negaret potuisse Deum seu verbum Diuinum cum eodem corpore immediate vniri per se: ita vt ex vnione illius cum integra humanitate fieret, ac resultaret verus homo: multo enim magis distantia sunt inter se Deus ipse ratione nobilitatis, &, vt sic dicam, spiritualitatis; & corpus ratione vilitatis; quam distent corpus & anima. Et nihilominus sicut hodie nobis Plato Christianus seu Euangelista Ioannes affirmat, ac fides docet: *Verbum caro factum est*. Quod nihil aliud significat, quam quod Deus, seu verbum Diuinum vnitum sit corpori humano, ac humanitati, non tanquã

Iob 7. (margin)

forma illius, sed tanquam suppositum eius; ex qua vnione factum sit, vt Deus maneat verus homo: & homo maneat verus Deus. Cum autem corpus nostrum sit quasi terra, & caro in Scripturis dicatur terra, si Deus caro factus est: dici suo modo potest: verbum terra factum est. Irrideret profecto Plato, imo impossibilẽ vnionẽ esse assereret. Illo tamen, vt Gentili omisso, nos cum vera fide, & dilecto Ioanne confitemur Deum carnem, seu verum hominem factum Et quidem ipsemet Christus Dominus videns quã difficile creditu futurum esset, hominem esse Deum: seu Deum esse hominem multis argumentis, ac sensibilibus demonstrationibus per totam vitam contendit ostendere, ac probare se esse verum hominem: ad hunc finem multa illius opera directa sunt. Matthæus enim cap. 4. Matt. 4. narrans illius quadragenarium ieiunium in deserto, subdit; *Et postea esuriit*. Non enim esuries reperitur nisi in vero corpore viuente humano Ioann. cap. 4. Ioan. 4. & 19. *ait illum fatigatum ex itinere*. Et cap. 19. *aquæ sitim passum esse*. Luc. 24. Lucas cap. 24. ait illum dixisse, *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere*. Et multis in locis ipsemet Christus se appellat Filium

lium hominis, id est, filium mulieris. Denique Diuus Ioannes in sua 1. Canon. cap. 5. postquã dixit tres personas esse quæ in cælo dant testimonium: ait tres etiam res in terra dare testimonium veræ humanitatis Christi: *Et hæc sunt, spiritus, aqua, & sanguis* Spiritus enim ibi significat clamorem validum quem Christus in cruce emisit: sanguis & aqua sunt duo illa elementa, quæ de ipsius latere fluxerunt, post mortem in testimonium quod illud corpus ex veris quatuor elementis & humoribus erat compositum, sicut cætera humana corpora.

1. Ioan. 5.

Iam vero si quæras: & quis potuit talem vnionem efficere, extremorum scilicet adeo distantium, Dei & carnis? Scimus aurifices, vt duo metalla diuersa coniungant vti mixtione, (Lusitane *liga*) & quasi glutine, vt possint colligata manere Ad eundem modum respondeo: solum Diuinum amorem fuisse quasi gluten & mixtionem, quo mediante vnio adeo noua effecta est. Hoc primum ostendo ex symbolo Nicæno quod canit Ecclesia in Missis: cum de Christo Domino dicitur: *Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine.* Cum enim constet, quod Christi Domini caro seu humanitas non fuit effectiue vnita Verbo à solo Spiritu sancto, sed à tota simul Trinitate, eandem carnem Verbo vniente, eo quod opera Trinitatis ad extra sint indiuisa, id est ab omnibus tribus personis profecta: quæ causa fuit, vt id quod tota Trinitas fecit, incarnationem videlicet: dicatur factum à solo Spiritu sancto? Ratio redditur à Theologis, quia cum opus incarnationis fuerit summum, ac supremum opus amoris Diuini, & Spiritus sanctus in Diuinis, & in Scripturis dicatur amor, & charitas, ideo incarnationis opus toti Trinitati commune, apropriatur amori Spiritui sancto, quasi amor Diuinus, summus, ac supremus, causa fuerit & gluten quo mediante extrema hæc verbum & caro fuerint vnita. Hoc ipsum in terminis dixit Isayas cap 9. vbi postquam claris, & apertis verbis verbi incarnationem, & Christi Natiuitatem prædixit illis verbis: *Paruulus natus est nobis, & fileus datus est nobis,* subdidit. *Zelus Domini exercituum faciet hoc*, id est huius incarnationis, & Christi Natiuitatis, non erit alia causa, nisi zelus Domini: iam vero zelus, vt Diuus Thomas ait 1. 2. quæst. 28 artic. 4. *Nihil aliud est quam amor intensus non patiens consortium in re amata.* Vbi etiam ait ex Diuo Augustino.

Amor Dei fecit vnionẽ verbi cũ carne.

Incarnatio quomodo dicatur facta à Spiritu sancto.

Isa. 9.

Zelus quid sit?

no. *Zelum esse amorem intẽsum quo mediante pellimus contraria impedimenta circa opus intentum.* Hoc ipsum cernimus in opere hoc admirabili; á solo Diuino amore processit, & amore non quouis, sed á zelo intentissimo, per quẽ Deus nec in tali opere voluit habere consortem Angelum: & per quem zelum ipse Deus vicit impedimenta, peccata scilicet, quæ possent opus intentum impedire. His consonat illud ad Ephes. 2. dictum de opere Incarnationis. *Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos Deus.* Nota verbum *Nimiam*: videtur enim Deus in hoc solo opere nimius fuisse, & quasi excessisse: & hoc, (sicut Paulus ibidem ait) fecit: *Vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu.* Sic ibi quo nihil clarius, & maius dici potuit; ad opus Incarnationis commendandum.

Ephes. 2.

Porro vsitatum etiam valde est, vt quotiescunque per nouam vnionem diuersa, & disparata extrema vniuntur, ex tali vnione resultent noui & admirabiles effectus, & quasi nouitates, & aliquando monstra. Hac de causa in aliquibus picturis, Africa dicitur parens nouitatum, quia scilicet, cum illa valde arida sit, & aquis careat; ad aliquas paludes confluunt varia animalia bibendi causa; & ibi diuersæ species animalium ad inuicem coeuntes producunt noua animalia, leopardum, satyros. & monstra similia. Ad eundem modũ hodie ex eo quod caro & Deus vnita sunt, hac tam noua, & insitata vnione; quid ni videas rerum naturas mutatas; nouos effectus consurgere, & (si fas est dicere) monstrosos. & prodigiosos effectus resultare: Habemus fere huius doctrinæ authorem Dauidem Regẽ Psal. 45. illis ibi verbis: *Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella, &c.* Vbi colligo sermonem esse de Incarnatione, seu Christi natiuitate, ex verbis proxime præcedentibus videlicet, *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.* Dominus enim per incarnationẽ nobiscũ habitauit; & id sonat nomen Emanuel nobiscũ Deus. Ait ergo Dauid, per incarnationẽ qua Deus nobiscũ habitauit, posuit Deus prodigia super terram: *Auferens bella vsque ad finem terræ*; quia scilicet natus est toto orbe in pace composito, & cæt. Quid non prodigium vocemus per opus Incarnationis factum esse, vt vnus homo esset verus Deus & Deus esset verus homo? olim nostro modo intelligendi, poterat Deus quasi dedignari, &

Vnio extremorũ distantiũ causat nouitates.

Africa cur dicatur parens nouitatum.

Psal. 45. Nouitates resultantes ex misterio Incarnationis.

confundi esse se Deū hominis; quale ergo prodigiū est, vt iam non modo non cōfundatur esse Deum hominis, sed esse verū hominē? Habemus huius dicti vestigiū apud D. Paul. ad Hebr. 11. ibi enim recensita fide & obsequijs quæ Noe, Abraham, Isaac, & Iacob, Deo exhibuerunt, ait: *Ideo nō cōfunditur Deus, vocari Deus eorū.* Quasi innuat Paulus cæterorum hominum, tum ob peccata grauia, tum ob vilitatē naturæ humanæ, posse Deū certo modo confundi vocari Deum Ecce igitur, iam non poterit Deus cōfundi esse, vel vocari Deū hominū, qui dignatus est esse ipsum verū hominē. Quid non prodigia vocemus Deū ex Incarnationis opere, esurire, sitire, fatigari, flagellari, ac denique mori? Nōne Aristoteles nos Christianos rusticos hac de causa appellaret, maiori iure, quā dicitur vocasse Moysē rusticū, ex eo quod dixerit mundū hūc nō fuisse ab æterno, sed in principio creatū Gen. 1. Et tamen fides Catholica has omnes nouitates, & prodigia tanquam certissima docet: quæ omnia causata sunt ex illa noua vnione qua Verbum caro factum est. Vnde D. Ieronymus ad illa verba Ieremiæ 31. de Incarnatione dicta: *Creauit Dominus nouum super terram, Fæmina circundabit virum.* Sic ait: *Vere nouum, & omnium nouitatum supereminens nouitas virtutum, &c.*

Hebr. 11.

Potuit Deus confundi, & fere dedignari se esse Deum hominis.

Ierem. 31.

Nonne prodigium honoris homini accreuit ex opere Incarnationis, eo quod ex illo homo quilibet Deum fratrem suum, & proximum suum vocare merito possit? Quod enim hæc excellentia maxima sit, & præ cæteris æstimāda, ego colligo ex eo quod scribit Leo Papa serm. 6. de Natiuitate: ibi enim ponderat, inter omnia dona hominibus à Deo collata hoc vnum esse maius, quod scilicet homo possit Deū vocare Patrem, & quod Deus hominē vocet Filiū, quæ ambo ex opere Incarnationis resultarūt. Verba autē tanti Pontificis & Doctoris audiamus, quæ sunt ista. *Magnū est dilectissimi huius muneris Sacramentum, & omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet Filium, & homo Deum nominet Patrem.* Sic ille. Quod & ego ostendo clarius, (quanta scilicet sit nostra excellentia Deum vocare Patrem.) Ex eo quod Mater Ecclesia in celebratione Missæ post secundam hostiam iubet nos dicere, antequam proferamus initium orationis Dominicæ, Pater noster, præmittuntur enim ibi hæc verba: *Preceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere, Pater noster* Quasi dicat, si à Christo

Deū esse fratrem nostrum per incarnationē quantus sit nobis honor?

Deū esse Patrem hominū quātus sit honor?

Domino filio tuo non haberemus præceptum, diuinamque ipsius institutionem, & doctrinam vt te, Deus, vocaremus, Patrem, audacia prorsus esset nostra, & temeritas, vt homuncio Deum vocaret patrem: nunc autem, & â Christo iussi, & edocti audemus dicere: Pater noster. Ecce quantus sit honor & excellentia Deum vocare patrem. Nunc autem ad propositum nostrum applicantes dicimus: si tantus honor est Deum vocare patrem vt iuxta Leonem Papam, excedat omne donum: Quantus é contra honor, & confidentiæ occasio erit, eundem Deum vocare fratrem? Per hanc porro vnioné verbi cum carne: Deus verus homo frater noster est, & proximus noster est. Ipse namque Christus Dominus se proximum nostrum nominauit Luc. 10. in illa parabola saucij Samaritani, qui incidit in latrones. Itaque Angelus seruus Christi est: homo autem est frater & proximus illius. Fratrem suum Christum iam olim sponsa vocauerat, ac desiderauerat Cant 8. dum suspirans dixit. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & iam me nemo despiciat?* Quæ verba appositissima sunt ad præsens inrentum ac misterium. Desiderabat enim Ecclesia verbum factum carnem, seu Christum à Virginis vberibus pendētem, vt iam non despiceretur ab Angelis, sed per incarnationis commercium humana natura ad tantam celsitudinem eueheretur, vt homo Dei filius, & frater posset appellari. Nec tantum vt frater noster, Christus Dominus hodie natus est. Sed etiam fere vt seruus noster, natus est. Video consonantius esse rei Theologicæ Christū Dominum absolute non appellare seruum Patris æterni, sed solum quatenus homo est, sic enim disputant doctores cum D. Tho. 3 p q. 20. ar. 2. nec proinde simpliciter seruus hominis dicēdus est, cum & Angeli, & homines sint serui Christi etiam quatenus homo est. Video tamen Matth. 20. & alibi dictum ab ipso Christo Domino, *Quod non venerit ministrari, sed ministrare seu seruire.*

Cant. 8.

Secundus effectus, seu fructus & vtilitas ex hac vnione resultans, est in credilis terror diaboli quem concipit auditis his verbis, *Verbum caro factum est*, & ingens gaudium homini inde resultans. De primo, terrore scilicet per hoc opus, & verba diabolo incusso, mirum est quam diabolus timeat hæc verba audire! liceat hoc comprobare ex alio sermone Calendæ: Refert noster doctissimus Pisa in suo lib.

Incarnatio terror diaboli, & gaudium hominis, Et de hoc pulchra historia.

lib. confirmitatum vitæ Patris nostri Francisci cum vita Christi Domini secunda parte conformit.8. & Chronica Ordinis lib.2. cap.6 quod cum duo Religiosi Minores per obedientiam iussi in vigilia Natiuitatis per desertum nocte incederent, nec iam viam, nec semitam inuenirent cymbali sonitu audito in illo deserto, accurrentes, inuenerunt monasterium, quod Deo imperāte ibi ædificatum est per dæmones, ad Religiosos obedientes hospitio recipiendos. Cumque hospitio, ac refectione corporali refecti essent, à præposito monasterij, frater minor senior rogatus est, vt in laudem tanti festi, vellet prædicare calendam illis suis Religiosis, sicut mos erat in omnibus Religionibus. Frater autem Minorita gratus, & obtemperās, cæpit vt potuit pro sua tenuitate, ad prædictos Religiosos sermonem facere. Cumque in discursu sermonis tangeret hæc verba: *Et Verbum caro factum est*: cæperunt Religiosi illi, seu dæmones assistentes, vnus post alium exire à cætu: donec tandem solus præfectus remansit. Hic ultimus frafratrem nostrum breuiter sic allocutus est. Nos omnes dæmones sumus: obediuimus Deo vt hoc monasterium phantasticum ædificaremus vestri solius hospitij gratia. Vbi primum vero pronuntiasti in tuo sermone. *Et Verbum caro factum est*, non possumus hic amplius immorari quia talia verba nobis grauem terrorem incutiunt. Et hoc facto ipse cum tota fabrica monasterij euanuit; ecce quomodo, terreantur dæmones audito hoc mysterio, & verbis: *Verbum caro factum est*. In libro qui dicitur Malleus maleficarum, par.2 q.1. refertur, quod cum tres viri simul iuncti per viam incederent, fulmen è Cælo cecidit, & statim duos ex illis occidit. Tertius autem viuus remanens cum rei euentum spectaret, & pauidus simile periculum impendens timeret, audiuit in aere multorum dæmonum voces adinuicem dicentium; occidamus, & statim tertium: ad quam vocem alter dæmon socius in aere respondit: non possumus quia hodie, *Verbum caro factum est*, audiuit. Alludebat scilicet ad hoc, quod prædictus tertius homo remanens, illa eadem die Missam audiuerat, in cuius fine dicuntur hæc verba: *Et Verbum caro factum est*. Causam huius rei nos videtur docuisse Deipara Mater in suo illo cantico *Magnificat*: vbi de mysterio Incarnationis verba faciēs, dixit: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui*. Quasi dicat. In hoc opere Incarnationis quod in me Deus facere dignatus est: fecit potentiā, id est

Missam audire quam vtile?

Luc. 1.

vsus

vſus eſt ſua omnipotentia,& extendit brachium ſuum ad opus adeo difficile patrandum. per quod opus, & potentiam ſuperbos dæmones diſperſit, terruit & profligauit. Cum etiam inuidus, nullo alio magis crucietur, & marceſcat, quam viſa, & conſiderata nimia fælicitate illius, cui inuidet. diabolus homini inuidens, viſa & audita nimia hominis fælicitate, quam ſortitus eſt, per hoc quod, verbum caro factum eſt: marceſcit, terretur, & aufugit, ne tantum bonum audiat illius, cui inuidet De ſecundo autem quod diximus gaudio ſcilicet, ac lætitia quæ homini contigit ex hoc admirabili miſterio Sufficiat audire ſanctũ Leonem Papam ſerm 1. de Natiuitate Domini. Sic dicentem. *Neque enim fas eſt locum eſſe triſtitiæ vbi natalis eſt vita. Exultet ſanctus quia appropinquat ad palmam: gaudeat peccator quia inuitatur ad veniam, animetur gentilis quia vocatur ad vitam.* Hæc ille. Huc etiam ſpectat quod ab Angelo Luc. 2. paſtoribus dictum eſt: *Annuncio vobis gaudium magnum &cæt.*

Inuidus tortus fælicitate eius cui inuidet.

Luc. 2.

Sicut autem hæc verba, *Verbum caro factum eſt* nobis gaudiũ & lætitiam ingerunt ita neceſſe eſt in nobis amorem cauſent & gratificationem erga Deum ob tam incomprehenſibile beneficium. Video matrem Eccleſiam hoc nos voluiſſe docere in eo quod nos facere docet, ac iubet, audito hoc verbo: *Verbum caro factum eſt*: Siue, *Et incarnatus eſt*: nempe genuflexo reuerentiam exhibere, conſideratione namque dignum eſt, quod cum ſæpius alia Chriſti Domini miſteria, ac beneficia nobis collata narrentur, & audiantur, vt quod flagellatus ſit & mortuus, in quibus nos redemit: non genuflectimus Chriſto Domino, vbi in Miſſæ ſymbolo Nicæno dicitur, *Et incarnatus eſt*: ſiue in fine, *Et verbum caro factum eſt*: profunda nos humiliatione iubet flectere genua, fere innuens ob incarnationis beneficiũ magis nos Deo eſſe deuinctos, quam ob alia: quia videlicet, incarnatio fuit fons, & origo cæterorũ omnium Chriſti factorũ. Conſonat huic intento prodigioſa illa, & pluſquam miraculoſa tranſlatio domus Deiparæ matris, quæ hodie Lauretana vocatur prope Anconam in Italia ſita, quam ego meis oculis vidi, & palmis dimenſus ſum. Hæc enim domus in qua Deipara mater habitabat in Nazareth, & in qua verbum diuinũ Angelo nunciante cõcepit, Angelorum miniſterio à Nazareth per aerem ſupra Latum mare Meditarraneum ad tria loca ter fuit tranſlata, vſque dum prædicto modo loco requieſceret.

Soli beneficio incarnationis genuflectemus.

Lauretanæ domus in qua verbũ incarnatum eſt, tranſlatio trina quid ſignificet?

In

In qua miraculosa translatione considero, Deum Opt. Max. apud Turcas alia sacra loca reliquisse, neque adeo illa curasse, sepulchrum scilicet, & alia sanctuaria in quibus sæpe sedit, dormiuit, manducauit &cæt. Hæc inquam omnia apud Barbaros reliquit. At vero domum illam, in qua verbum caro factum est, tanta prouidentia ter miraculose transtulit per tam longinqua spatia: & inter Christianos collocauit, vt videlicet ob oculos semper haberēt occasionem recordandi tanti beneficij incarnationis: nec possent vnquam obliuisci tanti beneficij, intuentes oculis domum, in qua verbū caro factum est. Quod si in hoc negligentes fuerimus: digni profecto erimus qui ab ipso dæmone tanquam ingrati arguamur, imo & puniamur. Refert Abulens. q. 32. in prologum Mathæi scriptum se reperisse in historijs fidedignis: quendā Religiosum indeuotum, ac tepidum, non fuisse solitum genuflectere ad ista verba in Euangelio audita: *Et verbum caro factum est.* Quæ Religiosi indeuotio, & irreuerentia adeo ipsi dæmoni displicuit, vt recitato eodem Euangelio & verbis, Religiosoque in sua irreuerentia permanente: diabolus eundem grandi alapa percusserit in facie, dicens. Genuflecte miser, & insane: nam si, quem ad modum dicitur verbum caro factum est: diceretur, & verbum diabolus factum est: perpetuo, & in æternum omnes diaboli genuflecterent in tanti beneficij gratificationem. Quo nihil efficacius potest audiri ad confusionem nostræ indeuotionis. Ad hoc alludens D. Bernar. serm. 2. super Cantica: comparans suspiria, & desideria patrū veteris testamenti quibus in sola spe incarnationis misterium optabant, petebant, & lacrymis obsecrabant, comparans inquā hæc desideria cum tepore nostro hodie quibus iam idem beneficium in re fuit exhibitum, mæstus mellifluus Bernar. ait. *Pudet teporis torporisque miserabilium temporum horum: cui namque nostrum tantum ingerat gaudium gratia huius exhibitio, quātū veteribus accenderat promissio?* Sic ille.

Diabolus percutit alapa Religiosum trepidum circa incarnationem.

Et verbum caro factum est. Communis expositio ad hunc locum est: quod licet verbum diuinum non sit vnitum soli carni seu corpori, sed toti humanitati, diuinus tamen Euangelista, inter alias causas, ideo dixit verbum vnitum carni, vt ex vilitate carnis magis pateret, ad quam humilem statum verbum diuinum se abiecit, qui non dedignatus est carnem fieri: in quo se quodammodo exinaniuit iuxta Paul. ad Phil. 2.

Cur verbū dicatur factum caro & non homo?

Phil. 2. & profundissime humiliatum est Huic vero videtur obstare, & quasi contradicere: quod Ecclesia in hoc festo ad vesperas canit *Rex pacificus (idest Christus natus) magnificatus est*. Et consonat illud Cantic. 3. *Videte filiæ Syon Regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius*. Quē locum fere omnes doctores exponunt de incarnatione, & de corona carnis qua verbum ornatum est: & ad illum carne indutum, coronatumue spectandum sponsa inuitet, quasi ad spectaculum Magestate dignum. Quomodo ergo verbum quasi humiliatum est ad carnem: & e contra ibidem magnificatum, & coronatum est? In gratiam Religiosorum dico: vtrumque verū est: nam & opera humilitatis nō infamant sed magis exaltant. Et proinde, quo magis verbum ad carnem humiliatum est, magis fuit exaltatum. Opera obedientiæ, & humiles abiectiones Religioso iniunctæ, vel propter Deum susceptæ quantumcunq; abiectæ sint, non auferunt honorem, sed multo magis adaugent. In eodem Christo Domino clarius id videre liceat, qui propter opus in quo magis fuit humiliatus, & infirmatus, mortem videlicet crucis, maiorem excellentiam est assecutus, vt scilicet

Phil. 2.

Cant. 3.

opera obedieti e nō infamant sed honorant.

in nomine illius omne genuflectatur, & cæt. ad Phil. 2. docuit nos ipsum Diuus Pater Basilius Religiosis scribēs in suis constit. exercitatorijs cap. 22. sic dicens. *Magnum est homini imitatorem fieri Dei dum per humilia hæc in altitudinem imitationis illius perducitur*. Sic ille. Religiosus qui coram Deo nobilis est. Secum ponderare debet illa verba Theophilati super cap. 13. Ioan. de Christo Domino ad pedes discipulorum prostrato: cum ait. *Ad generosos pertinere, existimare nihil humile posse eorum gloriam offendere*. Et Augúst ad illa verba Psal. 92. *Dominus regnauit decorem indutus est*, ait. *Non lædit generositatem Dei, humilitas hominis*. Narrat Plutarchus in vita Pompei, quod cum post amissam victoriam, Cæsarem fugeret, ad tantam postea inopiam, & miseriam redactus est, vt qui antea Magnus in orbe vocabatur camiziam suam proprijs manibus in fluuio lauaret. Quem quidam sic lauantem cum aspiceret: Pompeius immutata facie dixit. *O quam decora sunt omnia generosis!* Quamuis ergo fieri carnem humile sit, verbo tamen diuino generosissimo, id decorum fuit. Quamuis lauare vtensilia, & cætera humilia ordinis officia, vilia sint, viro tamen Religioso omnia illa decora, & honorifica sunt iniuncta,

Psal. 92.

Plutarchi mira abiectio, & mira confidentia.

iuncta, & suscepta propter Deũ. Et ad hoc magis Religiosis comendandum iuuat maxime dictum appositissimum D. Augustini epistola 58. vbi loqui videtur de humilitate paupertate, & obedientia Christi Domini in præsepio, in hunc modum. *O medicinam omnibus consulentem! Quæ superbia sanari potest si humilitate filij Dei non sanatur? Quæ auaritia sanari potest, si paupertate filij Dei non sanatur, &c.* Re enim vera medicina est nobis infans Iesus positus in præsepio: idque maxime Religiosis, qui in prædicto puero Iesu, seu præsepio, obedientiam paupertatem, & castitatem melius quam alibi poterunt inuenire. Hac de causa considerat Hesychius oratio. 2. Deum non sine misterio in præsepio nasci voluisse: quia scilicet gentes & homines more pecudum absque rectæ rationis discursu viuebant: & proinde ad præsepium accurrentes sicut animalia ibi rationem, seu verbum diuinum reperirent quem spiritualiter manducantes ratione vterentur. Verba Hesychij sunt hæc. *Libens reconditur Christus in præsepio, vt qui sunt pecuini accurrant, & reperiant Logon idest sermonem, & rationem, in præsepio constitutam vt ex eo recipiant dignitatem rationalem.* Sic ille. D. etiam Ber. serm. 4. resurrectionis ad eundem finem sic ait. *Omnia quæ de saluatore legimus medicamina sunt animarum nostrarum. Cogitet vnusquisque quantum operentur in eo tam salutaria medicamenta: sunt enim quibus nondum natus est Christus. Quomodo enim operatur eius humilitas. qui cũ in forma Dei esset non rapinam arbitratus est, sed semetipsum exinaniuit: Quæ illius humiliationis vestigia in ijs, qui adhuc toto desiderio terrenis diuitijs, & honoribus inhiant? An non modo exhilaratur consciẽtia vestra fratres mei, quod dicere potestis paruulus natus est nobis?* Sic ille. Denique dicamus cum Augustino serm. 9. qui est quintus Natiuitatis. *O præsepe splendidum in quo non solum iacuit fænum animalium, sed cibus inuentus est Angelorum. Lacta Maria creatorem tuum: lacta panem cœli: lacta pretium mundi.* Sic ille. Ecce quot nobis proponuntur in hoc præsepio. Religiosorum doctrina: omnium medicina, panis, ac cibus spiritualis qui est gratia, pignus gloriæ, Amen.

Christus Dominus in præsepio est nostra medicina.



SERMO XVI.

IN EADEM SOLEMNITATE VIGILIÆ Natiuitatis, seu Kalendæ.

Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens exalto.

Luc. 1. cap.

Luc. 1.

Beneficiũ quodnam maius? incarnatio, an Christi mors?

QVæstio deuota posset excitari, in quo à Deo maius beneficium homines receperint, in incarnatione, an vero in passione Christi Domini? Et quidem D. Bern. super Cantica serm. 20 diceret, Christum Dominum in passione & morte sua, maius beneficium hominibus exhibuisse, quã in omni alio opere vitæ suæ: sic enim ille ibi scribit Christum Dominum alloquens *Pro his sum amans quantum possum, sed est quod me plus mouet, plus vrget, plus accendit Super omnia reddit te mihi amabilem bone Iesu calix quem bibisti.* Sic ille. Quod videtur etiam clarius indicari ab eodem Christo Domino Ioan. 15. dicente. *Maiorem hac dilectionem nemo habet vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Christus vero Dominus in passione sua animam & vitam dedit pro nobis. E contra vero videtur quod beneficium incarnationis videtur maius seu maximum iuxta illud dictum Christi Domini, Ioan 3 *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Quæ verba, vt apparet, ex particula, sic, videntur quasi admirantis, & exaggerãtis: vt etiam ipsemet Christus Dñs modo

Ioan. 15.

Ioan. 3.

modo nostro loquendi, seu quo ad effectum, admiratus sit tantum donum, ac liberalitatem, qua Deus vnicum, coæqualem, dilectissimumque filium dederit hominibus, peccatoribus, inimicis. Quo autem hæc breuis percontatio resoluatur, præmitto, aliud esse considerare Deum in se trinum & vnũ, quatenus Deus est. Aliud vero Christum Dominum seu verbum diuinum quatenus Deus est in humanitate subsistens, & quatenus est verus homo. Quo supposito dico: primo, Christum Dominũ seu verbum in humanitate subsistẽs, postquam iam erat homo, per passionem suam contulisse hominibus maius beneficium, quam per vllum opus totius vitæ suæ, idque ob causam adductam ex Ioan. 15. Nihil enim potest homo maius pro amico efficere quam vitam, honorem, & cuncta sua pro illo profundere, sicut Christus pro nobis in passione sua fecit. Si autem consideremus Deum in se quatenus Trinus est, nullum maius beneficium dedit hominibus quam incarnationem, per quam proprium filium suum Pater dedit, & verbum seipsum dedit, & Spiritus sanctus eundem filium dedit. In hoc namque datum est nobis bonum infinities infinitũ, quod est persona verbi cum natura diuina. Imo addo (sub correctione Ecclesiæ) nec de potentia absoluta potuisse Deum dare maius bonum intensiue. Si enim mihi obijcias, potuisse adhuc etiam incarnari, Patrem, & Spiritum sanctum, & sic daretur maius bonum hominibus, quia scilicet darentur plures personæ: Respondeo, illo dato, dicendum esse dari maius bonum quasi extensiue tantum: non vero intensiue, nam quidquid habet perfectionis tota Trinitas totum continetur in sola persona verbi diuini. Sed hoc ad Theologos remittatur. Habemus itaque Deum in se nullum maius, neque æquale beneficiũ hominibus contulisse, quam verbum diuinum incarnatum, & hominem factum. Hoc ipsum significare videntur verba proposita Zachariæ, *Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitauit nos oriens ex alto.*

Incarnatio quomodo sit maius beneficium Dei erga nos.

Pro cuius probatione primo considero, cætera beneficia nobis à Deo collata, esse beneficia manuum Dei: beneficium vero incarnationis (sicut hic ait Zacharias) est beneficium viscerum Dei. Et ad particularia descendentes aduertimus: beneficium creationis magnum sane fuit, sed fuit beneficium manuum Dei, Iob. 10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me.* Præterea,

Incarnatio est beneficium viscerum Dei: cætera eius beneficia sũt manuum Dei beneficia.

Iob. 10.

terea, beneficium conseruationis, & sustentationis qua continuo per diuinum influxum interius, & per alimentum conseruamur exterius: beneficium magnum est, sed est beneficium manuum Dei; iuxta illud Psalm.
Psal. 144 144. *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* At vero beneficium Incarnationis, est beneficium viscerum Dei; *Per viscera misericordiæ Dei nostri visitauit nos oriens ex alto.* Ad hoc enim beneficium conferendum non aperuit solam manum, neque solam manum extendit: sed nostro modo intelligendi, viscera aperuit, & ex intimis visceribus opus prodijt. Est beneficium in cuius præsentia (vt ita dicam) silent omnia alia beneficia Dei. Expresſit hoc ad litterã
Zach. 2. Zachari. Propheta cap. 2. Ibi enim cum clare prophetaret Christi Domini Natiuitatem, illis verbis: *Lauda, & lætare filia Sion, quia ecce venio, & habitatio in medio tui. &c.* ad finem capitis mox subdit hæc verba: *Sileat omnis caro à facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* Sic ibi. Similibus autem verbis Spiritus
1. Mach. 1 sanctus 1. Machab. 1. explicat Alexandrum Magnũ fuisse præstantiorẽ ducẽ cæteris omnibus totius orbis, cum de illo ait *Et siluit terra in conspectu eius.* Eodem ergo modo in præsẽti possumus applicare, ac dicere, sileant omnia alia beneficia nobis à Deo collata in conspectu Incarnationis Verbi Diuini. Video D. Paul. ad Philipp. 2. hoc nobis solum præcipue beneficium cõmendare, vt viua memoria teneamus, dum dicit. *Fratres hoc enim sentite in vobis,* quasi dicat, hoc solum considerate, & viua memoria seruate; videlicet *quod cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Philip. 2. Huc etiam credo spectare, quod Deus particulari prouidentia ordinauit, vt scilicet Matthæus, & Lucas tam ex professo Christi Domini genealogiam secundũ carnem susceperint enarrãdam: & in particulari Matthæus dixerit: *Liber generationis Iesu Christi.* Ne enim homines possent aliquando tanti beneficij obliuisci, illud Deus libro describi decreuit, cuius initium sit, Liber generationis Iesu Christi videlicet secundum carnem Denique hoc beneficium præterquã quod in se, sit maius omnium nobis à Deo collatorũ quatenus Deus est: est præterea fons, & origo illorum omnium quæ Christus Dominus postea pro nobis operatus est. Difficilius enim erat, Verbum fieri hominem: nã postquam homo factus est, inde omnia quæ fecit in vita, etiam mors, & pasſio ipsius facile pote-

Incarnatio est fõs cæterorũ beneficiorum Dei.

rant ab ipſo expectari. Iuxta illud ad Roman. 8. de Deo Patre dictum, circa donationem Filij. *Quomodo non etiam cum ipſo omnia nobis donauit?*

Rom. 8.

Oriens ex alto. Iam vero myſterio non vacat quare Chriſtus Dominus naſcens orienti Soli comparetur? Ego antequam quæſtioni reſpondeam, ad augendam dubitationem, & ſolutionem etiam aperiendam aduerto imprimis quod cōſone ad hoc intentum refert D. Bonauētura in opuſ. de quinque feſtiuitatibus pueri Ieſu ſolemnitate ſecunda videlicet, quod prope tēpus Natiuitatis Chriſti Domini à parte Orientis apparuerunt tres ſoles in cælo. Et præterea quod tēpore meridiano prope ſolem apparuit circulus aureus intra quē erat fæmina pulcherrima habens in brachijs pulcherrimum infantem Denique apparuit ſtella in figura pueri pulcherrimi. Scio à multis dubitari, imo affirmari prædictos ſoles non apparuiſſe in die, neque in anno Natiuitatis Chriſti. De illo enim non curo, cum conſtet, illam apparitionem ante Chriſti Natiuitatem fuiſſe, & illius præſagium fuiſſe, vt omnes fere fatētur? Quid ergo ſibi volunt tres ſoles, & mulier cum infantulo, imo & ſtellatus infans? Quis non videat myſterium Natiuitatis hodiernæ adeo præfiguratum, vt ſcilicet tres ſoles fuerint tres Perſonæ Diuinæ incarnantes verbum: & illud Verbum factum carnē hominibus dantes, per manus Beatiſsimæ Matris Deiparæ, & infantem Ieſum in ſtella figuratum eſſe Chriſtum, vt ſolem hodie orientem. Oriēti ergo Soli Chriſtus Dominus naſcēs cōparatur, tū ob multas alias cauſas, tum præcipue, quia ſicut Sol oriens tenebras pellit, & lætificat, ita etiā Chriſtus Dominus mundo naſcens hæc duo mirifice præſtitit, tenebras inquā ignorantiæ repulit: & hominum animas lætificauit. De tenebrarum expulſione, noſter Zacharias paulo poſt verba propoſita, hunc Solē ortū, dicit, *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent.* Mirum eſt quā denſæ ignorantiæ tenebræ circa Dei cognitionem mundum occupabant tempore Natiuitatis illius: aliquæ nationes colubros, crocodillos, allia, lapides, ligna, ſolem, & cætera ſimilia adorabant. Et Romani, qui in lumine naturali, litteriſque alijs omnibus videbantur antecellere, triginta mille Deos colebant, vt infinitum ſit omnes omnium nationum in hac materia errores, recenſere. Inde pariter emanabant intolerabiles ignorantiæ in moribus, & virtutibus operandis.

Soles tres apparuerunt in cælo tempore Natiuitatis Chriſti Domini, & ſtellatus infās, &c.

Chriſtus natus cur Sol dicatur?

perandis. Quos omnes errores & ignorantias, Nouus iste, & lucidissimus oriens Christus natus luce sua fugauit, & ab hominum cordibus expulit. Paulus Act. cap. 17. de tempore ante Christi Natiuitatem dixit: *Tempora huius ignorantiæ despiciens Deus nunc annnnciat hominibus, vt omnes vbique pænitētiam agant, & cæt.* Et Isayæ 9. de Natiuitate Christi Domini dicitur. *Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam.* De secundo autem effectu lætificandi videlicet. Nemo est qui nō videat quanta, & quā grata sit lætitia ab Oriente sole causata post longā, ac tempestuosam noctē, maxime illis qui labore aliquo afflicti in somnes illā duxerūt. Hoc multo maiori iure considerare possumus in spirituali lætitia mūdo resultante, ex Christi Domini corporali Natiuitate: videmus enim in nullo alio festo hoc peculiare cōtigisse, vt scilicet cum musica offerretur. Luc. 2. *Facta est multitudo militiæ cælestis psallentium, & dicentium, gloria in altissimis Deo.* Pro quo magis adhuc in particulari considero, tria festa lætissima de Christo Domino in Ecclesia celebrari: Natiuitatē scilicet, Resurrectionem, & Ascensionē, & in omnibus tribus Angeli apparuerunt, sed in sola Natiuitate cantauerunt, Etenim in Resurrectione Marci 16. vnus tantum Angelus in sepulchro apparuit mulieribus, dicens illis: *Iesum quæritis Nazarenū, surrexit nō est hic.* In Ascensione vero Act. 1. duo Angeli apparuerunt non canentes, sed fere Apostolos increpantes, ac dicentes: *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cælum, hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, & cæt.* At in Natiuitate, non vnus tantum, neque duo, sed multi astiterunt, & affuerunt non quomodocunque, sed psallentes, ac dicentes, *Gloria in altissimis Deo.* Non est mihi mēs per hoc asserere præsens festum Christo Domino attulisse maiorem lætitiam, & nobis maioris gaudij causam extitisse: sed solum ab Angelis maioris gaudij demonstratione fuisse celebratum, hac forte de causa multi in hoc festo maiori gaudio perfruentur, & ad illud magis afficientur, quā ad quodcunque aliud festum eiusdē Christi Domini occurrit mihi non absonum dictum: quod refert Plutarcus in vita Pompei, ipsum Pompeium dixisse cuidam homini Cinæ, in hunc modum. *Memor esto plures adorare Solem nascentem, quam Solem cadentem.* Alludebat in hoc Pompeius ad se ipsum adolescentem adhuc, in re bellica versatum, & imperij prætensorem. Cina vero erat iam senex:

Act. 17. — *Isa. 9.* — Natiuitas Christi lætificat orbem. — *Luc. 2.* — Festa tria Christi D considerātur, & cōparantur. — *Marc. 16.* — *Act. 1.* — Solis oriētis pulchrū dictum Plutarchi.

ſenex: & proinde dixit, plures homines ſecuturos ſe Pompeium iuuenem & naſcentem; quam Cinam ſeneſcentem. Hoc ego applico ad feſtum hodiernum, & ſuppoſita veritate quod Chriſtus Dominus plus nobis meruit in cruce, quam in præſepio; dico multos magis recreari, & affici ad Chriſtum naſcentẽ quam in cruce occidentem. Chriſtus in cruce, quaſi terret nos, confundit nos, & facit obmuteſcere. At in præſepio inuitat nos, lætificat nos, & magnam confidentiam nobis ingerit vt ſecuri, ac læti illum inuocemus alloquamur, & tractemus. Inuenio ad hoc Seraphici P. N. Franciſci quoddam exemplum, ſeu factũ, quod quãuis non recorder in chronicis me legiſſe, vidi tamen picturam illius Romæ in clauſtro cuiuſdam noſtri Conuentus, iuxta quam picturam refertur Patrem Seraphicum in quadam nocte Natiuitatis Diaconatus officio functum fuiſſe cũ dalmatica in Miſſa prima, cui miniſterio cum inſeruiret profundiſsima illa ſua humilitate, & altiſsima contemplatione, Chriſtus Dominus in figura infantis in ipſius manibus apparuit, & per ſpatiũ aliquod ab illo tractari ſe permiſit. In quo duo cõſidero pro dicto iam intẽto, primũ quanto Pater noſter deuotionis ſtudio ad Chriſtum naſcentem affectus erat, ſiquidem in eius feſto Diaconatum ſolenniter exercuit, quod non lego in Chronicis aliàs feciſſe. Secundo aduerto pro fine etiã prædicto, quam magis tractabilem, ac beneuolũ ſe nobis Chriſtus natus exhibeat, quam mortuus. Ibi enim ſub infantis ſpecie palpandum, oſculandum familiariter ſe exhibuit. Quid autem tunc deuotiſsimus Pater infanti Ieſu diceret, nouit tantum ille qui dedit. Nos ſi poſſimus diuinare (vt hoc nobis in hoc feſto inſeruiat) conijciemus illum tunc eo modo ſe cũ Chriſto infante habuiſſe, quo Diuus Bonauentura refert in vita eiuſdem Patriarchæ, illum in Nemoribus ſolitum oraſſe, ſic enim, illum in oratione ſe habuiſſe teſtatur. *Pectora manu tũdebat, & quaſi occultius ſecretarium nactus, nunc reſpondebat iudici, nunc ſupplicabat patri, nunc colludebat ſponſo, nunc colloquebatur amico.* Ecce modum quo nos poſſumus etiam orare Chriſtum natum, ad has enim omnes conſiderationes anſam præbet in præſepio ob ſuam ibi teneritudinem, & affabilitatem; quam occaſionẽ non ſic videtur exhibere in cruce Hoc ipſum exprimere Iſa videtur c. 64. dũ dicit Chriſti Natiuitatẽ exoptans, *Vtinam dirumperes*

Chriſtus in cruce comparatur ſecum in præſepio.

Colloquium P. N. Franciſci cum Chriſto Domino.

Iſa. 64.

peres Cælos, & descenderes: à facie tua montes defluerent: sicut exustio ignis tabescerent, & aqua arderent igni Quæ verba fauent illi quod diximus de affectu nostro erga Christum infantem. Sensus enim ibi Isayæ eo tendit, vt optet iam Christi Domini è Cælo descensum per Natiuitatem: tunc enim præ deuotione, montes etiam, ac superbi peccatores defluent, sicut cera à facie ignis: videtur etiam adhunc finem posse applicari quod scribit Augustinus libr. 2. de visitatione infirmorum in hunc modum. *Tutius, & iucundius loquor ad meum Iesum, quam ad aliquem Sanctorum spirituum Dei Plus dedit mihi Christus quàm alicui celestium spirituum. Quod tu es fieri dignatus est Deus, non factus est quod est Angelus, te exaltauit super Angelos, nollem habere locum Angeli si possem habere locū debitum homini, &c.* Denique lætitia huius diei, & qua nos visitauit hoc oriens ex alto: nō potuit amplius explicari quam illis verbis Spōsæ Cant. 2. *Ecce iste venit saliēs in montibus transiliens colles.* Quæ verba de Incarnatione, & Christi D. Natiuitate exponuntur cōmuniter. In quibus vides Verbū Diuinum nostro modo præ gaudio salire, & saltare dum venit ad nos. vt nullus sit qui possit timere ad puerum salientem, & saltantem accedere.

Cantic. 4.

Ex hoc vero loco Sponsæ, non possum non aduertere ad intentum abhuc thematis, & Religiosorum quibus prædico consolationem, & monitionem: quod scilicet Sponsa dicit hoc oriens, seu Christum natum prius apparere in montibus, & collibus quam in vallibus. Et re vera ita est. Hic enim sol corporeus cum primo nascitur, prius illustrat summa cacumina montium quā valles. Pro quo facit iucunda illa hystoria relata a Iustino lib. 18. suæ hystoriæ; Quod silicet apud Tyrios serui suos Dominos omnes occiderunt; exquibus solus remansit quidam straton vir nobilis. Serui autem post occisos Dominos de eligendo Rege deliberantes, conuenerunt inter se, vt ille Rex eligeretur, qui prior solem nascentem sequenti die in Oriente videret res ad stratonem delata, ab illo etiam approbata est: sequenti nocte omnes magno studio, pergētes ad campum ante solis ortum magna attentione versus Oriētem spectabant: solus straton, eodem accurens, versus Occidentem aspiciebat Et antequā cæteri omnes Solis circulum intuerentur, straton in summitatibus mōtium versus Occidentem Solis radios ostendit: Et sic illi regnum adiudicatum est. Montes ergo sunt Religiosi qui vitæ

Sol prius illuminat mōtes suo ortū quā valles. Et cur hoc dicatur.

ſanctitate alijs ſupereminent. Montes illos vocat Diuus Bernardus ſerm. 54 ſuper Cantica, eiſdem applicans hæc eadem verba ſponſæ, *ſaliens in montibus tranſiliens colles.* Sic enim ad illos loquitur, ſuos nempe Religioſos. *Hos inquam conſidero omnes feruentes, omnes deuotos, omneſq; donis cæleſtibus & gratia affluentes, tanquam ſpirituales reuera montes, qui à Domino viſitantur.* Sic ibi deuotus Bernardus. Et reuera Religioſi ſunt quos prius Dominus naſcens inuiſit: eo quod & illi ſpecialiter hanc Chriſti natiuitatem anticipant celebratione Calendæ, & ſanctarum cæremoniarum, quæ præcipue à Religioſis in hac vigilia Natiuitatis ipſius frequentantur. Illi ſunt qui hoc diuinum myſteriũ ſæcularibus, cantu, prædicatione, & cæteris demonſtrationibus inculcant: & pro ſua ſolita maiori deuotione prædictũ myſterium expectantes, & contemplantes, prius ab ipſo naſcente Domino, & affluentius viſitantur. Caueant tamen quod ibi deuotus pater conſiderat, videlicet naſcentem hunc ſolem, ſalire in montibus, ſed pertranſire colles, eos enim quos vere montes inuenit, ſanctitatis, & perfectionis culmine excelſos pingues & deuotos: in his ſalit, exultat, & hos viſitat, pertranſit autem colles; intactos ſcilicet relinquit illos, qui colles aſperi ſunt, ſaxoſi, & aridi ab omnique deuotionis humore alieni Citat ad hoc mellifluuspater illud 2.Reg. 1, omnes montes qui ſunt in circuitu eius viſitet Dominus, à Gelboe autem tranſeat. Timendum quippe eſt, ne ſint aliqui Religioſi in hoc, & in alijs myſterijs celebrandis ſicut dulciarij *(confeiteiros)* qui tota vita res dulces præparant & conficiunt (bellaria vocant, id eſt *conſeitos*, & ſimilia) has vero res dulces faſtidio habentes nunquam guſtãt; ſed ſolum ad vendendum alijs faciunt. Videãt Religioſi ne ſint his dulciarijs ſimiles qui hæc diuina, & ſuauiſsima myſteria, cãtant quidem, & celebrãt in choro vt á ſæcularibus audiantur, & deguſtentur: ipſi vero per cõſiderationem, & contemplationem, nec illa tantillum attingãt, verba Bernardi tantiſper audiamus, quæ ſic habent. Hæc attẽdamus quo cauti ſimus ſponſi nos ſalutiferis ſaltibus præparare: ne veluti à montibus Gelboe forte tranſeat, & â nobis ſi indignos forte ſua viſitatione cõſpexerit. Sic ille ibi cum alijs multis in hanc ſententiam.

Chriſtus naſcens ſuper ſbos tranſit, & humiles cõſolatur.

2.Reg.1.

Viſitauit nos oriens ex alto. Adhuc in hoc verbo, oriens, conſidero ſimilitudinem, ob quam Chriſtus Dominus ſe ſoli orienti vo-

ti voluerit comparare. Considero nempe, hunc solem corporeum qui mundum illuminat quartum planetam in continuo motu versari: vbi enim primum nascitur, continuo quasi perambulat nocte, & die, modo his modo alijs hominibus lucem præstans, generationes cunctarum rerum corporearum caussans, & producens; sibi vero ipse, nec tantillum acquirit, neque incrementum vllum, aut perfectionem recipit, sed totus soli homini perpetuo inseruit: cum enim mundus in aliquo sensu, dicatur etiam propter hominem factus, sol mundum illuminans dici potest soli homini perpetuo inseruire absque vlla inde percepta remuneratione. Talis nobis nascitur Christus Dominus sol iustitiæ. oriens est, sicut illi canit Ecclesia in quadam antiphona ante festum Natiuitatis; *O oriens splendor lucis æternæ, & sol iustitiæ*. Oriens inquam est sol, quia totus cursus vitæ illius absque intermissione, in hominis obsequio insumptus est absque eo quod aliquid sibi acquisierit, & fuerit lucratus. Tota vita Christi Domini fuit continuus motus ad solius hominis salutem directus. *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*, canit Ecclesia in symbolo Nycæno. Quid enim

Christus natus nobis tantũ & ad nostram vtilitatem.

sibi Christus Dominus in tota vita acquisiuit gratiæ vel gloriæ essentialis, nihil prorsus: & nihilominus solum circa nos (gallinæ in modum pullis incubantis, & pullos tantum curantis, neque salutem propriam, cibum ne curantis, Matth. 23.) de nostra salute curauit: ad hoc tantum omnes illius curæ, & cogitationes sunt destinatæ Ponderauit hoc, docte simul & eleganter Angelicus doctor Diuus Thom in quodam hymno festi sacratissimi corporis Christi Domini, vbi de illo sic loquitur: *Se nascens dedit socium, conuescens in edulium, se moriens in pretium, se regnans dat in præmium* Vide quomodo totus, nobis tantum natus est, & datus. Nam in Natiuitate (ait sanctus Doctor) se dedit nobis in socium, frater videlicet, & proximus noster effectus est, eo quod nos illi facti sumus similes in eadem natura Secundo conuescens; id est in sua cæna sacratissima cum discipulis manducans, se ipsum dedit in cibum, sub sacrosancta videlicet Eucharistia, sub qua suummet corpus realiter præsens ad manducandum nobis exhibuit. Tertio per mortem suam se dedit in pretium nostrum. Namque per passionem suam Patri Æterno exhibuit pretium iustissimũ, & copiosissimum redemptionis huma-

Matth. 23

Christus in omnibus se nobis communicatũ exhibuit.

humanæ: iuxta illud 1. Ioann. 2. *Habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Denique in cælo iam regnans per gloriam, efficitur præmium nostrum, natura enim diuina, ac Deitas Christi, quatenus Deûs est, est futurum obiectũ visionis beatæ, & proinde præmium essentiale gloriæ: & humanitas ipsa & pulchritudo corporalis illius erit obiectũ gloriæ nostræ accidentalis, vt Theologi alibi disputant. Et sic verificatur, quod idem sanctus Doctor asserit serm. eiusdẽ festi seu in opusc. 57. *Vnigenitus Dei Filius sua diuinitatis volens nos esse participes nostram naturam assumpsit, vt homines Deos faceret, factus homo, & hoc insuper quod de nostro assumpsit totum nobis contulit ad salutem, &c.* Si ergo Christus Dominus totus ad nostrum obsequium natus est: & totum se in vita in nostro seruitio occupauit: quid non curauerit homo, vt totam vitam suam vicissim in eiusdem obsequium, dirigat, offerat, & impendat. Ob solius creationis beneficium toti i lius sumus, ab illo pendemus, totos nos illi debemus, ob Incarnationem, & Redemptionis beneficium quanto magis ab illo pen debimus, & totos nos illi debebimus? sed hæc est miseria & cæcitas nostra, vt soli carni, mũdo ac diabolo nos debitores agnoscamus: & his solis creditoribus ad vnguem perfectissime satisfaciamus: obliti tanti nostri creditoris, & Fideiussoris Iesu Christi contra illud Ecclesiastici 29. *Gratiam Fideiussoris ne obliuiscaris dedit enim pro te animam suam.*

1. Ioan. 2.

Eccles. 29.


Ad finem, non possum non aduertere modum quo possimus melius præsens misterium, & alia similia contemplari. Hũc modum eleganter descripsit D. Augustinus in lib. de substancia amoris instruens animam ad diuina mysteria contemplanda, vbi sic scriptum reliquit. *Suge o apicula, suge, immergere, & replere: quia illi deficere nescit. si tu non incipias fastidire.* Quibus in verbis, vt vides animam, apiculæ comparat, quæ campum pererrans varijs floribus insidens affixa sugit, lambit, & succum extrahit, in aluearium defert, vt mellis fauũ conficiat. Eodem modo iubet Augustinus animam sicut apiculam diuina mysteria considerare, & quasi sugere, vt deuotas inde considerationes in voluntatis affectu reponens, dulces ac deuotas contemplationes efficiat. Hoc autem nullibi melius quam in hoc præsepio fieri potest. In illo enim iacet flos campi, qui est Christus Dominus, iacet & rosa pulcherrima, Deipara

Modus contemplandi diuina mysteria.

Deipara scilicet Mater: in quorum florum consideratione defixus intellectus varios castitatis, obedientiæ, & paupertatis flores fructus, seu conceptus potest eruere, vt gratum in hoc festo Deo sacrificium præsentet. Sugat ergo anima sugat, quia sicut ait Augustinus, ex parte horum tantorum florum, seu mysteriorum dulcedo & suauitas, non potest deficere, si nos prius tepore, & fastidio diuinorum affecti, non fastidiamus. Plenum sane præsepe est dulcedine spirituali, & suauitate refertum: ita vt nihil amplius humani intellectus capacitas desiderare valeat: ita vt etiam hoc loco verificari possit illud Iob cap. 6. *Aut mugiet bos cum ante præsepe plenum steterit?* Non est quod amplius anima mugiat, & desideret fænum terrenarum rerũ, & caducarum: plenum habet hoc præsepe, si vere sugat, peccata dolendo, & præsens mysterium digne contemplando, suget hìc gratiam, & postea gloriam ad quã nos perducat Christus Dominus natus, qui cum Patre, & Spiritu sancto regnat in sæcula sæculorum, Amen. Iob 6.



SERMO



SERMO XVII.

SIVE HOMILIA

IN CONVERSIONE

Sancti Pauli Apostoli.

Saulus adhuc spirans manarum, & cædis, & cæt. Act. 9. Act. 9.



Xplicatis illis quæ ad monachorum consolationem & exhortationē spectant, quo vita Monastica, magis arrideat hominibus, & illi ad eam conuertantur, visum fuit hoc opus claudere, cum explicatione historiæ Beatissimi Pauli Apostoli, qui à sæculi vanitatibus mirabiliter conuersus fuit ad vitam perfectissimam Monasticam qualis fuit Apostolatus. Et præterea ipsemet Apostolus in hac sua conuersione speciale præomnibus exemplum obedientiæ Religiosis re iquit, cum dixit. *Domine quid me vis facere?* Fuit præterea per totam vitam castus & continens, vt exponunt Aug. lib. de gratia, & lib. arb & D. Ieron. epist. 14. & 22. iuxta illa ipsius verba 1. ad Corinth. 7. 1 Cor. 7. *Volo autem vos esse sicut me ipsum.* Paupertatem denique Euangelicam hodie ad vnguem cæpit obseruare. Longior autem euadet præsens sermo siue homilia, tum quod sit vltimus sermo: tum ob dignitatem & plenitudinem materiæ ad Religiosos, & sæculares spectantis, ac proinde in duas partes diuidetur, vltra illa quæ in hoc præludio quasi in summa, & litteraliter fere, attigerimus.

Igitur quamuis, quæcumque ordinaria peccatoris conuersio, sit opus diuinum, & supernaturale

Cõuersio sola Pauli miraculosa,& culta ab Ecclesia

tale Dei, imo & miraculosum, in sensu à D. Tho. exposito 1.2. q 113 art. 10. Nihilominus sola hæc D Pauli conuersio simpliciter miraculosa fuit, tum ex parte Pauli conuersi, tum ex parte modi siue circunstantiarum, & miraculorum in ipsa concurrentium, & ob hanc causam hæc sola ab Ecclesia peculiari officio, dieque celebratur. Quamuis enim in Breuiario in festo Mariæ Magdalenæ, ad inuitatorium dicatur, *Laudemus Deum nostrum in conuersione B. Mariæ Magdalenæ* Non proinde Ecclesia illius conuersionem celebrat: nam in tit. festi, & in Kalendario non dicit, *In conuersione Magdalenæ: sed, in festo Magdalenæ.* Quo autem hoc magis constet, & ratio celebritatis appareat comparemus breuiter conuersionem vtriusque adinuicem: etenim Magdalenæ conuersio celebratissima est, fuit ardẽtissima Ecclesiæ valde proficua, & miris Doctorum laudibus celebrata, imo ab ipso Christo satis laudata: quibus tamen non obstantibus in multis differt, & exceditur à Pauli conuersione. Primo ex parte subiecti conuersi, Paulus enim grauiora peccata habebat, infidelitatem scilicet, cædem Schephani, & multorum quorum mortem procurabat. Arserat prætera inuidia contra Sthephanum

Magdalenæ cõuersio non colitur ab Ecclesia,

Pauli, & Magdalenæ conuersiones cõparatur ad inuicẽ.

ob doctrinæ, & miraculorum præstantiam, vt refert Lorinus super Act. Apost. ad cap. 9 ac denique persequebatur Ecclesiam Dei. Quæ omnia multo grauiora peccata sunt & numero, & qualitate, quam solum peccatũ carnis Magdalenæ ex carnis fragilitate contractum. Secundo ex parte circunstantiarum: nam in Magdalenæ conuersione, nullum clarum miraculum legimus contigisse: multa vero facta sunt in conuersione Pauli. Videmus nempe contigisse Christi Domini in propria forma apparitionem. locutionem, lucẽ circumfulgentem, prostrationem illius ad terram, ob cæcationem corporalem, ab oculis cadentes scamas, & alia, quæ possunt considerari, quæ sane omnia miracula debent reputari. Tertio D. Paulus actualiter ibat ad peccatum perpetrandum, cum proposito peccandi: quod de Magdalena non legimus quo tempore conuersa est. Quarto D. Paulus in sinu portabat epistolas ad persequendum Christum Dominum Magdalena vero portauit alabastrum balsami siue vnguentum preciosissimum ad Christi Domini pedes vngendos. Quinto peccatũ Pauli erat peccatum contra communitatem, & fere peccatum crudelitatis: peccatum vero Magdalenæ

næ erat sibi soli nociuum, & peccatum amoris, licet mali.

Hac vero forte de causa, quod scilicet Magdalenæ peccatum leuius erat, & quia forte voluit Deus fœminæ honestati, ac fragilitati deferre, benignius multo Magdalena à Christo Domino excepta est, quam Paulus Hic enim à Domino Christo reprehensus est, & obiurgatus illis verbis, *Quid me persequeris? durum est tibi contra stimulum calcitrare*. Illa è contra nimium laudata ab impensis obsequijs, & à multa dilectione. Paulus item ad terrã deiectus est, & inuitus humiliatus. Illa vero libens, ac volens ad Domini pedes humilis profusa est. Denique Paulus tribus diebus nec manducauit neque bibit, & remissus est ad Ananiam docendus ab illo. Magdalenæ vero nihil horum factum est, sed post laudes auditas illis dulcissimis verbis dimissa est. *Vade in pace* In quo obiter Confessores admonentur mitius debere in foro pænitentiæ agere cum fæminis peccatricibus, quam cum viris peccantibus: illis enim magis indulgendum est habito respectu ad sexus fragilitatem, minorem intelligendi vsum, & maius periculum famæ, & honoris: quæ omnia in viris diuersa sunt.

Aduerto præterea hos ambos peccatores intensissimam contritionem habuisse ad Christi Domini præsentiam Et de Magdalena quidem adeo clarum est vt negari non possit. De Paulo autem est etiam certissimum vt doctores affirmant cum D.Tho. citata illa q. 113. Nam cum protulit illa verba: *Domine quid me vis facere*; in illis interius & peccati dolorem intrinsecum, & propositum non peccandi elicuit. Ad consolationem tamen multorum aduerto, Paulum lacrymas non fudisse, sicut abunde fecit Magdalena: & tamen, mea opinione, ad maiorẽ ibi gratiam assumptus est quam Magdalena. Hoc apud nullum legi doctorem, sed conijcio ex eo quod Paulus ad altiorem statum assumptus est nempe ad Apostolatum, & statim de illo hic dictum est. *Vas electionis est mihi*: quæ ambo supponunt copiosissimam gratiam quam Deus dat, habito respectu officij, ad quod assumitur is cui gratia confertur. Magdalena vero, licet multum dilexerit, ad nullum officiũ assumpta est Et lacrymæ in fæminis non sunt multum difficiles: neque gratia respondet lacrymis, sed appretiationi contritionis. Hoc ergo multorum consolationi valeat inseruire, qui in contritione habenda lacrymare nequeunt, & memorẽtur Math. 5. Ideo Christum Dominũ octo

Paulus maiorem gratiam in conuersione recepit quam Magdalena.

beati-

beatitudines constituisse, vt non in solis lacrymis salutem nostrã sitam esse sciremus.

Noto præterea ad euitandũ errorem aliquorum, qui credũt Paulum hoc triduo quo neque manducauit neque bibit, fuisse raptum ad tertium cælum, & vidisse illa arcana misteria, de quibus agit, 2 ad Corinth. 2 Noto inquam, id falsum esse: non enim ille raptus ad tertium cælũ Paulo hodie in sua conuersione contigit, vt docte probat Baron. tom. 1. Annalium ann. 58. Christi Domini ex multis doctoribus. Sed contigit illi prædictus raptus multo post conuersionẽ, trienio scilicet post conuersionem, quando scilicet idem Paulus Ierosolymam veniens, orans factus est in stupore mentis, dũ scilicet in templo orabat, vt ipse de se ait, Act. 22. De quo Lorinus ad Act. Apost. cap. 9. vers. 9.

2. Cor. 12.

Act. 22.

Denique vt innotescat quantum Ecclesia hanc D. Pauli conuersionem celebret, & magni faciat vnius, vel alterius Doctoris profero testimonium D. Ambrosius lib. de Isaac cap. 4. asserit quod *Pauli conuersio Ecclesiæ firmitudo est*. Remigius Autisiodorensis in Psal. 25. audet dicere, *Maius fuisse miraculum Paulum de persecutore Apostolum facere: quam Lazarum de monumento suscitare.* D. Bernar. serm 1. de hoc festo ait, *Paulum & viuum, & mortuum multos ad Deum conuertere exemplo, & doctrina, & quemlibet peccatorem inde spem posse concipere suæ ad Deũ reconciliationis.* Dignissima ergo conuersio est vt pro nostra doctrina ad eius moralem consideratione accedamus.

Pauli conuersio maius quidquam Lazari suscitatio.

Prima pars.

Isaiæ 55. inuitatur peccator vt derelinquat viam suam malam, & reuertatur ad Dominum: quoniam (vt ait sacer Textus) *Multus est ad ignoscendum.* Quæ verba consideratione digna sunt: innuunt enim Deum multum esse ad ignoscendum, idest non solum habere misericordiam magnam, sed multas ad inuentiones, ac modos quærere vt misereatur: multas personas quasi induere, vt remittat. Quasi non esset vnus tantum, sed multi ad misericordiam præstandam. Hac de causa in sacra scriptura, modo fingit se matrem, Isa. 49. modo Mulierem auiditate fæminea quærentem Drachmam perditam, modo pastorem, obligatum quærere ouem perditam Luc. 15. modo Samaritanum viam facientem qui crudelitatis argueretur si saucio homini non subueniret, Luc. 10. modo se Patrem asserit

Isa. 55.

Misericordiæ diuinæ cõmendatio.

Deus vt misereatur induit multas personas.

Isa. 49.

Luc. 15.

Luc. 10.

asserit ad recipiendum filium prodigum, Luc.15. Et aliquando Medicum & cæteros alios modos & figuras repræsentat, vt ostendat quantus sit ad miserendum, & quam multus ad condonanda peccata, quantumcunque fœda & grauia illa fuerint. Habemus hodie clarum exemplum in glorioso nostro Paulo conuerso, cui non solum Deus peccata infidelitatis, odij, iniustitiæ, & cætera remisit facillime, sed quod maius est, & magis ponderandum, seu æstimandum, in eodem feruore suæ malitiæ, quando actualiter peccare intendebat, *& adhuc spirans erat, minarum*: tunc illum illustrat, tunc illum mouet, illique excellentem misericordiam impendit, & quando actualiter merebatur infernum, illi gratiam donat, quæ pignus est gloriæ.

2. Reg. 23. 2 Reg. 23. Laudatur Banaias eo quod Leonem interfecerit in diebus niuis: quando scilicet Leones fortissimi sunt, ob maximam caliditatem ingenitam, & à frigore circunstante temperatum, quid non collaudandus, & exaltandus sit omnipotẽs Deus, qui Beatum Paulum tanquam Leonem ferocientem, adhuc spirantem occiderit in infidelitatis suæ medio, quæ quasi nix cor illius frigidum ac durum effecerat? Augustinus serm. 10. de sanctis in Appendic. 72. agens de sanctis Infantibus Innocẽtibus, Iudæorum illius temporis infidelitatis dicens de illis infantibus. *Quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas Ecclesiæ gemmas, quadã persecutionis pruina decoxit.* Sic ille. Cum igitur Leo Paulus in suæ infidelitatis frigore, pruinaque rugiret, tunc diuina ei claritas fulsit, & de Leone reddit agnum, de persecutore facit Apostolum. Duo eiusdem materiæ proferamus exempla.

Paulus in medio frigore suæ infidelitatis conuersus.

Primum sit Sancti, & fœlicissimi illius Genesij de quo Martyrologium Romanum 25. die Augusti, & Surius tom. 4. eodẽ die Augusti. Hic cum ante Mimus esset, & ludibrij gratia in Scenis populum ad risum soleret excitare, quadam die cum aliquibus socijs constituit vt in publico theatro Acta Christianorum irriderent, & repræsentarent, quo possent Imperatori Diocletiano gratum facere, illiusque animũ exhilarare. Constituto die Mimus, & gentilis Genesius repente à Deo illustratus se Christianũ esse ex toto corde proclamat: quod circunstantes audientes, & illum vel insanire, vel Christianos irridere putantes: ille serio, & ex corde in eodẽ proposito perseuerans iterum atque iterum clamauit se pro fide Christi mori paratum esse: qua de causa à Dio-

Sancti Genesij mira cõuersio.

à Diocletiano acerbiſsime tortus, vitam pro Chriſto libentiſſime fudit. Vide ſi hoc loco locũ habeant verba illa quæ cantat Eccleſia, in Benedictione Cerei Sabbato ſancto, Deũ alloquens hoc modo. *O mira ſuper nos tuæ pietatis dignatio. O inæſtimabilis dilectio caritatis.* Vere inquam circa Geneſium citata verba locum habent. Quando enim ille gentilis Deum irridere parabat, tunc, diuina miſericordia illum illuſtrauit, tunc ſubuenit, tunc de gentili, & Mimo Martyrem glorioſum effecit Cadunt eadem verba in noſtrũ Paulum, qui quando Deũ perſequi intendebat, & ad innocentium cædes properabat, diuina ei claritas fulſit de perſecutore faciens Apoſtolum, ita vt Iudæi, & Chriſtiani illius mutationem ſcientes mirarentur. Alterum exemplum ſit ex noſtris quod S.D. Maieſtas dignata eſt operari meritis Patris Noſtri Frãciſci. Refert Piſanus Doctiſsimus in lib. conformit vitæ Patris Franciſci cum vita Chriſti Domini lib. 3. conform 31. prope finem, ciuem quendam de Aſsiſio, aliàs diuitem, in morbum lepræ adeo horribilem incidiſſe, vt ciues Aſsiſienſes illum vrbe expellerẽt vitandi cauſa contagij. Cumque ad duos amicos extra Aſsiſium diuertiſſet hoſpitij quærendi cauſa, & ab vtroque reijceretur eadem de cauſa, Aſsiſium reuerſus, & vitæ tædio affectus noctu hortum conuentus Patris Franciſci, murum tranſgrediens, intrauit & in arbore hortus laqueo ſe ſuſpendit. O mira diuinæ pietatis, & Patris N. Franciſci dignatio: homini ſic e laqueo pendenti apparet Seraphicus Pater Frãciſcus in aere, glorioſis ſtygmatibus præfulgens, & ſic ſuppenſum aeri prius reprehenſione notatum, quod de diuina miſericordia deſperauerit, & locũ illũ ſanctum, ſibi dicatum prophanauerit: ſuis deinde manibus ſacris ſtygmatibus inſignitis, corpus leproſum tetigit, laqueum ſoluit, hominem libere abire ſanum permiſit. Conſidera diuinam illic miſericordiam, quæ in eodem puncto quo miſer ille ſuſpenſus propter peccatum ſuũ deſcendebat ad profundum infernum, quaſi lapis, & plumbũ, ſuccurrit miſero, illumque & ab inferno, & à lepræ morbo liberat mirabiliter. Hoc inquam eſt Deum eſſe multũ ad ignoſcendum, multis inquam modis, ſuã multam miſericordiam oſtendendo.

Stygmatũ P.F. Franciſci illuſtre miraculum.

Adhuc ſpirans minarum Diuus Ioan. Chryſoſt tom. 3. hom de ferendis reprehenſionibus & de conuerſ. Pauli, hunc locum ſic exponit. *Non ſatiarat eum cædes Stephani*

Pauli ſitis in ſatiata ante conuerſionẽ.

Sthephani non explerat concupiscentiam eius Ecclesiæ persecutio, sed vlterius procedebat, & furoris eius nullus erat finis. Sic ille. Vides nempe quomodo peccator in profundo peccatorum mersus, non quiescat, adhuc spiret, semper ad vlteriora peccata aspiret, nec peccandi finem interponat. Act. 8. capite præcedente, dicitur de Paulo quod deuastabat Ecclesiam, modo additur noua persecutio, & quod adhuc spiret, & non quiescat. Vere in hoc Paulus filius erat Synagogæ illius ductæ per desertum de qua Dauid, Psal 77. queritur dicens, *In omnibus his peccauerũt adhuc, &cat.* Non acquiescentes tot miraculis, & prodigijs quot Deus in fauorem illorum in deserto ediderat, non territi supplicijs, non veriti tot iam offensas ab ipsis commissas, adhuc peccauerunt. Est nempe peccatorum sitis ad peccandum insatiabilis. Isa. 56. de illis dicitur: *Canes impudentissimi nescierunt saturitatem.* Et Prou. 13. *Venter autem impiorum insatiabilis.* Vnde ad illos, & ad quemuis illorum merito dicere posset Deus, illud quod Cicero contra Catelinam pessimum in quadã oratione dixit. *Quo vsque tandem abutere Catelina patientia nostra? quamdiu nos furor iste tuus illudet?* Sic ego dicerem peccatori, peccanti adhuc, spiranti adhuc, post

Psal. 77.

Peccatorũ sitis insatiabilis. *Isai. 56. Prou. 13.*

tot ac tanta commissa crimina, ad vlteriora aspiranti: quovsque abuteris patientia Dei, quamdiu furor tuus in sanus Deum illudet? quamdiu famem peccandi patieris vt canis, Psalm. 58. Hoc vnum scias, quod si fames virtutum est signum salutis spiritualis, & forte signum prædestinationis iuxta Deiparæ matris sententiam in suo Cantico. Luc. 1. *Esurientes impleuit bonis.* E contra, peccandi sitis, & fames signũ est morbi, & forte damnationis spiritualis. Secundo ad eundem fere sensum, hæc verba, *adhuc spirans*, intelligo de resistentia qua forte D. Paulus, & quiuis peccator resistit Diuinis inspirationibus, & conscientiæ clamoribus credibile namque valde est, ex tot ac tam euidentibus miraculis, scripturis, bonis Apostolorũ, Christi Domini exemplis Paulum & conscientiæ remorsus habuisse, neque illi diuinas inspirationes defuisse, quibus tamen nõ obstantibus adhuc spirabat cõtra conscientiæ punctiones, & inspirationes diuinas. Sunt namque in hoc multi peccatores iam filij, & similes Anthichristi, de quo multi doctores asserũt, quod neque vllam inspirationem diuinam admittet. Conijciunt hoc ex illis verbis Iob. 41. de Anthichristo communiter intellectis. *Corpus illius (idest cor) quasi scuta fusilia,*

Psal. 58.

Luc. 1.

Inspiratio nes diuinæ non reijciendæ.

fusilia, compactum squamis, & ne spiraculum quidem incedit per eas Scuta fusilia sunt scuta ærea per fusionem facta, squamæ autem forte etiam innuunt loricam, quasi squamis confectam; vel saltem squamæ scutorum innuunt compactas nimis, & adunatas scutorum superficies Ecce quomodo cor nostri Pauli squamis compactum erat, siquidē hoc ipso capite dicitur, quod postquam diuinæ inspirationi obediuit, squamæ ceciderunt ab oculius illius. Ad quem Iob locū D. Greg. sic de corde impij loquitur. *Squamas habet, & idcirco ad eius pracordia transeundi viam verbi sagitta non habet sic ille.* Spiritus sanctus spirat, & inspirat bonum & sanctum propositum: cor autem humanum æreis squamis compactū adhuc spirat malitiam. De hoc iam Stephanus Paulum, & suos lapidantes redarguerat Act. 7. *Quod semper dura ceruice, & in circuncisis cordibus & auribus Spiritui sancto restiterant.* Denique optime apud Iob cap. 41. descriptum habemus cor durum, diuinas inspirationes contemnens, vbi sic habetur. *Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Vide lapidis duritiem, & considera diligenter incudem malleatoris, quot ictus per quot annos recipiat, & patiatur: & nihilominus illi tot ictus illam non frangunt, non conterunt. Eodem modo se habet cor durum peccatoris, mille ictibus conscientiæ, & diuinatum inspirationum concutitur, quibus tamen non conteritur per contritionem veram, non ex animo peccata dimittit.

Antichristus nullas inspirationes diuinas admittet.

Act. 7.

Iob 41.

Cor peccatoris est sicut incus malleatoris.

Quæres, & quæ sunt præcipue peccata quæ præ alijs faciūt peccatorem continuare, ac diuinis inspirationibus resistere? Respondeo quod præcipue sunt illa quibus subdebatur Paulus iuxta Lorinum supra citatū, inuidia scilicet, odium, vana gloria. Et de inuidia quidem & odio, (quæ fere idem vitiū sunt) satis constat, quot quotidie vsque ad mortē odiū seruent, ita vt in solo mortis articulo cum inimicis recōsilientur. Imo addo, multos ipsum odiū, & inuidā occidere, quot enim videmus quotidie, in duellis, & in alijs peculiaribus conflictibus à se inuicem occisos, quorū mortes solū odiū, & inuidia causauit? porro quantum homines vana gloria defixos teneat, vt neque in morte illam deserant, testantur vana multorum testamenta in quibus multa plena vanitatibus testamento præcipiunt Et vt exēplum demus Paulo adhuc infideli accommodatum; quantum scilicet vana gloria mouerit, vt

Vana gloria periculosissima, & causa animi obstinati.

multi hæretici à fide defecerint, & ob solam vanam gloriam tenaces in suis erroribus permanserint; sufficiat exemplum Berengarij quondam hæretici, de quo scribit Guitmundus Episcopus Auersarius lib. 1. de veritate Eucharistiæ, *quod cum vix esset Dialecticus & à discipulis esset desertus, ad eructanda Scripturarum sacramenta impudenter se conuertit, & sic maluit esse sub aliqua admiratione hominum hæreticus, quam sub oculis Dei priuatim viuere Catholicus*. Sic ille.

Petijt epistolas in Damascum ad synagogas, vt si quos inuenisset, &c. Vide quæso afflictionem, & laborem à peccatore assumptum voluntarie, & absque vllo suo fructu vel lucro corporali. Considera Paulum aliàs non ministrum synagogæ vt apparet, neq; ex officio obligatum, quantis se voluntarie laboribus ingerat; negotiantem epistolas, itinerum laboribus ac molestijs expositum videas, pecuniæ impensas facientem ex proprijs facultatibus; homines ac mulieres incarcerantem, aliaque multa his adiacentia patrantem. Et hæc omnia fecit iniussus, ille enim vltro se obtulit, ille petijt, & hæc omnia absque vllo lucro & proprio quæstu In hoc exaggeratur multorum malitia, quod peccent ex pura malitia, ita vt neq; gaudiũ, neque lucrũ, sed solũ peccatum pro fine proponãt. Sufficiat pro hoc audire D. August. magnum quondã peccatorem, sed post cõuersionem suã, vitæ admirabilẽ Doctorem, qui non erubuit omnia sua errata apud vniuersum orbem confiteri. Is ergo lib. 2. suarum confessionum cap 4. referens quomodo poma in sua adolescentia furto abstulerit, nõ indigens, & absque vlla necessitate sic scribit, Deum alloquẽs: *Dicat tibi nunc ecce cor meum, quid ibi quærebat vt essem gratis malus, & malitiæ meæ causa nulla esset, nisi malitia*. Sic ibi. Et cap. 8. eiusdẽ libri, idipsum deplorans ait: *Quem fructum habui miser in his quæ nunc recolens erubesco, maxime in illo furto in quo ipsum furtum amaui, nihil aliud, cum & ipsum esset nihil, & eo ipso ego miserior?* Sic ibi. Alludit nempe August in hoc secundo loco ad illa verba Diui Pauli ad Roman. 6. *Rom. 6.* dicentis: *Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis?* Quot hodie possemus interrogare peccatores eodem modo, qui scilicet ex peccatis, neque gaudiũ neque lucrum, vt ipsi fatentur, reportant: quem fructum recepistis ex illis peccatis, in quibus nunc erubescitis? Hos ego comparo, illis filijs Israel apud Pharaonem captiuis, quos cum jam Pharao in nimiam,

Paleæ denegatæ filijs Israel quid significent.

nimiam, ac rigidam possessionẽ redegisset, eosque ex odio vellet laboribus consumere, paleas illis denegauit ad laterum confectionem. vt narratur Exod. 5. palea enim lenis, & mollis gaudiũ significat, vt Doctores ad eum locum moraliter exponunt; & nihilominus cogebat Pharao, vt Israelitæ solitum pensum laterum quotidie redderent. Sic cõsidero multos peccatores quos iam diabolus nimium sui iuris effecit, multumque possedit: hos odio volens laboribus extinguere, cogit quodammodo, seu libere suadet, vt sibi quotidie certum peccatorum pensum reddãt; illis tamen Diabolus, neque paleas dat, neque gaudiũ, neque lucrum in peccatis permittit. vide quale gaudium, quale lucrũ habebat, filius ille prodigus Luc. 15. qui neque amaris silicis ventrem implebat, & inquietum porcorum gregem sine quiete pascebat? Hæc inquam omnia sunt, gratis esse malum, & in peccato nihil aliud proponere nisi peccatum, sicut eleganter citatis locis docuit Augustinus. Considera secundo in hac Pauli negotiatione epistolarum cũ tot afflictionibus annexis quanto plura faciunt homines propter Diabolum, & propter appetitiones suas, quam faciant pro Deo. Si enim illa omnia suæ Paulus voluntarie assumpsit, alicui Deus imperaret vt faceret, forte recusaret, forte allegaret se non esse carnificem non esse ministrum iustitiæ, & cædis executorem: & tamen illa omnia Paulus, & multi hodie similiter voluntarie in Diaboli obsequium faciunt, quorum dimidiam partem non facerent propter Deum.

Exod. 5.

Luc. 15.

Si quod autem peccatũ maxime hominẽ adigit, vt peccet sine gaudio & lucro. imo & cum proprio dispendio & iactura, est inuidia, qua iam diximus Paulũ laborasse. Optime nobis descripsit Basilius præsentem materiã pro intento etiã Pauli inuidi persequentis Ecclesiam homil. 11. quæ est de inuidia, vbi sic ait: *Inuidiam fugiamus pugnæ in Deum Magistræ homicidij matrem, naturæ confusionem*. Vide si hæc duo quadrent in Saulum contra Deũ pugnantem, & cædis Stephani authorem vel magnum fautorẽ? Et paulo post ait inuidum alloquens. *Nonne vides te contra tuum commodum contendere?* Et paulo supra dixerat hoc modo. *Quid hoc morbo perniciosius? interitus vitæ, pestis naturæ aduersa omnibus bonis ex Deo prouenientibus, & cæt.* Hac de causa merito in aliquibus tabulis videas inuidũ depingi pallidũ, marcidũ trementem, & proprias carnes morsibus dila-

Inuidia peccat sine lucro.

Inuidi dãna describuntur.

dilaniantem, vt appareat illũ ex proprio peccato hæc solũ damna reportare, pallorem angorẽ, somni carentiam, & vitæ propriæ consumptionem. Talis fere noster Saulus ante conuersionem incedebat, insomnis vigilans coram tribunalibus, itinerum fractus molestijs, clamore, & gemitibus fideliũ infestatus, ac similibus. Imo aduerto illũ ex hac sua Epistolarũ negotiatione coram Principe Sacerdotũ ad synagogas, & fideliũ vinctorũ in tribunalibus præsentatione. Vnã particularẽ conditionem tulisse diuina permissione, & ordinatione, vt post illius conuersionẽ ad maiorem eius coronam nullus Apostolorũ pluries vinctus fuerit, pluries corã tribunalibus præsentatus, nullus pluries verberatus, ad Cæsaremque appellãs: & (vt ita dicam) litibus, licet pro Deo susceptis, implicatus quam D. Paulus. Quod fortassis diuina prouidentia permisit tum ad maiorem illius coronã, tum etiam partim, vt iuxta mensuram sui antiqui mali zeli, quo Christi fideles coram tot tribunalibus præsentauit, pateretur pro Ecclesia Christi, & per passiones malorum compensaret fidelibus illata mala.

Aliud adhuc in hac epistolarum negotiatione cõsidero, Paulũ scilicet Deo ipsi bellũ indixisse, contra illũ negotiatũ esse, & signũ militare contra illũ erexisse. *Iob 15.* Tales nẽpe sunt multi peccatores hæretici maxime, & alij, qui sua authoritate, exemplo, & fauore alios inficiunt, & ad infernum deducunt; hi nempe Deo bellum inferunt, & gentem diabolo colligunt contra Deũ omnipotentem. Habemus apud Iob locum hac de re clarissimum cap. 15. vbi de graui peccatore sic ait: *Tetendit enim aduersus Deum manum suam & contra Omnipotentem roboratus est, cucurrit aduersus eũ erecto collo, &c.* Nonne vides Saulum in hac Epistolarũ procuratione, & fideliũ incarcerationẽ, contra Deũ manũ tendere, & erecto collo currere aduersus illum? Tales sunt multi peccatores, qui quasi dedignantur quod soli, & incomitati ad infernũ properent, alios multos, dicto & cõsilio diabolo congregant, & gentes contra Deũ colligunt. Faciunt ad idem intentum quæ D. Gregorius scripsit ad citatũ locum Iob sic dicens: *Erecto contra Deũ collo currere est ea quæ Creatori displicent cum audacia perpetrare. Cucurrit, id est, in malo opere obstaculum de aduersitate non habuit.* Hi nempe sunt diabolo Lucifero similes qui Apocalypsi 12. suo malo consilio malos Angelos ad peccatũ inducens illos quasi contra Deum armauit, *Apoc. 12.*

Peccatores magni Deo bellũ inferũt & gentem contra illũ faciũt.

armauit, & sic cadens cauda sua traxit secum in infernum tertiā partem stellarum. Sunt & similes Iudæ illi pessimo, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum, Act. 1. de quo Iuda & eius in hac parte sectatoribus eleganter sic ait Diuus Leo Papa serm. 9. de Passione Domini. *Impius Iudas maluit minister esse Diaboli quam discipulus Christi.* Iam vero quantum malum hoc sit, vltra prædicta, inferat quis ex illo inaudito supplicio à Christo Domino comminato Matth. 18. illis qui alijs scādalum dederint, ad peccatū scilicet impellendo, vel peccati occasionē præbēdo: dignos enim pronuntiauit, qui in mare mergerentur cum ingēti ad collum saxo alligato. De hoc etiam in particulari se accusat D. Augustin. 4. confess. suarum cap 1. dum, relatis prius aliquibus suis erroribus sic inquit: *Sectabar ista, atque faciebam cum amicis meis per me, ac mecum deceptis.* Sic ille. Huius vero peccati supplicium nunquā remittitur nisi per iustā satisfactionē à Deo inflictam, vt videre est in illo dicto Nathan ad Dauid 2. Reg. 12. quantuncunque enim contritus iam esset, audiuit: *Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, &c.* id est occasionem dedisti, vt nomen Dei blasphemaretur.

Act. 1.

Ad peccādum alios impellentes taxantur.

2. Reg. 12.

Hoc tantum effugium & excusationem habere potuit, (licet non sufficientem) hæc Pauli epistolarum procuratio, quod nō priuata sua authoritate has cædes, & vindictam intentauerit, sed authoritate publica, & per Iudices ordinarios, scilicet per Principem Sacerdotum ad quē res fidei pertinebant: neque ipse puniendi licentiam petijt, sed solum vinctos perducendi in Ierusalem, vbi per Sacerdotum Principem forent iudicandi, & puniendi. In quo taxantur illi qui propria authoritate de inimicis vindictam sumunt, vulnerando, occidendo, & similia damna causando; de quo satis sit videre multa quæ à Doctoribus dicuntur in sermonibus de dilectione inimicorum. Videas etiam hic Paulum agere ministrum tribunalis sanctæ Inquisitionis ad purgandam fidem; quam ille putabat veram fidem, sed fallebatur: in substātia tamen, & sua intentione, id faciebat quod hodie fit à sanctissimo illo Tribunali sancti officij: ac proinde non est quod prædictum tribunal tum infideles, tum aliquæ nationes aliâs fideles, recusent ac detrectent; cum videamus iam in illa synagoga zelum circa fidei integritatem (sicut illi credebant) vigere, & Paulum ea de re zelatorem

Inquisitionis sanctū tribunal figuratum in lege veteri.

latorem integerrimum se osten dere, vt contra fidem (quam ille credebat fidem) peccantes traheret vinctos ad tribunal fidei, licet iam non esset tribunal fidei.

Et subito circumfulsit eum. Nota verbũ, subito, & modũ quo diuina miseratio multos ad se vocat; alios lente & paulatim, modo hanc, modo illã inspirationẽ exhibendo, eosque ducendo iuxta naturã & conditionẽ suã. Alios sicut nostrũ Paulũ subito, & repẽte efficaci illos auxilio, & illustratione permouet ne possint resilire, & excusationes afferre; & licet semper & vtrobique vigeat diuinæ miserationis dignatio; hic tamẽ secundus modus subitæ & efficacis vocationis benignior est, & maioris misericordiæ argumentũ ex parte Dei, & maioris vtilitatis ex parte ipsius cõuersi. Refert Pierius lib. 28. Hieroglif. esse quendã piscẽ ex cuius sanguine tingũtur pãni colore purpureo, seu fit purpura; hũc piscẽ, vt sanguis illius fructuosus sit, vno ictu impetuosissimo allidunt ad petrã, vt in instãti & subito moriatur: si enim ictus remissus sit, ita vt ex illo sanguis totus non fluat cũ morte ipsius nihil proficit prædictus sanguis; piscis erat antea noster Saulus, nã squamæ ab oculis illius infra ceciderunt. Hodie illũ diuina benignitas allidit ad petrã Christũ, sed allidit subito, & repẽte, tali vt impulsu, vt totus peccatis mortuus mãserit, Deique seruus perpetuus effectus. Hoc est quod ipse Paulus postea suis Romanis euenire cupiebat, dicẽs ad Rom. c. 16. Deus cõterat Sathã sub pedibus vestris velociter, ne scilicet detur locus dilationibus; pro quo ego cõsidero conuersionẽ nostrã, & status mutationẽ esse similẽ potioni amaræ à Medicis propinatæ: hãc nemo pluribus vicibus ori admouet; si enim pluries admota sit, amaritudine sua gustũ tædio afficiet: sed vno ictu, & vna vice debet subito absorberi, ne ob amaritudinẽ timeatur, & dilatetur. Talis est cõuersio, cõtritio, & mali status renũciatio, potio est animæ salutifera: hanc ex parte Dei scimus semper sufficiẽtissime offerri, seu auxiliũ ad illam: oportet ergo vt ex parte nostri, euã fiat subito & repẽte assentiẽdo, sine dilationibus, absque eo quod in hac materia discursus inutiles faciamus. Dicũt Philosophi intellectũ nostrũ circa prima principia nõ discurrere. Nemo enim discurrit, vt assentiat his propositionibus; ter tria sunt nouem. Maius est totum quã suæ partes, & similibus. Hoc autem quod est, peccatũ esse relinquẽdum, ac Deũ amandum maioris veritatis est, quam omnia prima principia

Varij modi diuinæ vocationis.

Rom. 16.

Cõuersio fiat eo modo quo potionem sumimus.

Intellectus nõ discurrit circa veritates notissimas.

principia etiã Mathematica; ac proinde circa relinquendũ peccatũ nõ sunt faciendi discursus, sed subito, ac repente ad contritioné properandum est. Ad hoc iungenda est Pauli responsio statim reddita, *Quid me vis facere*, nullã excusationẽ interposuit, nullũ discursum fecit, de statu mutando, de fama, de socijs, & rebus temporalibus, domoque Ierosolymis relictis, sed quemadmodũ Deus subito illum præuenit luce sua: sic ille volũtate própria obsequens subito & repẽte, mutatus est. Taxantur in hoc diuinã inspirationẽ, ac vocationẽ dilatãtes friuolis, & humanis discursibus ducti: similes coruo illi Noetico, qui Gen. 8. qui à Noe dimissus egrediebatur, & nõ reuertebatur: ad quem locũ (maxime Caetanus) Doctores dicũt coruũ circa arcam circumuolasse, nec tamen omnino intrasse. Tales sunt peccatores multi, qui à Deo in contritionem, & cælum vocati, circumuolant, nõ intrãt. Discurrũt circa status sui necessitates, famam, & honorem; circumuolant non intrant, discurrunt non se resoluunt. Cũ necessarium sit, nos D. Petrum imitari qui dum Act 12. vinctus esset in carcere: & nocte Angelum Domini dicentem audiret: *Surge velociter*, incunctanter omnibus sibi ab Angelo dictis obediuit; talis est quæcunque nobis indita diuina inspiratio, per illam nobis dicit Deus: *Surge velociter*, cadant ergo catenæ de manibus nostris, calceemus nos caligas, & cætera impedimenta vitæ reijciamus, quo possimus expediti, & incunctanter diuinæ vocationi obtemperare. Euitemus somnolentam illã erga Deũ responsionem, quã in se accusat Augustinus, quo tempore diuinis vocationibus resistebat. de quo ita ille 8. confess. cap. 5. sic ait: *Non enim erat quod tibi responderem, dicenti mihi, surge qui dormis, & exurge à mortuis, & vndique ostendenti vera te dicere. Non erat omnino quid responderem veritate conuictus, nisi tantum verba lenta, & somnolenta; modo, & ecce modo, sine paululum, sed modo, & modo non habebant modum, & siue paululum in longum ibant.* Sic ille. Concinit dictum Chrysost. homil. 57. ad popul. Antioch. pro eodem intento sic scribentis: *Ne dicas alloquar prius propinquos, resque meas expediam. Torporis initium est hæc dilatio, patrem sepelire discipulus voluit, nec id Christus permisit. Quid ita? quoniam acer instat diabolus vt se in animum insinuet, & si vel breuem arripuerit vacationem vel prorogationem ad magnum inducit teporem.* Sic ille. Lege de eadem re epist. 105. D Bernard vbi inter alia, sic consulit. *Fuge quæso,*

Conuersio fiat subito.

Gen. 8.

Peccator coruo similis in dilationibus.

Act. 12.

in via peccatorum ne steteris: Quomodo viuere potes vbi mori non audes? Sic ille. Idem nos postea docuit Doctor gentium ad Galat. 1. dicens de sua conuersione. *Cum vero placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit me per gratiam suam, continuo non acquieui carni & sanguini, & cæt.* Vide verba duo sibi inuicem respondentia: hic Act. 9. de luce diuina Paulum illuminante dicitur, *subito*: is vero de sua obedientia, & voluntate cooperante citato loco ad Galat. ait, *continuo non acquieui*. Repentinæ ergo diuinæ vocationi, respondere debet nostra subito, & absque dilatione executio per contritionem, peccatique detestationem.

Galat. 1.

Secunda pars.

Cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi, Saule Saule, quid me persequeris?

Psal. 82.

Labores sunt per quas Deus vocat ad se.

Solet sæpius diuina clementia & prouidentia per labores, & afflictiones particulares, peccatores multos, maxime inueteratos, rebusque corporalibus maxime immersos, ad se vocare: duobus in locis præcipue id habemus in Psalmis Dauidis 1. Psalm. 82. cum dicit: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine* Multi enim quando in honore sunt, non intelligunt, desipiunt, per infamiam superuenientem, sæpius conteruntur Religionem intrant de animæ salute ratiocinantur. Secundus locus est in Psalm. 118. *Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* Dauid enim satis humiliatus fuit á Deo, pestilentia, filiorum dissidijs inter se, Absalonis persecutione, multisque iniurijs ab eo illatis, & alijs similibus. Idem accidit nostro Saulo, satis humiliatus fuit hodie à Deo: ad terram deiectus, cæcus redditus: edendi ac bibendi appetitu priuatus, ad Ananiæ Magistratum missus, & cæt. vt merito cum Dauide posset dicere, *Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.* Diuus Augustinus super Psalmum 49. tribulationem à Deo immissam vocat vstionem, seu sectionem medicam, qua putrem carnem secat Medicus ad reddendam sanitatem. Ibi enim explicans illa verba, *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & cæt.* Sic ait de Dauide. *Inuenit tribulationem tanquam aliquid vtile putruerat tabe peccatorum suorum, iam sine sensu remanserat, inuenit tribulationem tanquam vstionem,*

Psal. 118.

Tribulatio à Deo missa est vstio seu sectio medica.

nem, & sectionem. Tales profecto multos videas peccatores, in antiquis peccatis putrescentes, ita vt iam fere non sentiant, nec diuinas inspirationes occultas nec diuini verbi efficaciam, nec prælatorum reprehensiones: diuinus ergo Medicus non odij, sed amoris gratia, vtile hoc remediũ inuenit, vstionem, & sectionem. Vrit, & secat, secat honorem, secat vxorem, secat maritum, secat filios secat denique, & vrit diuitias, & res temporales vt Deum inuocẽt in tribulationibus suis. Hac sectione secti filij Israel in deserto Rebelles, & sæpe ingrati in deserto, ad Dominũ conuertebantur, iuxta illud Psal. 77. *Cum occideret eos quærebant eum, & reuertebantur*. Facit illud Habac. 3. ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ: nã hasta qua Deus ferit & punit, splendet, illuminat, & mouet & facit ire ad se. Porro illi peccatores qui tribulatione à Deo immissa non resipiscunt, neque conuertuntur, sed in suis peccatis perdurant; hi iam damnatorum specimen fere præmonstrant, qui gehennæ pænis afflicti in suis malis affectibus manent Hi sunt similes canibus catenis deuinctis, qui à Domino suo verberati, non solũ non quiescunt sed stridẽt dentibus, & rabidi clamant contra verberantem. Sunt veluti sanguisuga, seu hirudo, quæ adeo tenax est in sanguine sugendo, & eruendo vt etiam incisa per partem inferiorem non desistat, sic videas multos maxime in odio manentes, & alienum sanguinẽ sitientes, vt nec laboribus, nec paupertate fracti, non desistant ab odio neque conquiescant à peccatis. Denique hi qui laboribus non conuertuntur sed indurantur, similes sunt illi pessimo Iuliano Apostatæ, qui, iuxta Theodoritum libr. 3. hist. Eccl. cap 25. & alios, cum iter agens ad bellum, sagitta, vt creditur, diuinitus immissa, percussus esset, non solum non est ad Deum conuersus, sed è contra, fluente sanguine manum suam implẽs, & in aerem spargens, cõtra Christum Dominũ quem Galilæum vocabat sic dixit. *Vicisti Galilæe*. Et sic indignatus mortuus est.

Psal. 77.

Peccatores qui neque laboribus cõuertuntur, similes damnatis, & canibus, & Iuliano Apostatæ & sanguisugæ.

Quo autem maiora sunt in homine conuertendo impedimenta, eo maior humiliatio, seu maioris tribulationis immissio à Deo fiat, necesse est: quod etiam in nostro Saulo concurrisse considero. Tria nempe inter alia habebat impedimenta, litteras seu sapientiam, nobilitatem, & diuitias. Hæc ego sic conijcio, & quidem de litteris constat illum fuisse doctissimum in lege discipulumque Gamalielis, vt ipse Paulus de se fatetur. Act. 22. Erat item

Nobilitas sapientia, & diuitiæ sunt impedimenta ad conuersionem.

Act. 22.

item nobilis eo quod ciuis Romanus esset. Coniicio præterea diuitem fuisse, vel saltem non pauperem, nam qui se offerebat ad tot impensas itineris, & sociorum sumptus faciendos, non pauper, sed diues iudicandus videtur. Addi & potest quartum impedimentum in Paulo, quod scilicet Minister iustitiæ tunc existeret, & iurisdictione, potestateue humana fulcitus: quantum vero hæc omnia hominem ab animæ salute diuertant, & impediant perfectã ad Deũ conuersionem, breuiter, & singillatim ostẽdo. Et primo quantũ diuitiæ impediant, dixit Christus Dominus, Luc. 18. *Facilius esse Camelum per foramen acus transire, quam diuitem cælum intrare.* De litteris humanis, idem Paulus ad Rom. 1. multa docet: primo enim docet Philosophos antiquos Deũ cognouisse, sed illum non glorificasse: secundo dicit, illos euanuisse in cogitationibus suis: tertio, cum essent sapientes stulti facti sunt. Vide difficultates, & dilationes in conuersione Sancti Augustini, cuius scientia, & intellectus Ecclesiæ fuit admiratio. De scientia item, & nobilitate simul quantum impediant cõuersionem (non quod sint in se mala hæc duo, sed quod his bonis male vtimur) primo constat in Angelis malis qui & natura nobilissimi erant, & scientia plenissimi, maxime Lucifer plusquam omnes alij: & tamen suæ nobilitati, ac scientijs freti adduci non potuerunt, vt peccatum suum detestarentur. Secundo id ipsum constat in illo Nicodemo, Ioan. 3. qui cum esset princeps inter Iudæos, & Magister in Israel, nobilis scilicet, & doctus: circa doctrinam tamen à Christo traditam, rudem se penitus ostendit, ita vt audiret à Christo Domino. Tu es Magister, & hæc ignoras? & propter metum Iudæorum, & respectus humanos nocte ad Christum veniebat, nõ interdiu. Denique quantum potentia, & iurisdictio temporalis in potentatibus, siue potentibus impediat animæ salutem, sufficiat experientia. & populi clamor, de iudicum insolentia, vt pene se Deos credant in terra, & sibi licere quidquid volunt. Cũ ergo noster Saulus his omnibus quatuor impedimentis esset præpeditus grandi humiliatione indigebat, ad terram scilicet deiectione, obcæcatione &cæt.

Luc. 18. Ioan. 3.

Ego præter hanc humiliationis causam alias duas considero ex parte Dei. Prima est ex doctrina Augustini serm. 10. de verbis diuinis vbi asserit, quod *peritus artifex qui cogitat magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamẽto prius cogitat humilitatis & quo*

& quo maiorem intendit super imponere mollem ædificij, eo altius deorsum versus fodit fundamenta. Hoc ego applico huic humiliationi erga Paulum. Decernebat Deus in Paulo magnam fabricam cõstituere perfectionis Euangelicæ, & illud vas electissimum, & altissimum fabricare, ideo præ omnibus Apostolis illum prius humiliauit, & quanto maiorem, seu celsiorem illum facere intẽdebat, eo altius in sua prima cõuersione humiliauit. Secundam huius humiliationis causam forte possumus humano modo cõsiderare, cum allusione ad consuetudinẽ in Achademijs, olim maxime, obseruatam. Mos namque fuit in Achademijs illum, qui Doctoratus, vel Magistratus honore erat decorandus, prius aliquibus defectibus eius veris, vel falsis, dehonestare, vel humiliare, quo doceretur ne tanti honoris collatione eleuaretur: quod vexamen dici consueuerat. Hoc ipsum fere Paulo contigit in hac humiliatione. Hodie illum Deus constituit Doctorẽ gentium, & Doctorem Ecclesiæ, maiorem quam vllus vnquã in Ecclesia repertus est: non ergo mirum si prius à Deo fuerit humiliatus, ad terram deiectus, & quasi doctoratus vexamine probatus. Non erit abs re quasi pro eodem intento audire Chrysostomum hom. supra citata de conuersione Pauli, sic illi exprobrantem, & quasi irridentem in persona Christi quamdiu prostratus humi iacebat. Sic enim ibi scribit. *Saule, Saule quid me persequeris? Ecce iaces supinus, ecce ligatus es absque catena? (& sicut Dominus famulum qui plurima, & grauia commisit manu comprehensum, & vinctum alloquitur) Quid tibi vis faciam nunc, ecce venisti sub manus meas. Quo nunc peruenit ferox ille furor tuus? Vbi insania? Vbi zelus intempestiuus? Vbi vincula, & circũcursationes? Vbi atrocitas illa? Immobilis quidem eris nunc & neque videre persequentem poteris? En qui festinabat, qui vbique circumcursabat, & cæt.* Sic ibi Chrysost. Quæ omnia quadrant optime peccatori cuilibet à Deo laboribus humiliato, febri scilicet, vel alio flagello diuino; cuius antea nomen solum, & vultus terrebat mundum, & tanquam Deo, sibi omnia licere credebat.

Humiliatio debet præcedere exaltationem.

Achademiarum mos in humiliando doctore vel Magistro ante collatione doctoratus vel Magistratus.

Paulus humiliatus ante doctoratum.

Vide adhuc, peccatorum varia subiecta variasque naturas & conditiones: alios nempe inuenias qui nisi per labores vsque ad terrã prosternantur non conuertuntur: alios qui facili negotio, quasi ad nutum Dei, & ad minimam inspirationem illius conterantur. Exemplum clarissimum habemus in Paulo duro, & resistẽte vt diximus. In Diuo autem

Peccatores alij duri, alij faciles: & possunt trahi a Deo dissentire.

autem Petro, é contra, solo enim diuino intuitu ad se, seu ad Deũ reuersus est. Considera item Magos illos sanctissimos Christi adoratores qui nemine illis loquente, ad solius stellæ intuitum moti sunt ad quærendum Dominum: é contra Iudas ille pessimus nec lotione pedum, nec Christi Domini genuflexione, nec sancta communione percepta voluit à malo suo proposito deterreri. Sponsa diuina Cant 1. ait, trahe me post te, curremus: idest si tantilla motione traxeris, non solũ acquiescam, sed curram post te: é contra filius ille prodigus Luc. 15. indiguit fame, nuditate, paupertate, & afflictione porcorum vt resipisceret. Et sic multa poterunt exempla occurrere: ex quibus infallibilis apparet illa veritas à sancto Concil. Trid. definita Sess 6. Canone 4. vbi dicitur, ***Non obstante diuina motione, & auxilio posse peccatorem libere consentire, ac dissentire.***

Cant. 1.

Luc. 15.

Quid me persequeris? Idest fideles meos, qui sunt membra mea. Mirum est, Deum in suis iniurijs ferendis patientissimum esse: e contra vero seuerum, & promptum ad vindicandas iniurias factas suis ouibus, & innocentibus. Quando Caim Genes 4. sacrificium diminutum Deo obtulit, & Deo quasi iniuriosum & Deo indignum: leuiter à Deo reprehensus est, illis tantum verbis, *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* E contra vero, quando Caim occidit fratrem Abel, aspera reprehensione & perpetuo supplitio punitus est 3. Reg 21. graui supplicio punita est Iezabel, & antea vir eius Achab, non tantum propter offensas in Deũ commissas, quã propter vineam Naboth ademptam. Primus inter Reges Iudæorum qui populum auertit à cultu Dei fuit Ieroboam 3. *Reg.* 12. & tamen non est propter hoc percussus brachij stupore & contractione, nisi quando manum extendit in Prophetam Domini. 3 Reg. 13. Denique Matth. 18. Rex ille qui in tantis sibi debitorem seruũ malum inuenit non est conquestus, neque illum ea de causa puniuit, sed ex eo solum quod suo conseruo noluit minus debitum remittere. Monentur in hoc potentes, & cæteri, vt abstineant omnino ab affligendis paruulis, neque audeant in Christi Domini seruos, qui habent pro se Deum paratissimum, & pugnacissimum defensorem, & se lædentium offensorem. Postulat præterea hæc diuina consuetudo, vt siquidem Deus in proprijs iniurijs vindicandis remissus est, & in nostris promptissimus: Nos eodem modo in dissimulandis proprijs iniurijs essemus omnino faci-

Genes 4. Deus proprias iniurias tolerat: non vero seruis suis mala illata.

3. Reg. 21.

3 Reg. 12.

3. Reg. 13.
Matth. 18.

faciles: iniurias autem diuinas, seu Deo factas feruenti zelo vindicaremus, in quo nostri Pauli iam conuersi imitatores erimus, qui cum tot verbera, & iniurias propter Christum mutus pateretur: circa diuinum tamen honorem, eiusque iniurias fuit zelator feruidus, & integerrimus.

Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Quatuor modis exponitur hic locus, & omnes eodem fere recidunt. Primo, durum tibi est contra Deum pugnare qui potentissimus cum sit ad manū, & in manu habet tot modos, tot aculeos, & stimulos quibus te potest punire: sumpta similitudine ex boue qui calcitrat contra aculeum Agricolæ pungentis illum: ea namque calcitratione neque aculeum infirmat, neque effugit sed aliquādo magis pungitur, vel Agricolam ad se magis pungendum instigat. Secundo, quia durum erat Paulo resistere prædicationi Apostolorū, & verbis diuinis, cum Eccles. 12. dicatur, *Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi.* Tertio, durū erat Paulo resistere diuinis inspirationibus, quæ veluti stimuli pungunt, & stimulāt: de quo iam supra diximus. Quarto, durum erat Paulo resistere clamoribus conscientiæ prauæ quæ plusquam stimulus. Ferrens miserum peccatorem, stimulat,

Eccl. 12.

Verbū Dei semper dicatio, est stimulus.

Inspirationes diuinæ sunt stimulus.

arguit, & pungit. Hoc vltimū & quartum hic tantum prosequor, quantū scilicet prauæ conscientiæ remorsus stimulet, & pungat, vt illius tantum stimuli vitandi gratia, sit à peccato recedendū. Primo occurrit illud Eccles. 33. *Præcordia fatui quasi rota carri.* Rota carri non stridet nec sonat nisi quando plaustrum oneratū est. Talis est conscientia impij: vbi primū aliquo peccato mortali onerata est: fit veluti rota carri. Vide quam importunū strepitū, & fragorem edat rota carri onerati, ita vt illa audiētes, à sermocinatione desistāt quia se adinuicem non intelligunt. Talis est conscientia impij si aduertat: morsus, & remorsus, clamoresque conscientiæ patitur innumerabiles, & importunos: vt mirum sit illum, ea solum de causa non mori. Mortuus profecto est Balthasar Danielis 5 ex eo tantū quia sui peccati digitos, seu effectum, vel signum scriptum vidit in pariete: Quid non moriatur peccator toties intra se sentiens nō digitos peccati, sed ipsum peccatū clamans, & accusans? Deut. 28. prauis peccatoribus cōminatus est Deus dicēs. *Dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animā consumptā mærore, & erit vita tua quasi pendens ante te.* Cōsidera hæc omnia verba, sunt enim singula appositissima ad cla-

Eccl. 33.

Conscientiæ prauæ clamores intolerabiles.

Daniel. 5.

Deut. 28.

clamores conscientiæ. Maxime vltima verba, de vita pendente ante illũ, significant peccatorem ob remorsum conscientiæ quasi se ipsum mortuum, vel damnatũ gestare ante oculos. Huc etiam potest applicari illud Psal. 50. *Et peccatum meum contra me est semper.* Videtur namque Dauid Vriam mortuũ ante oculos semper gestasse, & ab illo quasi terreri. Chrysost. hom. 17. in Genes. de praua conscientia sic ait *Ipsa nos circumit, obturbat, laniat, flagellat, nunquam quiescit, sed domi, & in foro, & in templis, & in mensa, & dormientem, & surgentem adoritur, rationem delictorum exigit, &c.* Augustinus etiam eleganter super Psal. 33. de eadem re, & peccatoribus sic scribit *Quomodo nolunt intrare domus suas, qui habent malas vxores, quando exeunt ad forum, & gaudent: capit hora esse qua intraturi sunt in domum suam, & contristantur, intraturi sunt enim ad tædia, ad murmura, ad amaritudines, ad euersiones &c. Sic ergo miseri sunt &c.* Optima profecto, & faceta cõparatio est ad præsentem materiam illustrandam. Denique vt omittamus prope infinita quæ à sanctis doctoribus hac de re eleganter dicta sunt, sufficiat nobis dictũ vnius gentilis Quintiliani, qui 5 instit. sic habet. *Conscientia ipsa mille testes, & durus omnino ipse accusator, iudex, carnifex, vermis remordens.* Sic ille. E contra vero quid suauius, iucundius, quietius, conscientia nihil debente. Audiamus de hoc solum Augustinum serm. 10. ad fratres in eremo sic dicentem. *O felix sancta conscientia iucunditas, qua vermem interiorem excludis, qua à carcere doloris liberas rationem, qua ab omni immunditia purgas mentem. O mens sancta, paradisum delitiarum varijs bonorum operum virgultis consita, & suauiter cælesti gratia irrigata.* Sic ille.

Psal. 50.

Conscientiæ bonæ quies, & iucũditas.

Quid me vis facere? Videamus iam Paulum nostræ salutis doctorem, iam nõ lupum, sed agnũ mansuetum. Primo ergo his verbis exemplum nobis præbuit, maxime Religiosis, promptissimæ obedientiæ, paratæ ad omnia: de qua iam satis supra diximus. In exhortatione propria de obseruatione & modo obedientiæ. Secundo, docet quomodo peccator pænitens in foro cõfessionis debeat esse humilis, obediens, & omnino subiectus, & paratus ad omnia quæ cõfessor facienda decreuerit: Ne scilicet cũ cõfessore disputet, excusationes adducat, & ratiocinationes faciat: arguit enim hoc durã adhuc animã, & non omnino pænitentem, cũ debeat esse sicut Paulus hodie contritus, ac dicere cõfessori: *Quid me vis facere?* Exemplũ summi potest in ægroto alicuius aposte-

Obedientiæ promptissimæ exemplũ.

Pænitens in foro sacramẽtali sit obediẽs & humilis.

Confessor chirurgus est.

apoſtematis. Si enim hic curaturo ſe Chirurgo, dicat, ſcindes hoc non illud, ſecabis hoc modo nõ illo ſalutis periculũ incurrit, quia vult curari ſine dolore, ſuo modo, & chirurgũ docere. Vt ergo ſanus fiat debet ſe totũ arti chirurgi cõmittere: ac dicere, ſcinde & ſeca ſicut ars docet, & videris neceſſariũ. Peccator ad cõfeſsionem accedit mille putridis peccatis quæ inſciſione occaſionũ indigent, & remedio de futuro. Si ergo animæ ſanitatẽ deſiderat, cõfeſſori dicat, *Quid me vis facere?* Seca putridũ, ſcinde occaſiones. Vre per impoſitionem dignæ ſatisfactionis, vt ſanus fiam. Si enim ſecus faciant, & excuſationes afferat, & dicat ſe talia, vel talia non eſſe facturum, iam non vere pænitẽs apparet. Diſtinctione prima de pænitentia, cap. Petrus doluit, refertur optimum dictum ſancti Ambroſij ad hoc intentum, quod ſic habet. *Petrus doluit & fleuit: non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit.* Et paulo infra ſic ait. *Lacrymas eius lego, ſatisfactionem non lego* Vbi per ſatisfactionem, credo non ſignificari ſatisfactionem quam vocamus ſacramentalem, ſeu pænitentiam imp ſitam, opus ue pænale per quod ſatisfacimus peccatis Hanc enim ſatisfactionem ſeu opus pænale ſatisfactorium pro peccatis Petrus omnino adhibuit, imo eius lacrymæ erant hoc opus pænale ſatisfactorium. Sed credo ibi per ſatisfactionẽ, D. Ambroſium, ſeu ius canonicum intelligere excuſationem, ſeu reſpõſionem, quod maxime in noſtra lingua Luſitana, explicatur, in qua dicimus, *Não deu ſatisfação, ideſt, eſcuza de ſi.* Petrus ergo ſolum fleuit, non ſe excuſauit, nihil allegauit, ſolummodo ſe accuſauit. In eodem decreto, & diſt. de pænit cap. conſideret, refertur aliud dictum D. Auguſtini ad eundem finem, de pænitente ad pedes confeſſoris ſic dicente. *Ponat ſe omnino in poteſtate iudicis, in iudicio ſacerdotis, nihil ſibi reſeruans ſui.* Mirum eſt, quæ, & quanta olim fideles patienter, faciebant, & patiebãtur humiliter in pænitentijs publicis ab Eccleſia ſolemniter iniunctis à 4 feria cinerũ vſque ad feriam 5 Maioris hebdomadæ, quo toto tempore ab Eccleſia eijciebantur cũ quadam quaſi execratione, cogebantur Eccleſiam nudis pedibus intrare ſacco veſtiti, cũ multis alijs pænitentiæ cæremonijs, & tamen humiliabãtur, obediebant, quæ omnia videri poterunt in cæremoniali Pontificali ſub proprio hac de re titulo. Hodie vero eo noſtra miſeria, & fragilitas deuenit, vt fere moraliter impoſsibile ſit condignã ſatisfactionẽ magno alicui peccatori impo-nere.

Petrus poſt peccatũ doluit, non ſe excuſauit neq; aliquid allegauit.

Satisfactio cõdigna pro peccatis hodie ferè nequit impo ni propter hominum ignauiam.

tiere. Aut enim ieiunare non potest: aut eleemosinam largiri nequit: alias carnes macerationes nō admittit: vel si condignā satisfactionem illi imponas, tandem illam non implet, ita vt aliquando alleget periculum famæ si talem impleat. Et proinde moraliter sit impossibile, vt dixi, condignam satisfactionem grauibus saltem peccatis imponere. Recordentur ergo pænitentes commune dictum Summistarum moralium quo dicunt, vnam ex conditionibus confessionis sacramētalis esse vt sit humilis: continetur hoc in illis versibus continētibus conditiones confessionis cum dicitur: *Sit simplex humilis confessio, &c.* Et explicant Doctores quod pænitens debet esse humilis in habitu, in situ, & vultu, & in intellectu, seu prompta voluntate, vt scilicet cum Paulo humi prostrato dicat. *Pater quid me vis facere?*

Confessio simplex, & humilis.

Quid me vis facere? Considero præterea in his verbis, documentum nobis tradi vt sinamus nos à Deo gubernari, & ad Cælum duci modo sibi placito, non vero modo à nobis electo. Quoties nos eligimus rem, vel statum, per quæ ad infernum recta tenderemus? Putas diuitias, sanitatem, hoc officium, hunc statum tibi conuenire, & sæpius ibi consistit periculum tuum. Sine ergo te à Deo duci, illum consule, illi dic instantissime, *Domine quid me vis facere?* Et hoc non solum respectu gloriæ, verum etiam respectu finis, ac status temporalis. Fauet huic doctrinæ præcipue ille versus Psal 79. *Qui deducis velut ouem Ioseph.* Vbi Dauid alludit primo ad comparationē ouis ductæ à pastore ad pastum: cum enim ouis non intelligat vbi sint meliora pascua, aquosa, vberiora, lupis, & alijs periculis carentia, si ipsa à se nullo pastore duce abiret, peterraret vtique, neque commoda pascua, neque aquam reperiret, caderet in vortices, lupos, & cæteras bestias. Vt ergo hæc omnia incōmoda deuitet sinat se à pastore deduci. Sic ergo ait Dauid: *Deus optimus maximus deduxit Ioseph ad principatum Ægypti, tanquam ouem duxit illum.* Nam si Ioseph ductu, & voluntate sua gubernaretur, à paterna domo, & fauore non recedens, nunquā fuisset vir princeps, & tanquam frater minor ab alijs senioribus foret despectus. Deduxit ergo illum Dominus velut ouem ignorantem quo ducitur. Deduxit illum per fratrum suorum inuidiam, venditionem, carcerem, dominæ tentationem, ad principatum illum celeberrimū Ægypti. Eodem modo si suo dictu quis velit gubernari, & quæcunque appetitus dictat inquirere, cadet in

Ductui, & ordini diuino acquiescamus non nostro.

Psal. 79.

Ouis ad exēplū sinat se homo duci à Deo, sicut ouis à pastore.

in foueas, laqueos bestiarum spiritualium incursus. Dicat Deo instanter: *Domine quid me vis facere?* Dicat cum Dauide Psalm. 118 *Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniustitia*. Si quando autē viderit ordinatione diuina sibi contingere res, ac media suo intento, fini vel appetitui contraria: recordetur, & sibi applicet verba illa Christi Domini Ioan. 13. Petro dicta: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*. Nescis modo quo tendant hæ dispositiones, vel permissiones diuinæ, scies autem postea in æterna vita. Recordetur dicti illius apud Ieremiam cap. 2. vbi recitans Propheta quæ mala acciderint animæ fideli ibi significatæ, quod scilicet posita sit terra eius in solitudinem, quod constuprata sit vsque ad verticem & cæt. reddens causam ob quam prædicta mala illi contigerint, subdit hæc verba. *Nunquid non istud factum est tibi quia dereliquisti Dominum Deum tuum, eo tempore quo ducebat te per viam?* Id est non acquieuisti Dei ductui, quo te ducebat per viam sibi placitam, & tibi congruentem: sed voluisti tua via, & tibi placita gubernari. Consonat his optimum dictum Diui Ambrosij lib. 1. de officijs dicentis. *Inde incipit beatitudo iudicio diuino, vnde ærumna reputatur humano.* Quæ verba hunc habent sensum quod scilicet sæpe illud malum temporale quod tu humano iudicio reputas ærumnam; ordinat Deus, vel permittit, vt inde tibi incipiat beatitudo, aliquando humana etiam in terris sicut videre est, in venditione Ioseph: vel saltem beatitudo æterna. Cuius hoc exemplum assigno. Ordinat Deus vt Minister iustitiæ, comprehendat latronem, vel alium facinorosum hominem, & ducat in carcerem, vnde absque dubio ad patibulum extrahetur. Latro incarceratus ærumnam putat: inde tamen illi incæpit beatitudo cælestis: quoniam; si liber ambularet, in suo peccato persisteret; morte inopinata præuentus naturali, vel violenta, non forte sic contritionem haberet. Ductus vero ad patibulum per Ministros iustitiæ, & certus de morte sua, contritionem elicit, sacramenta suscipit, per mortem illam patienter toleratam, meretur. & satisfacit: ac denique gloriam assequitur Iuuat illud Senec. lib. de remed. fortuitorum pecuniā perdidisti, eris nunc in via expeditior, exonerauit te fortuna; damnum putas, remedium est. Sinamus nos ergo diuino ductu gubernari, & cum nostro Paulo

Psal. 118.

Ioan. 13.

Ierem. 2.

dicamus, *Domine quid me vis facere?*

Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis nihil videbat. Vide mirum curationis diuinæ modum simul obcæcat, & illuminat. Supra dixit quando primo Saulus deiectus est in terram quod circunfulsit eum lux de cælo, nunc autem quod oculis captus nihil videat. Et reuera ad eundem finem hæc ambo diriguntur, vt scilicet oculi corporei obcæcentur, quo oculi mētales aperiantur: & quidem de oculorum corporalium obcæcatione videtur loquutus Dauid Psalm. 118. *Auerte oculos meos ne videant vanitatem.* Petebat scilicet moralem obcæcationem, vt per complacentiam ad mundi vanitatem non respiceret, sed quasi cæcus ad illam se haberet. Est hæc expositio conformis Diuo Gregorio Papæ, qui lib. 33 Moral. cap. 30. de hac Pauli obcæcatione sic loquitur: *Lumen quippe vt acciperet amisit.* Et Diuus Augustinus relatus 23. quæst. 4. cap. displicet: sic de eodem loquitur. *Excæcatus vt mutaretur, mutatus vt mitteretur, missus vt qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur.* Sic ibi. Et quid non cæcus ad terrena hinc Paulus maneret, si surrexit à terra, & oculos aperuit?

Deus obcæcat nos vt videamus.

Psal. 118.

Hæc duo si faciamus ad terrena profecto cæci erimus, vt nequeant illa nobis placere, surgamus nempe paululum à terra, & aperiamus oculos, eleuemus paululum considerationem à terrenis ad cælestia, consideremus per apertos mentales oculos vilitatem terrenorum, & nihil videbimus vt Saulus, id est omnia illa nihil esse iudicabimus. Hoc nempe est iudicium quod de terrenis rebus postea formauit Paulus ad Philippenses 3. dicens: *Propter quem (Christum. s.) omnia detrimentum feci & arbitror vt stercora, vt Christum lucri faciam.* Cum his oculis aspiciebat terram Ieremias cum cap. 4. dixit: *Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihili* Cui consonat illud Genes. 1. *Terra autem erat inanis & vacua.* Recte ergo iam noster Paulus oculos mentales aperiens, & corpore cæcus nihil æstimandum in terra videbat. Nos é contra cum Saulo ante conuersionem suam, oculos mentales claudentes, & corporeos tantum aperientes, videmus terram plenam bonis nobis carnalibus placentibus. Nec mirū, nam squamas in oculis sicut Saulus habemus. Squamæ enim illæ corporales Pauli, non designabant corporalem infirmitatē oculorum quam antea haberet,

Philip. 3.

Ierem. 4.

Gen. 1.

& quam

& quam illi Deus modo curaret: sed designabant squamas mentales, tenebrasue interiores ocu.i mentalis, quas Deus opt. Max in Paulo ab intellectu pellebat Squamæ namque tenebræ sunt, quæ nos non patiuntur videre res sicuti sunt: videt peccator cum squamis, & tenebris quia videt diuitias vt bonas, luxuriam.vindictam, crapulam & similia, hæc inquam omnia videt non solum bona, sed aliquando iudicat sibi necessaria: squamæ sunt & tenebræ intellectus. Itaque Paulus nihil bonum spirituale in terra videbat, quia surrexit à terra, & mentales oculos aperuit. Nos è contra videmus multa placentia in terra, quia iacemus in terra, & quia claudimus oculos. In confirmationem adhuc prædictorum, quod scilicet, dum corporeos oculos clausos habemus, acutius cælestia videmus, & é contra cum illos aperimus cælestia non conspicimus, iuuat maxime considerare, quod multa, & admiranda mysteria in sacra Scriptura Deus reuelauit hominibus non vigilantibus, sed per somnia quando clausis corporeis oculis dormiebant In somnis Iacob vidit illam mysteriosam scalam, in somnis filius eius Ioseph vidit se futurum principem Ægypti, & vt relinquamus somnia Pharaonis, Nabuchodonosor & cæterorum, in somnis Angelus Domini monet Ioseph spõsum Deiparæ vt tollat puerum, & fugiat in Ægyptum: & sic possemus alia multa somnia recensere, in quibus Deus multa multos docuit, quando scilicet corporales oculos habebant clausos, & fere cæci corporaliter dici poterant. Considerauit hoc acutissime Iudæus ille Philo tom.2. lib. 1. cui titulus est, *Quod à Deo mittantur somnia.* Ibi enim hanc eandem nostram tractans materiã, post recensita aliqua somnia à Deo immissa, per quæ homines plus dormientes, quam vigilantes assecuti sunt: ponit hanc cõparationem. *Quemadmodum post solis occasum, quando sumus in tenebris, & oculi corporales nil vident in terra, tunc iidem oculi corporales clarius vident cælum cum stellis.planetis, cum suis distantijs &c. Quod tamen videre non possumus in meridie quando Sol nos illuminat & terram clare videmus, tunc enim in cælo nihil inspicimus. Eodem modo, de rebus cælestibus melius iudicamus cum clausos habemus corporeos oculos, vel illos ad terrena claudimus.* Consonat tandem huic argumento elegans doctrina Diui Gregorij Papæ lib. 5 Moral cap. 20. ad illa verba Eliphas amici Iob: *In horrore visionis nocturnæ.* Considerans enim ibi Sanctus

Per somnia Deus multa reuelauit, & non in vigilia. & quid hoc significet ex Philone.

quare illud abſconditum verbũ dictum fuerit Eliphas in viſione nocturna, non vero interdiu, ſic ſcribit: *Sæculares enim mentes, quãto ſe foris per deſideria dilatant tanto ad receptionem illius (inſpirationis, & conſolationis diuinæ) ſinum cordis anguſtant.* Sic ibi D. Gregorius cum alijs in hanc ſententiam.

Sed dicis Ergo Paulus antea ſquamas habens piſcis erat? Reſpondeo, ita ſane: piſcis erat, imo & coluber, anguis, ſeu draco, hæc enim duo tantum animalia, quod ſciam, ſquamas habent piſcis, & coluber. Piſcis erat Paulus ante conuerſionem; nam piſcis inter omnia animalia lubricus eſt, & viſcoſus; ſi illum ſola, & nuda manu premas effugit: arte ſola maxime hamo extrahendus eſt. Talis antea Paulus premebat illum diuina manus, Verbo diuino, Apoſtolorum, ſcilicet, prædicatione, inſpirationibus, timoreque iudicij, Paulus tamen lubricus, & viſcoſus vt piſcis effugiebat hæc omnia, ſoloque hamo, id eſt verbo diuino incarnato, quod à Doctoribus hamus eſca veſtitus dicitur, fuit extrahendus amundi pelago, ſcenoque vitiorum. Ideo Chriſtus Dominus in propria humanitate de cælo deſcendendes, iuxta veriorem opinionem, hodie Paulo apparens ipſum conuertit, & â mundi pelago, tumultuque ſegregauit. Imo & coluber erat ſquamas habens, vt etiam draco furioſus contra fideles poſſet vocari, & coluber perfidiæ caput. Cecinit hoc de Paulo optime Poeta Arator ad hunc locum, illis ſuis carminibus in hũc modum.

Et ſquamæ cecidere graues, naturæ quod anguis
Ferre ſolet, ratione viget: Iudææ venenum
Semper ab ore vomit, crudelior aſpide ſurda
Perfidiæ coluber, ſynagogæ ſibilat antro, &c.

Itaque draco fuit antea, coluber, piſcis indomitus, leo, lupus, & omni feritate repletus, nunc autem iam illum agnum manſuetum habemus: cæcum illum accipimus, vt nos illuminet, ſicut Diuus Chryſoſtomus in quadam homilia de laudibus Pauli teſtatur dicens: *Illius cæcitas, illuminatio orbis totius facta eſt.* Fecit nempe Deus in Paulo quod ſolent venatores, qui vnam columbam, vel turturem obcæcant, & iuxta illam laqueos vel retia ponunt, vt ad illam cæcam columbam cæteræ accurrentes laqueis, vel retibus capiãtur. Hodie Paulus ideo obcæcatus eſt in oculis corporalibꝰ, vt rete


Pauli cæcitas mũdũ illuminauit.

vt rete suæ prædicationis, & doctrinæ, vniuersas gentes, imo & vniuersum orbem Domino acquireret, & ad fidem conuocaret. Hac de causa plus debet Ecclesia Paulo quam cæteris omnibus Apostolis: quamuis enim ille Petro inferior fuerit, tamen abundantius omnibus pro Ecclesia laborauit, vt ille de se dixit 1. ad Corinth. 15. Hic est Apostolus qui plus omnibus Christum redoluit in hac vita. Nam si ille hodie vas electionis constitutus est vt portaret nomen Iesu per vniuersum mundum, sequitur quod vas plenum Christo, seu plenum Iesu, plus redolebat Iesum quam cæteri omnes. Accurramus ergo ad vas odoriferum, & Christo plenum, accurramus ad Paulum cæcum vt nos illuminet, accurramus ad illum qui de persecutore factus est pro nobis Orator & intercessor, vt impetret hic gratiam, & postea gloriam, Amen.

1. Cor. 15.

Paulus plus redolet Christum quam cæteri Apostoli.





DISPVTATIO VNICA, DE SCRVPVLIS, ET DE OPINIONE DVBIA ELIGENDA.



Agnus ille Nauarrus Hispaniæ decus,& Ecclesiæ lumen, suam summam Latinã clausit simili disputatione, agens de scrupulis, & de opinione deligenda. Quanuis autem ibi, & non hic, videatur proprius locus, cum illa sit summa Moralis Theologa, hæc vero prædicatiua: non tamen est præsens locus alienus, & absonus ad simile dubium tractandũ attento fine nobis proposito qui est Religiosis personis prodesse; illis enim in hoc deesse noluimus. Constat fere Religiosas personas vtriusque sexus plus cæteris in Ecclesia Dei, scrupulis agitari Illæ enim plus animæ salutẽ curantes, sunt de quibus illud dictum intelligitur, quod habetur cap.ad eius dist.5.ex D. Gregor. videlicet: *Bonarum quippe mentium est, ibi etiam culpas suas agnoscere vbi culpa non est.* In domo illuminata radio solis per fenestram, insurgunt atomi,& videntur quasi palpabiles, etiam si domus scopis mundata sit. In domo vero obscura, & subterranea, quam Solis radius, neque lux intrat, neque trabes, neque magna corpora, apparent seu conspiciuntur. Talis est Religiosorum,& sæcularium timoratorum conscientia à Deo illustrata, peccatorum minimorum atomos conspicit, & aduertit: sæculares vero non timorati toto anno fere in tenebris manentes, neque grauia peccata vidẽt, curant, vel aduertunt. Non ergo extra meum propositum est etiam in hac quotidiana necessitate

Religiosi plus scrupulosi sũt sæcularibus.

sitate fratres meos Religiosos iuuare, illisque remedio congruū ēti subuenire.

Quamuis autē videam multa de hoc argumento à Doctoribus scripta, ita vt nil fere iam videatur vltra dicendum, non abstineo, quoniam faciam satis, si illorū varia, & optima dicta ad summam breuitatem, & claritatem reduxero, forte etiam vltra missurus duo minuta in Gazophylacium cum tot & tantis Doctoribus, eo solū quod tali morbo nimis grauatus sim, & pro remedio proprio multa euolueтim. Ne tamen disputatio longior. & confusa euadat, in tres vel quatuor sectiones breuiter secabitur.

SECTIO I.

Quid sit scrupulus proprie.

INhærentes ijs, quæ tradit Nauar. loco citato, & cæteri illum postea secuti maxime Sanches lib. 2. de matrimonio disput. 41. pro definitione scrupuli tradenda, præmittendum putamus, intellectum nostrum varijs modis assentiri posse alicui veritati seu propositioni. Primo quando res est clara, euidens, absque formidine, verb. grat. cum assentitur huic propositioni, homo est animal rationale, seu bis quatuor sunt octo, & similibus, & tunc iste assensus dicitur scientia, seu scientificus. Secundo quando res è contra, est omnino dubia pro vtraq; parte, neque ex vlla parte apparet quid probabile sit, ita vt intellectus suspendat assensum. Talis est hæc propositio, vel quæstio: si nempe stellæ sunt pares an impares? pro neutra enim parte apparet quid iudicandum sit: & proinde intellectus manet dubius, & hic secundus modus dicitur, Dubium, est enim res in æquilibrio, neque vtrimque apparet probabilitas, aut etiā vtrimque apparet æqualis omnino probabilitas, & proinde intellectus prudens hic suspendit actum, & non elicit actum. Tertio, potest res iudicanda esse quidem certa, sed obscura, & non clare visa; & tunc dicitur fides diuina, vel humana, maior, vel minor, verb. gratia quod Deus sit Trinus & vnus: est quid certissimum, non tamen clarum, vt erat primus modus scientiæ, sed est certissimū propter authoritatē Dei illud reuelantis, præterea quod sit Roma, res est certa propter authoritatem tot librorum, & hominum qui illam viderunt: quod tamen Roma sit, credit is qui non vidit, pro-

pter authoritatem tot videntiũ & dicentium: ſumo hic fidem late vt communis eſt diuinæ, & humanæ. Quarto modo poteſt obiectum iudicãdum, apparere quidem pro vna parte probabilius,& verius,quam pro alia: & proinde intellectus aſſentitur huic parti quam putat probabiliorem, ſed tamen cum formidine partis oppoſitæ,timendo ſcilicet quod etiam pars oppoſita poſsit eſſe vera, & tunc dicitur opinio. Si vero intellectus magis inclinet in vnam partem, cui tamen non aſſentitur ob formidinem, dicitur ſuſpicio, vt notat Cordub. lib. 3. quæſtion quæſt. 2. Quinto, denique ſi intellectus reuera & de facto alicui obiecto aſſentitur ob rationes probabiles, & nihilominus contra id apparent illi leues coniecturæ, leuiaque argumẽta,nõ efficacia, ob quæ conturbatur, & inquietatur illud proprie dicitur ſcrupulus. Itaque vides quinque modos, vel ſex, quibus intellectus ſe poteſt habere circa aliquod obiectum, qui nempe ſunt, ſcientia, dubium, fides, opinio, ſuſpicio, ſcrupulus: quo vero hæc melius intelligantur, & magis appareat quid ſit ſcrupulus ponamus breuiter ſingulorum definitiones quæ iam melius intelligentur.

Scientia, ſeu actus ſciendi eſt actus euidens & certus quo intellectus aliquid apprehendit abſque formidine, vt hominem eſſe animal rationale. Fides eſt actus intellectus quo aliquid apprehendit certo, ſed obſcure, propter authoritatem ſolius dicentis, vt Deum eſſe, Romam eſſe & ſimilia. Vbi nota iuxta maiorem authoritatem dicentis, vel minorem, aſſenſu fidei nos aſſentire magis, vel minus certe; ſi enim is qui dicit eſt Deus, authoritas illius infinita facit certitudinẽ infinitã, pluſquã ſcientia. Si vero authoritas dicentis ſit humana, facit etiã aſſenſum certum, ſed obſcurum; plus minuſue iuxta illius maiorem authoritatem. Tertio dubium ſeu actus dubius eſt, quãdo intellectus pendet in æquilibrio, & in neutram partem inclinat, vnde merito ſupra dixi, in hoc tertio genere, potius intellectum ſuſpendere actum, quam elicere actum, ſi prudenter agere debeat: vel enim ex neutra parte apparet ratio probabilis, vt in ſtellarum paritate, vel imparitate: vel vtrimq; apparet æqua omnino probabilitas, ita vt intellectus dubius abſtineat á iudicando. Quarto, opinio eſt aſſenſus quo intellectus aſſentitur alicui obiecto probabili habẽs pro illa parte rationes probabiles, ſed tamẽ aſſentit cũ formidine

Scientia, fides, dubiũ, odinio, ſuſpicio quid ſint?

formidine partis oppositæ, quia scilicet, videt etiam pro parte opposita dari rationes probabiles & proinde etiam oppositum esse posse verum. Suspicio est quando intellectus in alteram partem magis inclinat, non tamen illi assentitur. Sexto, denique scrupulus definitur à Nauarro cap. si quis autem de pænitent. dist. 7. num. 12. & citato loco sum. hoc modo, scrupulus est apparentia aliqua in intellectu, contra id quod aliquis credit, opinatur, vel dubitat. Dicitur apparentia, id est repræsentatio: intellige, alicuius coniecturæ vel probabilitatis leuis, ac tenuis. Ita enim exponit seu distinguit Azorius 1. part. suæ sum. Moral. libr. 2. cap. 20 q. 2. dicens quod opinio, seu opinans assentitur cum formidine vni parti, quia videt etiam ex alia parte rationes probabiles: At scrupulus seu scrupulosus assentitur etiã cũ formidine, quia videt ex alia parte cõiecturas leues, ac tenues deterrentes illũ & auocantes ab assensu, & quiete. Dicitur in eadem definitione, *Contra id quod credit opinatur, & dubitat*: quia contra hæc tria tantum genera assensuum insurgunt leues apparentiæ, leuesque coniecturæ: Nam contra primum actum sciendi vel scientiæ, eo quod euidens sit, & clarus, non insurgunt oppositæ coniecturæ, nec dubietates, &cæt. Consonat huic definitioni, illa alia tradita â Soto, de secreto mem. 3. quæst. 2. conclusione 3. in hunc modum. Scrupulus est formido ita tenuis vt sit contra illam agendum, procedit enim ex quadam ignauia, & pauore. Hinc colliges quod quando quis recordatur clare peccati M. Comissi, & ex tali recordatione inquietatur, impropriè dicitur illi venisse scrupulum: Illud enim, non est scrupulus, sed clamor clarus conscientiæ peccaminosæ Scrupulus enim est sola illa apparentia leuis, ac tenuis nata ex formidine, absque ratione probabili sed ex leui coniectura contra quam scrupuloso irrumpendum sit.

Scrupulus propriè quid sit?

Scrupulus distinguitur ab opinione.

In maiorem adhuc definitionis, & scrupuli claritatem, comparo illum breuiter cũ illis quinque actibus præcedentibus, dicens. Quod scrupulus à scientia differt, quia hæc est assensus firmus certus, & euidés. Scrupulus vero nihil horũ habet sed est obscurus infirmus, &cæt. A fide etiã distinguitur, quia fides est assensus certus modo exposito in supradictis Scrupulus vero non est certus, sed incertus. Tertio differt à dubio, nã in dub. pro vtraq; parte apparet æqualis probabilitas, vel

tas, vel

vel obscuritas æqualis: at in scrupulo simpliciter datur assensus vni parti probabiliori, & pro alia apparent leues, & multo minores coniecturæ inquietantes. Quarto differt ab opinione, quia is qui opinatur assentit huic parti cum formidine, videns ex alia parte rationes probabiles: at scrupulosus (intra terminos scrupuli) non videt ex alia parte rationes probabiles, sed tantum leues apparentias, & terrores ex ignauia ortos. Vltimo differt à suspitione, quia hæc non assentitur parti illi ad quam inclinatur At scrupulosus absolute quidem huic parti assentitur, credens magis, hoc non esse peccatum. sed contra hunc assensum habet insurgentes apparentias solicitantes illum, vt discedat à tali assensu. Imo vt optime aduertit Azorius citato loco, scrupulosus aliquando dubitat, & solicitatur non à coniecturis vel probabili ratione, sed à sola sua ignauia, pauore, & complexione. Hæc sunt quæ de natura, seu definitione scrupuli possunt afferri.

Ego ex meo paruo intellectu, occasione illius dicti Azorij, quod scrupulosus aliquãdo absque probabilitate, ex solo pauore, & pusillanimitate inquietatur dico quod quãdo scrupulus nimis intensus est potest definiri, quod sit semi amentia: idest fere amentia, & semi insania, seu dimidiata insania Pro quo confirmando, & declarando noto cum Sanchez lib. 1. de sponsalibus disput. 8. à num. 23. posse contingere vt homo aliquis, in omnibus aliàs sit sobrius, & mẽtis compos, sed in vna tantum materia sit amens, neque in illa, ratione vtatur: eo quod ex nimia apprehensione, seu passione circa illam particularem materiam, læsionem phantasiæ patiatur, quod non patitur circa alias materias. Hoc ibi probat Sanchez authoritate Hipocratis, Galeni, & aliorum Medicorum, imo & Theologorum: & experiẽtia cuiusdam hominis quem ipse testatur se vidisse amentem omnino in vna tantum materia, sed in omnibus alijs sobrium. Hoc ego applico ad nimis scrupulosum, fere est semi amens, in sensu dicto, videlicet in sola materia iudicandi de peccato fere insanus, & amens est: idque euenit ex nimia, & formidolosa apprehensione peccati, seu inferni, ita vt in hac tantum materia peccati fere læsionem potentiæ patiatur, quod non patitur in alijs materijs: & proinde in materia peccati, non recte discurrit, nec ratione mouetur, sed ex sola apprehensione turbatur, per errat, & in modum amentis aberrat.

Scrupulus est fere amentia, & insania.

Amens potest quis esse in vno tantum, & sobrius in omnibus alijs.

Hanc

Hanc ego meam applicationem de scrupulosissimo semiamente, confirmo etiam ipsa experientia ex multis. scilicet qui ex vehementia scrupulorum in plenam, & totalem amentiam deuenerunt. Et hæc sufficiant ad intelligendam quidditatem, seu naturam scrupuli, seu semiamentiæ.

SECTIO II.

De causis à quibus causatur scrupulus.

Scrupulus vnde causatur, & à quibus.

MVltum iuuat ad cognoscendam naturã rei, noscere causas productiuas illius, quod etiam in scrupuli materia facimus vt inde etiam melius applicentur remedia destructiua illius. Igitur Nauar. citato loco sum Latinæ cum alijs doctoribus communiter, (Maxime Gersone, qui inter omnes hoc argumentum melius explicauit) tangit breuiter multas causas scrupuli, quas nos fusius tantisper explicãtes, sed aliquas omittentes, dicimus primam scrupuli causam naturalem asignari à doctoribus, melancholiam vt testatur D. Tho 1.p. q.115. art 5 ad 1

Melancholia mater scrupulorum.

Hæc vero melancholia adeo terribilis & diabolicus humor est, vt Pineda super Iob. 1.tom c. 3. vers. 2. sect. 2. referat ex Auicena aliquos medicos credidisse melancholiam à dæmone fieri: falso tamen, id dixerunt cum melancolia sit humor naturalis, & proinde à Deo factus. Huius ego Rei vel imaginationis, causam asigno: nam cum diabolus sit ipsamet tristitia, & melancholia, ob pænam damni qua continuo affligitur, quæ fere immensa tristitia est: non dubium, quin ipse aliquando aliquos velit esse sicut se ipsum, tristes, melancholico scrupulorum humore pene obrutos, & absortos. Vtitur autem diabolus aliquando corporis nostri humoribus ad nos cõmodius tentandos.

Secunda causa scrupulorum huic proxima est ipse diabolus, à Deo permissus iustissimis de causis: qui fere totum agens est, in nostris tentationibus: comparo ego nostram naturam mari, & vento: quamuis enim mare natura sua inquietum est elementum, ita vt etiam cessante omni vento in æstate in quieutm, & mobile sit: nihilominus ventus est qui in illo continuo turbulentiam causat, tempestates, & tumultus excitat, adeo vt si ventus non esset, tempestates non pateretur. Mare est nostra natura humana, ob pasiones naturales inquietum: ipse tamen diabolus

juxta

Diabolus est causa scrupulorũ & agẽs principalis intentatio nibus.

Scrupuli quæ mala causent?

iuxta potestatem sibi à Deo permissam illam magis reddit inquietam maxime per scrupulos. Quod aliqui doctores in hac materia melancholiæ, & scrupulorum, colligunt ex illo 1. Reg. 16 cum dicitur, *Spiritus Dei malus arripiebat Saul, &cæt.* Si vero quæras, quæ mala prætendat in nobis causare diabolus per scrupulos? præter experientiam ipsam, docet Nauar. citato loco sum. num. 281. Esse hæc videlicet, inconstantiam spiritualem, inquietudinem mentis, augmentũ peccatorũ, animi paruitatem, idest, pusillanimitatem, nebulam intellectus, accidiam, & similia: posset addere, & periculum seu tentationem desperandi, quæ scrupulosissimo obuia. & quotidiana est. Et sufficiebat illa spiritualis accidia, quæ radix est interceæt septem capitalia vitia: ex quo spirituali tædio quot mala nascantur soli norint, qui illud patiuntur Quod videns Laurentius ille Iustinianus, & Monachos à tanta peste liberare desiderans, in opere de disciplina monastica cap 11. sic de diabolo scripsit, & de scrupulo (quem vocat pusillanimitatem.) Quandoquidem etiam dæmones horribiliter se humanæ menti ostentant, atque terrorem conantur ingerere vehementem quatenus relicta confidentiæ anchora in pusillanimitatis pelagus ipsam demergant. Hactenus ille, & vere quidẽ pusillanimitas, est scrupulus, adeo enim pusillanimem scrupulosum reddit, vt nec pater noster, orationemue dominicam valeat pronuntiare quiete.

Vltra has 2. causas principales scrupulorum ponit Nauar. alias minores causas eodem loco sum vtpote, nimias vigilias, ieiunia immodica, conuersationem cum scrupulosis: ac tandem nimiam confidentiam sui, seu suarum virium: dum enim quis quasi sibi fidens, & se alijs volẽs præferre, vult plus cæteris, ac perfectius in actibus contritionis. & contemplationis & orationis ac similibus conari, pluribus iterat eadem, non implorato, vt deberet, diuino auxilio, sine quo nihilomnino fieri potest & cum quo omnia facile, ac suauiter fieri possunt, cæteræ causæ scrupulorum ad supradictas fere possunt reduci, & ex remedijs applicandis etiam innotescent, legant qui voluerint Gersonem peculiari hac de re tract. & Antoninum .par tit 3. cap 10 §. 10. Natura enim timida, & naturalis pusillanimitas quæ etiã scrupulorum causæ assignantur, ad melancholiam possunt ac debẽt reduci, & sic de alijs similibus.

Antequam vero scrupulorũ remedia proferamus, dicamus breuiter

Diabolus tentat nos per duo extrema, relaxationē scilicet & strictionē scrupulorum.

breuiter pro monitione, & consolatione scrupulosi, quid diabolus prætendat scrupulos ingerendo: & quid é contra Deus illos permittendo? Et quidem diaboli intentum ex supradictis patet, maxime Laurentio Iustiniano: prætendit nempe deijcere nos in pelagus pusillanimitatis, desperationis, accidiæ, teporis, tædij & similium malorum quæ satis magna sunt. Pro quo etiam aduerto artem dæmonis illam esse, vt quos sanctos, ac iustos non potest deijcere per extremum relaxationis, largæue conscientiæ, conatur eosdem per extremum oppositum supplantare per redactionem ad angustias, & vt sic dicam per conscientiæ strictionem, vt id quod aliquando virtus est, peccatum putent, & sic vel â virtute desistant, vel per prauā, & erroneam conscientiam operentur. Pro quo etiam forte poterit applicari illud Psalm 54. *Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.* Ibi enim pusillanimitatem spiritus (quam doctores scrupulum vocant) vel opponit tempestati, ita vt sint duo extrema, scrupulus scilicet stringens, & larga conscientia omnia relaxans, & destuens more tempestatis, vel saltem de eodem scrupulo, & pusillanimitate dicit esse tempestatem, quæ omnia conuellat & conturbet.

Psal 54.

Scrupulos Deus permittit ad maius meritum & coronam.

E contra vero quid Deus Opt. Max. prætendat in huius pestis permisione, nimiaque scrupulorum agitatione, quæ fere facit scrupulosum similem dæmoniaco, & à diabolo obsesso, quid in quam Deus inde prætendat maxime Religiosis: omissis alijs responsis, sufficiat intueri diuinam prouidentiam in illo stargirio Monacho per tot annos sine culpa à diabolo obsesso Deo permittente, ad illius coronam: ad quem consolandum Ioan. Chrysost. tres libros conscripsit tom. 5. quos intitulauit de diuina prouidentia: in quibus mira suo more de proposito argumento scripsit, vt discamus diuinæ prouidentiæ acquiescere, quam scimus esse suauem, benignam, misericordem, & æquitate plenissimam.

SECTIO III.

De remedio contra scrupulos, maxime pro personis Religiosis.

PRimum ergo, & facilius, ac suauius remediū quod Religiosis

Qui eſt nimiũ ſcrupuloſus ſtare poteſt ſecura cõſcientia determinationi ſui goardiani vel alterius prælati,

Scrupuloſus doctus quietari debet dicto prælati idiotæ,

gioſis poteſt inculcari pro vitãdis ſcrupulis, eſt conceſsio Apoſtolica Leonis Papæ Decimi qui pro ſedandis Religioſorũ ſcrupulis fecit valde fauorabilem hac de re conceſsionem. vel declarationem nobis Fratribus Minoribus (quorum priuilegijs cæteros, fere omnes Religioſos gaudere video) is enim Sum. Pontifex, pro vt habetur in compendio verb. declarare. §. 4 & 5. conceſsit Fratribus Minoribus in hunc modum. *Vt ſcilicet Fratres qui ſunt nimis ſcrupuloſi, poßint in omnibus dubijs ſuam conſcientiam tangentibus ſecura conſcientia ſtare determinationi ſui Goardiani vel cuiuſcumque alterius Prælati.* Quo nihil clarius, & fauorabilius pro ſcrupuloſis dici, concediue potuit: ita vt mirer, apud nullum doctorem de ſcrupulis agentem (quem recorder) huius remedij mentionem fieri. Quid enim ſuauius verbis illis, *Secura cõſcientia*? Nullo enim labore poteſt ſcrupuloſus quietari conceſsione præſenti, ſui prælati determinatione: niſi forte dubitare velit, de Sum. Pontificis poteſtate in prædicta conceſsione. Circa quam pro maiori claritate, & conſolatione duo dubia propono & reſoluo breuiter. Primum ſit, vtrum illud verum habeat, quando prælatus idiota eſt, & illitteratus, ſubditus vero, fortaſſe doctior, & Theologus? Reſpondeo intrepide, etiam tũc talem ſubditum dubitantem virtute talis conceſsionis poſſe ſtare determinationi talis Goardiani, vel Prælati. Rationem reddo, illud vulgatum Iuriſtarum prouerbium, ſeu dictum applicans, videlicet, quod quando princeps non limitat, neque nos limitare debemus: ibi autem princeps Papa non limitat de prælato docto & litterato; ergo neque nos limitare debemus. Secundo, quia fauores ſunt ampliandi, prædicta vero conceſſio, fauor eſt, & proinde amplianda ad quemcumque prælatum. Tertio, quia prædicta conceſsio non fit prælato ratione ſcientiæ, ſed ratione officij, quatenus loco Dei paſcit oues Chriſti, qui proinde ratione officij habet ſuo modo aſsiſtentiam Dei ſufficientem, vt proinde illis ſecure obediendum ſit, qualeſcumque illi ſint, iuxta illud de malis prælatis Iudæorum, Matth. 23. Quod dixerint vobis facite, &cæt.

Prælati nomine etiã vicarius & vicerector intelligitur,

Secundum dubium eſt an nomine prælati ibi etiam intelligatur vicarius, ſeu præſes in abſentia goardiani, & ſic de alijs reſpectiuè quouis nomine appellatis? Reſpondeo affirmatiue: primo, quia id ſonat ibi, nomen illud *cuiuſcumque alterius prælati*, vicarius enim, ſub prior, vicerector

rector & similes,in suorum prælatorum absentia, etiam prælati sunt, ac tales dici consueuerunt. Et præterea prædicti præsidentes vicarij,&cæt. in absentia prælatorum gaudent omnibus priuilegijs concessis suis goardianis & prælatis localibus,vt videre est in eodem cõpendio, verb. vicarius, & Rodriguez tom 1. q.19.art.2. & tom.3. q.76.art.3. prædicta vero concessio Leonis, priuilegium est, vel saltē fauor, indultum,gratiaue, quæ omnia priuilegia censentur. Tertio, id ipsum ostendo, quoniam aliàs si hoc præsidentes & vicarij non haberent in absentia localium prælatorum,non sufficienter Benignus Leo,& Pater, scrupulosis prouideret (cuius oppositū eius verba, & intentio sonant) non inquam prouideret sufficienter, quid enim faceret scrupulosus in absentia goardiani per duos, tres, vel quatuor menses, & aliquando per annum, quo prælatum localem ab esse contingit? De illis ergo etiam concessio intelligenda est. Id quod maiori iure possunt facere, & scrupulos tollere superiores adhuc prælati, prouinciales scilicet, generales, & similes vt ibidem in cõpendio in prima concessione idem Leo .o concessit, & expressit

Adhuc quæris an prædicta prælati determinatio circa tollendum scrupulum facienda sit intra sacramentalem confessionem,an vero sufficiat fieri extra illam verbo tenus per modum consilij? Respondeo sufficere vt fiat extra confessionem per modum consilij Patet ex verbo *Determinationi*, determinatio enim extra sacramentum fieri potest. Secundo, quia scrupulum tollere non est dispensare vel absoluere, vt intra sacramentum fieri debeat. Tertio,quia si intra confessionem deberet fieri , nihil alleuiaretur subditus, iam enim scrupulum via ordinaria & fere (liceat dicere Christiane)onerosa via per confessionem non per concessionem deponeret.

Vltimo pro eadem concessione,ego scrupulosus aduerto, ibi illud solum concedi, pro nimis scrupulosis: vnde non proderit scrupulosis ordinarijs,idest leniter,& raro scrupulis agitatis intellige exvi huius concessionis: nam aliàs quatenus subditus & potest ac debet stare dicto prælati. Qui vero sint nimis scrupulosi, arbitrio prudentis, & ipsius prælati relinquendum est. Ne vero hoc etiam taceamus, hoc vnū vel duo indicia esse possunt communiora,ad dignoscendum nimis scrupulosum. primo si in recitandis horis canonicis,cæterisque orationibus sæpius eadē verba

Nimis scrupulosus quis censendus

verba repetat cum importunitate & fatigatione, imo ſæpius dubitet ſi talem pſalmum, vel orationem protulerit. Secundum inditium proximum præcedenti, eſt in materia confeſsionum ſacramentalium, ſi videlicet cõfeſsiones generales ſæpius iteret; ſi in confeſsionibus ordinarijs de contritione dubitet. Si diffidat ſe in adoleſcentia bene cõfeſſum, & ſimilia dubia inquiete verſet animo circa ſacramentalem confeſsionem. Eos inquam ego Religioſos nimis ſcrupuloſos dixerim: & quoniam hi multi ſunt in Religione, & hæc duo genera ſcrupulorum, iterationis ſcilicet in officio diuino, & repetitionis confeſsionum, communiora ſunt, & frequentiora apud illos contra hæc duo ſcrupulorum genera ſeorſim remedia proferamus in hac ſectione, vt Religioſorum remedia particularia ſeparatim à ſæcularibus explicẽtur, vltra illa quæ ſectione ſequenti dicemus de communibus ſcrupulorum remedijs ad omnes promiſcue pertinentibus.

Scrupuloſus nõ repetat neq; iteret verba in recitãdis horis & orationibus.

Pro remedio igitur ſæpius iteratæ repetitionis in recitando, perſuadeat ſibi conſtanter ſcrupuloſus primo, communem eſſe doctorum ſententiam, actualem attentionem ad omnia verba ore prolata non requiri, neque eſſe præceptam, ſed ſufficere virtualẽ qua in principio propoſuit ſe recitaturum diuinum officiũ vel quid ſimile: vnde nullum peccatum eſt illa diſtractio ordinaria & inuoluntaria, neque facit perdi meritum orantis; hæc omnia communiſsima ſunt, & apud omnes receptiſsima, vt probatione, vel authore non indigeant. Vnicum tantum fundamentum adduco efficaciſsimũ: Nam maioris ſubſtantiæ, & obligationis eſt attentio, & intentio in conficiendis ſacramentis, quã in recitandis officio diuino &c. orationibus vt patet, cum ſacramenta ſint ab ipſo Deo imperata, & proinde attentio in illis conficiendis ab eodem Chriſto Domino præcepta: Officium vero canonicum & illius attentio, ſunt ab Eccleſia præcepta neq; ſunt tantæ efficaciæ quantæ ſunt ſacramenta: At conſtat ex communiſsima ſententia, quod ſacerdos conficit validum ſacramentum proferẽs verba formæ, etiam ſi quando illa profert diſtractus mente ſit, abſque actuali attentione, dummodo tamen antea habuerit intentionem faciendi ſacramentum: ergo à fortiori in horis canonicis recitandis, & cæteris orationibus fundendis non peccabit orans, neque perdet meritum, etiam ſi quãdo verba profert, actualiter

non-

non peccabit orans, neque perdet meritum, etiam si quando verba profert, actualiter non aduertat, inuoluntaria distractione distractus, dummodo ante intentionem debitã soluendi formauerit, & aduertẽs distractionẽ suã, ad attentionẽ recurrat. Quæ ratio insolubilis est, & fere euidens in hac materia Secundo efficaciter id ostẽditur quia Deus non præcipit impossibilia vt patet, cnm iugum illius suaue sit Matth. 11. At habere illam attẽtionem actualẽ in omnibus verbis sine eo quod distrahatur aliqua cogitatione, est impossibile nobis in hac vita, non solũ moraliter, sed etiam naturaliter: nõ enim est in nostra potestate motus primo primos, & cogitationes primo primas mentẽ distrahentes, reprimere, vel succidere, vt Theologi docent: ergo illam actualem attentionem in omnibus verbis absque districtatione, tanquam impossibilem Deus nobis non præcipit, neque ad illã obligamur. Et qui his duabus rationibus non acquieuerit semiamens est vt supra dicebamus de scrupuloso. Facit ad idẽ, exemplum D. Bernard. de quo refert Surius to. 4. in vita illius, quod querebatur coram Rustico de distractione mentis in oratione, ita vt attentionem fixã in orando habere nequiret. Si ergo tantus vir, tot meditationibus assuetus, taliter â terrenis rebus sensus abstrahens, taliter diuino amore incensus, miraculisque coruscans, qualis erat Bernardus, attentionem actualem ad omnia verba orationis habere non poterat: nec tamen in hoc se peccare credebat: quid gemat homuncio, quid queratur, quid affligatur ex eo quod inuoluntarie distrahatur. Mirũ est hac de re testimonium quod refert Gabriel super Canon. Missæ lect 62. ex Gersone in hunc modũ Non debent facile super huiusmodi inaduertẽrias formari scrupuli. Alioquin nunquã poterit orãs cor suũ quietare, quia nititur ad impossibile sibi per naturam, vel complexionẽ, vel consuetudinem, vel phantasiæ turbationem, quæ nunquã potest qniescere, sicut nec aer, nec mare dum agitantur assiduitate ventorum. Vnde repetitionẽ in casu fieri, ne dum superuacuum est, sed etiam inquietatiuum, periculosum, & nociuum, præcipue si in conuentibus orat vbi societatẽ, cui esset onerosus, iuuuare teneretur. Sic ibi ex Gersone. Azorius tom 1 suæ Sum. li. 10 cap. 12 ad finem idem docet, ne scilicet scrupulosus repetat, etiã quando dubitat an iã dixerit. Nauar. itẽ citato loco Sum. cap 27. ad finem n. 290. idem

 monet,

monet, imo aduertit id quod experientia constat, videlicet scrupulose repetentes actum 3. 4 & 5. loco, tandem in fine elicere actum imperfectiorem, quam elicuerant in principio. Mitto alios multos Doctores idem commendantes, vt prope nullus sit qui id non aduertat.

Circa confessionis scrupulos maxime in illis qui volunt plures facere confessiones generales, imprimis est consilium omniũ fere Doctorũ, quod scrupulosus id non faciat, nisi quando confessoris docti iudicio constiterit de aliquo errore claro cõmisso, de quo si non constet, omnino illi interdicatur confessio generalis: sicut enim in supradictis diximus, tunc, nõ apparente claro errore præcedentis cõfessionis, omnes illæ dubitationes nascũtur á melãcholia, Diabolo tentãte & inquietante: & illa cõfessionũ repetitio plus illũ debet inquietare, quã quietũ reddere. Qua de re, vltra quã quod sim testis oculatus in me, & in alijs, pro remedio particulari tantæ inquietudinis, seruiat primo, Conc. Trid. definisse de fide sess. 6. Canon 13 & 14 Neminẽ absque diuina reuelatione posse certo scire se esse in gratia. Ne ergo velit scrupulosus in hoc de sua gratia euidẽtiã habere, sciat Deũ per solã attritionẽ cũ sacramẽto dare gratiam: cumque non constiterit de aliqua volũtaria, & maliciosa omissione alicuius peccati mortalis in aliqua confessione, certus sit, & quietus sit Deũ sibi non defuisse cum sua misericordia. De hoc autem particularem doctrinam tradit Caetan. in Sum. verbo, scrupulosus, vbi docet, ac monet, vt scrupulosus certo sibi persuadeat, se, & peccatum iam esse confessum, & recte ac debite confessum. Et in hoc petit sibi fidem dari, vt scilicet semel cum morali diligentia confessi amplius non confiteantur. Illa enim illorum dubitatio, ait Caet. á solo ipsorum timore melancholiave nascitur, non á ratione seu fundamento probabili. In hoc etiam valde proficua, & necessaria est doctrina Nauarri lib. 5. Consiliorum, titulo de pœnit. & remiss. consilio 17. vbi tenet peccare saltem venialiter pænitentem scrupulosum, qui non acquiesceret dicto Confessoris docti & prudentis: quia, inquit, acquireret habitum vitiosum inquietandi se in quærendis alijs, & alijs amissa tranquillitate animæ. Omnino autem recolendum est quod pro hac importuna confessione, (id est nimis iterata) vitanda, docent Doctores grauissimi & recentiores Vasquez, 12. disputatione 68, cap.

Scrupulosus non admittatur ad cõfessiones generales faciendas.

68. cap 2. prope finem asserit, vt scrupulosus nihil putet esse peccatum mortale, nisi quod manifeste, & absque formidine mortale esse iudicauerit. Et addit quod potest aliquis adeo esse scrupulosus, vt nisi iurare possit illud esse mortale, non credat illud esse mortale nec proinde illud confiteatur. Idem in terminis habet Sà in aphorismis verbo dubium, num. 4. & 5. licet non vtatur verbo, iurandi, sed solum dicat ne confiteatur nisi quæ certo viderit esse mortale peccatum: & quæ certo sciat nondum fuisse confessum. Azorius item in Sum. 1 par. cap. 20. quæst. 7. idem fere affirmat, ne scilicet confiteatur nisi illud quod certo, & manifeste peccatum moatale esse viderit. Iam vero de peccatis venialibus confitendis, non est quod scrupulosus angatur, constat enim de fide ex Conc Trid. sess. 14. cap. 5. absque vlla culpa illa taceri posse in confessione. quanuis melius sit illa confiteri. Talis tamē esse poterit scrupulosus & adeo inquietari poterit cum aliquibus specialiter venialibus, vt cōsulendum illi sit, vt de illis confitendis non curet ob maiorem quietem.

Tertio loco solent in particulari aliqui Religiosi scrupulos pati circa prædestinationem suā, an scilicet sint de numero prædestinatorum? Hunc ego scrupulum voco non minus quam temerarium: talis namque scrupulosus appetit scire impossibile, imo id quod Deus voluit nobis esse absconditum Sufficiat illis dictum B. Ambrosij lib. 2. de vocatione gentium cap. 8. vbi de his similibus, ac de alijs percontantibus similes quæstiones ad diuinam reprobationem, vel prædestinationem spectantes, sic scribit. *Verum tamen de hac altitudine discretionis Dei non conturbabitur cor nostrum, si firma, ac stabili fide, omne iudicium Dei rectum esse credamus, nec appetamus habere cognitum, quod ipse voluit esse secretum* Sic ille. Vbi alludit ad illa verba Psalm. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuū.* Psal. 118. Si namque de fide habemus Deū in suis operibus esse iustissimū, (ait Ambros) quiescamus; quod Deus iustissimus erit, siue me à cælo excludat propter peccatum, siue ad cælum ducat ex sola sua misericordia. Præterea id quod Deus voluit nobis esse secretum & absconditum. scilicet prædestinationē, seu reprobationem, idque ob causas iustissimas alibi à Doctoribus traditas, cur nos appetemus habere cognitū? Nostrū tantū est iuxta D. Petr. 2. sua Canon. cap. 1. *Satagere vt per bona opera certam faciamus voca*

tionem nostram: scientes de fide certissima, *quod Deus vult omnes saluos fieri*, 1. ad Timoth. 2. & nō excludit aliquem à cælo nisi ob peccatum, propriaque demerita: & quod nulli peccatori, etiam Antichristo, negat auxilium necessarium ad salutem, ac denique quod latrones, fornicarios, telonearios, cæterosque omnes ad cælum inuitat, vt suppono de fide in multis locis sacræ Scripturæ contentum.

Quoniā vero impossibile fere est omnes, ac singulas materias persequi in quibus Religiosi, ac sæculares scrupulis agitantur, explicato, & curato illo triplici scrupulorum genere de quo ista sectione diximus, restat adhuc alia scrupulorū remedia à Doctoribus tradita breuiter adducamus pro tanta peste extirpāda.

SECTIO IIII.

De alijs remedijs scrupulorum.

PRimum remedium generale & valde oportunū cōtra scrupulos est, orare. Hoc colligitur ex illis verbis Psalm. 13. *Illic trepidauerunt timore vbi non erat timor.* vbi præcedunt hæc alia verba, *Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt, &c.* quasi dicat; scrupulosus timet vbi non est timor, hoc enim est scrupulum pati, trepidare vbi non est timor. Iam vero ait, Dauid, causa cur sic trepident siue causa, est quia Deum non inuocauerunt, oratione scilicet ab eo auxilium implorando.

Scrupuli remediū oratio

Secundū est virorū doctorū, & piorū consilio ac determinationi stare omnino, illorumque dictis acquiescere, maxime si sint prælati: & hanc regulam tanquam generalem, & nimis necessariam inculcant omnes huius argumenti tractatores, tanquam in qua totale remediū scrupulosi consistat. Quod si non faciat, signū superbiæ est, & manifestæ tentationis, & illusionis Diabolicæ. Ad hoc enim Deus in Ecclesia Doctores posuit, vt eorū luce, & lumine in rebus dubijs gubernemur. Idque postulat Ecclesiasticus ordo in quo ea de causa Deus Doctores constituit ad illuminationem ignorantiū, quemadmodū & in Angelis, Doctores dicūt inferiores illuminari à superioribus. Qui autem in sedandis scrupulis doctiorū dictis nō acquieuerint, timere sibi possunt etiā hac in parte, illa verba Samuelis ad Saul 1. Reg. 16. *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Ipsa enim experientia

Scrupulosus acquiescat doctis & pijs viris.

1. Reg. 16.

perientia, & Sanctorum historiæ in hac materia docent, doctioribus obedientes, ab hoc morbo scrupulorum fuisse curatos: non acquiescentes vero, in multa dāna, & tribulationes incidisse. Neque vero semper ad doctiores oportet recurrere, sed ipsemet scrupulosus per se solum sedare potest, imo debet, suum scrupulum, vt fere omnes Doctores supercitati affirmant. Imo addit. Azorius citato cap. 20 lib. 2. q. 6 quod oblata quacūque ratione probabili ipsi scrupuloso, qua iudicet vel non peccasse mortaliter, vel nō teneri ad confitendū. ipse ex se tantū, ductus illa ratione probabili scrupulū deponat. Et hoc est priuilegiū cōtra scrupulū, fere ad eundē modū quo iudices aliquando permittunt hominē Bānitū facinorosissimū, occidi à quocunque homine in bonum Reipublicæ Sic scrupulus occidatur tanquā Bannitus à quacūque inuēta ratione probabili. Imo in fine eiusdē capitis idē Azorius monet confessarios, (idem intellige de Doctore consulto) quod non solū inuenta ratione probabili scrupulosum liberet à scrupulo: sed etiam stante re dubia in æquilibrio scilicet, pro scrupuloso iudicet, illique faueat vt enim ibidem ait, & probat ex iure, dubia sunt in meliorem, & mitiorem partem interpretanda. Et in iure dicitur quod stante dubio fauendū est Reo potius quam actori: nullus autem maior, & miserabilior Reus potest reperiri, quā scrupulosus.

Scrupulosus per se ipsum cū probabili ratione tollat scrupulum.

Scrupuloso tanquā Reo fauendum est in dubios.

Tertium remedium corporale est, vt scilicet medicinis corporeis curetur humor melancholicus, qui causa est effectiua, vel materialis scrupulorū vt vidimus sect. 2 vtitur enim Diabolus humore nostro corporeo ad facilius nos tentandū iuxta humoris diuersitatē modo, scilicet ad luxuriā, modo ad irā, modo ad tristitiā & similia opera mala: cū ergo melancholia sit causa scrupulorum, vtile fuerit per medicos peritos medicinas applicare destructiuas melancholiæ. & phantasiæ confortatiuas, imo & lætificatiuas. Quod adeo verum est, vt ipsi etiam Dæmoniaci, & à dæmonibus obsessi curentur aliquando rebus pure corporeis, & corporalibus, vt herbis cæterisue medicinis vt author est inter alios, Petrus Thyræus lib. suo de Dæmoniacis parte 3 cap. 48. afferens multa eiusdem rei exēpla, quale fuit Cantus Lætus citharæ Dauid ad Saul, 1. Reg. 16. & Tobiæ 8. iecur piscis Tobiæ & similia: non quod hæ medicinæ corporales directe valeant contra spiritum malum diaboli vel scrupulum, sed quod valeant

Scrupulosus curetur etiam medicinis corporalibus.

Dæmoniaci cur curentur medicinis corporalibus.

1 Reg. 16.

Tob. 8.

 contra

contra humorem malum quo mediante vexat nos Diabolus vel scrupulus malus.

Scrupulosus auocet cogitationem à materia scrupulosa.

Quartum remedium assignatur, auocatio cogitationis à materia scrupulosa: si hoc remediũ possibile sit, nimis scrupuloso dico; nam videmus illum sæpe ferè inuitum & nollentem scrupuloso obiecto adhærere, & iterum atque iterum de eodem cogitare. Valde tamen id vtile fuerit, & si forte ex tali auocatione cogitationis insurgat scrupulus, quod nolit cogitare de re spectante ad statũ suæ salutis; respõdeat prædictã materiã nõ cõducere ad statum salutis, sed suæ inquietationis, iamque de illa materia se satis fuisse confessum, ac deliberatum.

Quintum sit. Euitatio scrupulosi id est, nõ cõuersari cũ scrupulosis, in materia scilicet scrupuli, periculũ namque est, vt ex tali conuersatione scrupulosus euadas. Si enim iuxta Psalm. 17. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.* Eodem modo cum viro nimis scrupuloso scrupulosus eris.

Psal. 17.

Scrupulosus tentatus erigat se in spẽ, & cõfidat.

Sextum remedium, pulchrũ quidem & necessarium sit, quod tangit Gerson p. 3. op. de remedijs cõtra pusillanimitatẽ, videlicet vt scrupulosus agitatus, & de desperatione tentatus erigat se in spem, & respiret cõtra scrupulorũ, & Diaboli terrores, de diuina misericordia, ac statu etiam propriæ conscientiæ confidẽdo. Quemadmodum enim salubre consiliũ est, vt quando nos Diabolus per superbiam & elationẽ tentat, nos è contra per abiectionem, & humiliationẽ nos humilemus. Ita è contra, salubre consilium est, vt quando ille per humiliationem, & scrupulorum pusillanimitatem, desperatione nve vos aggreditur, è contra nos per confidẽtiam erigamus. Pro quo, citato loco adducit Gerson historiã de Dæmonibus quibusdã conquestis de quodã Monacho qui se deprimebat cũ de superbia tentabatur: & è cõtra de desperatione tentatus, erigebat se in spem maiorem, ac meliorem. Huius rei inuenio traditum exemplũ siue doctrinã, in hymno feriali qui canitur feria quinta ad vesperas illis verbis.

Vt culpa nullum deprimat,
Nullum leuet iactantia,
Elisa mens ne concidat,
Elata mens ne corruat.

Vbi expresse traditur prædicta monitio, qua scilicet peccator tẽtatus de magnitudine culpæ, nõ deprimatur, & proposita sibi occasione iactantiæ propriique meriti, non eleuetur; denique mens Elisa. seu allisa ad scrupulorum scopulos, non concidat, nec desperet,

peret, sed se in spem cum diuina misericordia erigat & sustollat. Quod & fecisse Iob prædicatione suarum virtutum ad amicos suos, considerauit Diuus Gregorius in præfat. cap. 3. super Iob dicens: *Iob suarum laudum praconio non pratendisse superbiam, seu exaltationem sed contra amicos illum deprimentes, & in tentationẽ inducentes, vsum fuisse illo remedio erigendo se in spem, recordatione propria conscientia & innocentia* Verba Gregorij sunt hæc *Dum labefactari se per opprobria timuit, ad statum se fiducia ex ante acta vita confirmando reuocauit*. Sic ille.

Iob cur laudes suas prædicarit coram suis amicis deprimentibus.

Sed dato, quod quis prædictis remedijs vtẽs, adhuc inquietudinẽ sentiat, & illum spiritualem mærorem, ac pauorẽ: non proinde credat se in malo esse statu, eo quod in se sentiat ariditatem illam vt sic dicam: & videat se carere illa consolatione, ac lætitia spirituali, seu dulcedine, & quiete qua abundant multi sancti viri in hac vita: nam ad hoc etiam respondit doctissimus ille Gerson tract. de remedijs contra pusillanimitatem Et de consol. Theol. 4. pro 3. vbi optime aduertit, illam dulcedinem, & lætitiam in aliquibus nõ esse signa efficacia gratiæ: nec è contra, illam ariditatem in alijs esse signũ efficax peccati, malique status, seu reprobationis: imo addit duo: primũ est, quod aliquãdo illa dulcedo, & lætitia in aliquibus est causa periculi, præsumptionis, erroris, propriæ affectionis, confidentiæ, otij vanæ gloriæ, & similium. Ariditas autem illa in scrupuloso, erit causa vt quasi inter petras positus ad Deum clamet, & se totum in illius obsequium deuoueat, diuinæque prouidentiæ committat. Secundum quod dicit est, cæteris paribus magis placere Deo, seu mereri aridum illum bene operantem propter Dei honorem ratione suæ difficultatis, & pugnæ continuæ; quam placeat ille quietus, & consolatus similem difficultatem non patiens in operando, quod & rationi, ac Theologiæ consonum est. Vide D. Gregor. lib. 6. epist. 22. ad Gregoriam, Augustinum lib. de correptione & gratia cap. 13 Ieronymum epist. 127. ad Fabiolam mansione 23 & epist. 22. vbi omnes hi patres multa dicunt ad hoc intentum.

Denique pro complemento considero, non me legisse aliquem sanctum fuisse scrupulosum, in forma proprij scrupuli (non nego potuisse id fieri vel de facto fuisse.) Aliud namque est Sanctos fuisse timoratos, peccatumue etiam minimũ timentes; & aliud est esse scrupulosos. & quidẽ timorati, omnes

Sancti fuerunt, sicut ille Sanctus Simeon Luc. 2. qui erat timoratus. Plus enim Sancti peccatum mortale, & aliquando veniale timebant appretiatiue quã infernum. Hoc autem non est esse scrupulosum. Scrupulus enim importat illam mentis inquietudinem, accidiam, pusillanimitatem in operando, & cætera dãna tacta in supradictis: quod non legimus in Sanctis, imo legimus eos similes scrupulos abominatos, & suos amicos, ac subditos ad illorum depositionẽ monuisse, & adiuuasse, sicut inter cæteros referunt historiæ de D. Bern. suum subditum scrupulosum præcepto adegisse, ad communicandũ, & similibus. Et per hæc puto me intento satisfacere cõplectens in summa omnia quæ de scrupuli natura, & remedijs dici possunt & solent, omissis impertinentibus, seu cum supradictis coincidentibus.

SECTIO V.

De opinione eligẽda.

HOc etiã citato loco sum. cõputat Nauar. pro remedio scrupulosi, vt scilicet eligat opinonem vnam inter varias opiniones. & acquiescat in illa; quod quomodo faciendum sit vt scrupuloso non noceat, longiorem petit discussionẽ. Antequã vero ad illã accedamus, recolendum est ex 1. sect. aliud esse dubium, aliud esse opinionẽ. Dubiũ enim est, quando ex neutra parte apparet probabilitas, vel etiã ex vtraque parte ita in æquilibrio apparet probabilitas, vt intellectũ dubiũ, & suspensum reddat. Opinio vero, seu actus opinatiuus est quãdo intellectus se resoluit; & vni parti probabili assentitur, ductus rationibus probabilibus. Sed tamẽ assentitur cũ formidine partis oppositæ, vidẽs oppositũ esse verũ propter rationes etiã probabiles illi adiũctas.

Notandum ergo primo pro resolutione opinionis eligendæ, quod aliud est opinionẽ esse probabilẽ, aliud vero est opinionẽ esse tutam. Opinionẽ esse probabilẽ proprie, & formaliter nihil aliud importat quã illam habere pro se probabiles rationes, ac sufficiẽtes, quibus probetur, & Doctores qui illã affirment. Opinionẽ vero esse tutam in conscientia, proprie, & formaliter, solum importat, quod in illius electione, vel sequella nõ est periculum peccati. Vnde rursus colliges, aliã opinionẽ esse probabiliorẽ altera, & aliam minus probabilẽ. Ea nãque quæ pro se habuerit plures, & plus apparẽtes rationes cũ pluribus authoribus dicetur

tur probabilior:illa vero que habuerit pro se pauciores,& minores; debilioresque rationes minoresque doctores, dicetur minus probabilis. Parimodo inter opiniones tutas, alia erit tutior, alia minus tuta. Tutior erit illa quæ magis vitat peccatum: minus tuta erit illa, quæ vitat quidem peccatum,sed forte non cũ æquali claritate, vt vitat tutior. Vt autem bene notat Vasquez 1.2. disputat 62. cap. 10. num.1. opinio tutior,non dicitur tutior, eo quod sit probabilior,sed quia qui illam sequitur omnino vitat peccatum. Vnde addit fieri posse vt opinio minus tuta sit probabilior,quam illa, quæ est magis tuta. Sit exemplum: dubitatur an circunstantiæ aggrauantes tantum & non mutantes speciem sint confitendæ ex præcepto. Tridentini, Tutior opinio quæ vitat peccatũ, affirmat esse confitendas, quia in illarum cõfessione omnino vitatur peccatum: hæc tamen pars affirmatiua & tutior, poterit habere pauciora, ac debiliora fundamenta (vt puto defacto habet) & proinde erit minus probabilis, quã pars opposita negans illas de præcepto confitendas,quia ista pars negans habet plura, & clariora fundamenta: & proinde ista pars negans erit opinio probabilior, quam sit illa affirmatiua quæ est tutior. Habemus ergo quid sit opinionem esse probabilem vel probabiliorem, quid item sit opinionem esse tutam, vel tutiorem esse tutam, vel tutiorem.

Opinio alia probabilis alia probabilior, alia tuta, alia tutior.

Opinio minus tuta potest esse probabilior quã magis tuta.

Secundo nota, maxime ex Comitolo lib.5. Resp. Moral. q. 15 & alijs, opinionem probabiliorem, vel ideo dici probabiliorem,quia plures pro se habet doctores, vel quia pro se habet plures rationes, vel quia pro se habet antiquiorem consuetudinẽ. Vt autem ille ibidem resoluit & probat, illa simpliciter opinio probabilior dicenda est quæ meliores,& euidentiores pro se habet rationes, quãuis careat doctoribus in abundantia, quã illa quæ pro se habet plures doctores vel vetustiorem consuetudinem, caret tamen æque probilibus rationibus: idque siue illi doctores fuerint maiores in scientia,& sanctitate,&cæt Ego vero rem magis stringens,declaro, quod si vna opinio habuerit pro se quatuor vel plures rationes infimas ac minus apparentes: altera vero opinio habeat duas tantũ rationes vrgentiores, & validiores, quod hæc præferenda est, & dicẽda probabilior, quia scilicet magis innititur rationi: Ac proinde opinio nõ est dicenda probabilior ex numero pluriũ doctorũ præcise, neq; ex numero

Opinio vnde dicẽda sit probabilior.

Opinio non fit probabilior ex pluralitate doctorum vel cõsuetudinis

numero plurium rationum debilium, sed ex vi maioris, & euidentioris rationis. Hoc optime probat Comitolus citato loco primo ex Iustiniano Imperatore Cod. de vlt iur. l. 1. vbi hæc verba posuit. *Sed neque ex multitudine autorum, quod melius, & æquius est iudicatote, cum possit vnius forsitan & deterioris sententia, & multos, & maiores aliqua in parte superare* (Adde tu quia scilicet ille solus meliori fundatur ratione.) Secundo quod attinet ad consuetudinem vetustiorem cui scilicet aliqua opinio nititur, absq; ratione: probat ex August. lib. 3. de baptismo contra Donastias cap. 6. dicente. *Nemo consuetudinem rationi, & veritati præponat.* Quod postea fuit insertum iuri canonico dist. 8. cap. veritate manifestata. Et ex D Cypriano epistola ad Pompeium dicente, *Consuetudo sine virtute vetustas erroris est.* Præterea quia, vt ait D. Tho. 1. 2. quæst 90 art 1 *Ratio est regula humanorum actuum*: cum enim ratio naturalis intellectus humani sit quædam participatio legis, & rationis æternæ, seu diuinæ: Ratio humana est quæ leges emendat, doctores corrigit, & ad quam doctores se debent accomodare & dirigere. Imo doctores eo maiores, & acutiores doctores sunt quo magis rationi accommodantur, & illi inhærent. Adde quod plures doctores in vnius opinionis sequella, illius opinionis fundamenta non considerant, non perpendunt, sed iurantes in verba Magistri, *Eunt qua itur, & aliquando non qua eundem est, vt dixit alibi Seneca.*

Ratio est regula legũ, & opinionũ, & doctorũ,

Tertio notandum ex Nauarro præludio 9. ad sum Latinam nu. 9. cum alijs multis doctoribus, aliud esse dubium speculatiuum, aliud vero dubium practicum. Dubium speculatiuũ tunc datur quando de re aliqua dubitatur in communi, absque eo quod res dubitata nunc, & modo cum his & illis circunstantijs sit reducenda ad praxim. Dubium vero practicum est, quando de re aliqua dubitatur in particulari seu in hac particulari coniunctione, quando scilicet nunc cum his & illis circunstantijs reducẽda est ad praxim. Ponit exemplum Nauar. in iurisperito: hic enim potest dubitare in communi, an liceat diebus festis consulere, vel non. Idem vero iurisperitus oblata sibi particulari coniunctione, magnæ scilicet necessitatis, præsentis periculi, hominis pauperis, cui gratis dat consilium, & similiter concurrentium circunstantiarum, oblata in quam hac particulari occasione, non dubitat consulere prædicto pauperi, neque

Dubium practicũ, & speculatiuũ quid sit?

neque in eo consulendo putat in esse peccatum: talis iurisperitus diceretur neque habere dubium practicum, hic & nunc in hoc dubio speciali. E contra fieri posset, vt aliquis iurisconsultus in hoc die festo Paschalis scilicet, absque necessitate præsenti, & homini diuiti, iudicaret se non posse dare consilium, vel saltem tunc dubitaret an posset consulere cum talibus circunstantijs,& tunc diceretur habere dubium practicum, practicandi scilicet,vel operandi in hoc casu particulari. Vbi vides quod manente dubio speculatiuo potest aliquis deponere dubium practicum: talis enim iurisconsultus manens in suo dubio in cõmuni,seu vtrum liceat absolute cõsulere die festo, non descendendo ad has vel illas circunstãtias: in hoc consilio particulari dando hoc die festo minori,vrgente magno periculo, homini pauperi,&cæt. nullum habet dubiũ practicum, idest non iudicat se peccare, imo absque dubio practico, seu absque dubio operis illiciti dat consilium, & deponit dubium. Et per hoc facile erit alia exempla quotidiana meriti. His positis.

Sit prima conclusio. In dubio casu occurrente tutior pars est eligenda. Hæc est communis omnium doctorum, maxime Angeli. ver. Dubium numer. 1. Adrian. quod l. 2. Nauar. cap. si quis de pænit. dist. 7. num. 81. & seq Cordub. lib. 3. q. 5. & cæterorum communissima, & habetur cap. iuuenis desponsalibus, & cap. penultimo de homicidio. Ante eius vero probationẽ recolendũ est, iam sæpius supra dictum, Dubium scilicet, esse quid diuersum ab opinione, nã dubium proprie est quando intellectus est in æquilibrio suspensus, in neutra parte videns probabilitatem, vel in alterutra videns omnino æqualem probabilitatem. Opinio verò est, quando vnam partem eligit videns pro illa plures & probabiliores rationes quam pro alia. Hoc posito probatur clare conclusio, quia stante illo dubio in æquilibrio, intellectuque dubitante vtra opinio veritatem cõtineat, dato quod ad praxim descendendũ sit, debet eligere id quod tutius fuerit. idest partem illam quam viderit carere peccato, ne aliàs eligens partem non tutam ponat se periculo peccandi, ac proinde peccet, iuxta illud Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo* Nunquam enim licitum est eligere, seu exponere se manifesto periculo peccandi. Vnde citati omnes doctores consequenter ad eandem conclusionem colligunt, quod quotiescumque occurrit

In dubijs tutior pars est eligenda.

Ecclesi. 3.

occurrit casus ille dubius in æquilibrio, & intellectus eligit vnam partem, nunquam esse licitum operari cum dubio practico, sed debere deponere dubium practicum in hoc casu, ita vt formet hoc iudicium: ego hic, & nunc non pecco ob has, & illas, & illas circunstantias: cum quo stat quod poterit dubitare speculatiue, seu manere cum dubio speculatiuo, circa rem scilicet illam in communi, seu absolute absque ordine ad has nunc tales, & tales circunstantias. Itaque vt operans in dubio æquilibrij, operetur sine peccato, duo requiruntur, primum quod eligat partem tutiorem in qua non sit peccatum: & secundum vt formet iudicium quod non peccat, neque credat se peccare, quod est deponere dubium practicum, seu operari absque dubio practico. Si vero roges an, datis duabus propositionibus quarum vtraque tuta est in conscientia, altera tamen illarum est tutior: si possum eligere minus tutam, quæ tamen absolute tuta est, & omittere tutiorem? Respondeo posse me, aliquando omittere tutiorem, vt in terminis tenet Sanches lib. 2. de Matrim dispu 41 num. 9 & Henriquez eam asserit expresse tom. 2. sum. lib. 14. cap 3. num. 4 cum multis quos citat. Ego exemplũ pono: variæ sunt opiniones de tempore quo nos obliget præceptum diligendi Deum super omnia. Alij enim strictius dicũt obligare nos singulis diebus dominicis & festis. Secunda opinio Soti de iust q 3. art. 10. dicit in tribus casibus solum nos obligare, tempore scilicet baptismi, & quando opus notabile incipimus, vel magnum à Deo beneficium recipimus. Nau in sum. cap. . 1. num. 7. numerat 4 euentus vel tempora in quibus obligat: alij aliter respondẽt, & quidem omnes hæ opiniones vidẽtur tutæ, sed prima quæ est Scoti tutior est, quia magis vitabitur peccatum crebrius diligendo Deum super omnia singulis diebus festis: & tamen non tenemur eligere hanc tutiorem opinionẽ in diligendo Deo: satisque erit eligere in hoc opinionem Nauar. vel aliorum, cum etiam illa Nauar. opinio tuta sit in conscientia & vitet peccatum. Et probatur hæc doctrina, nã Deus non obligat nos semper ad id quod perfectius est, sed solum obligat vt nõ peccemus. Et præterea quia adigere semper homines ad tutius eligendum, est illos ad scrupulos inclinare, dubitarent enim semper an aliquid tutius faciendum restaret sufficit ergo vt id quod tutum est eligant. Quando autem dicitur, tutio-

Sufficit eligere opinionẽ tutum, nec requiritur semper vt eligatur tutior.

tutiorem partem esse eligendã, non innuitur non sufficere tutũ, sed vox comparatiua, tutior, æquippollet positiuæ, idest tutũ, seu tuta pars eligenda est per quam scilicet vitetur peccatum

Secunda conclusio Existentibus duabus opinionibus, æque probabilibus in rationibus & in doctoribus ita vt fere in æquilibrio sint pondera rationum, & doctorum, & præterea ambæ opiniones sint tutæ in conscientia: potest quis eligere quamcumque illarum opinionũ absq; scrupulo Hæc posita est tantum claritatis gratia, neque ab vllo doctore potest negari In hoc enim casu non datur periculum peccandi in electione vtriusque opinionis, vel alterius illarum, cum ambæ & probabiles sint, & tutæ, nec proinde peccati periculum offeratur.

Tota dubitatio est quando duæ opiniones ambæ probabiles sunt & tutæ: sed vna illarum est probabilior alia; si possum ego relicta opinione probabiliore, sequi, vel operari iuxta opinionem minus probabilem, relicta opinione probabiliori, quã etiã ego iudico probabiliorem! In qua quæstione partem negatiuã constanter tenet Comitolus lib. 5. Resp. moralium citata q. 15. dicens non posse licite aliquem sequi opinionẽ minus probabilem relicta probabiliore. In suũ fauorem citat Gandauens. Gerson. Antonin. Maior. Corrad. Adrianũ, Sot. Tabienam. Angel. Nauar. & Panorm. Vltra quos doctores, affert profecto has efficaces præcipue rationes, vel saltem apparentes satis. Prima sit. A ratione discedere nunquã licet, vt patet ex 2. notabl. sed qui præfert minus probabile probabiliori discedit à ratione: ergo id nõ potest facere Secunda, nemo potest eligere ab esse longius à veritate, sed qui eligit minus probabile, longius ab est â veritate, ergo illud nõ potest facere Tertia, quia dato hoc, sequeretur posse iudicem in formando iudicio ferendaue sentẽtia, sequi depositionem testium quorũ testimonium minus probabile sibi videtur, & per consequens omittere testimonium testiũ quos iudicat probabilius testificari: vtrobique enim videtur æqualis ratio Hoc autem posse iudicem facere, nemo concedet, faceret enim iudex contra iustitiam manifeste. Quarta, contra naturam electionis est, & in eligendo peruersitas, sumere minus bonum, maiore bono omisso: at minus probabile, est minus bonũ respectu nostri intellectus vt patet, ergo illud non potest eligere relicto magis probabili Denique quia Romani Pontifices cum in suis

suis responsionibus cū de eadem re duas sententias explicant, semper sequuntur probabiliorem partem: in quo nos idem facere debere docent, & fere præcipere videntur.

Oppositam sententiam, posse scilicet absque peccato eligi opinionem minus probabilem, relicta probabiliore, tenent Angelus verb. confessio 4. num. 2. Nau. in sum. cap. 26. nu. 4. & cap. si quis citato num. 66. & seq. Sot. in 4. dist. 18 q. 2. art 5. ad 5. ibi enim hi doctores affirmantes posse confessorem absoluere pænitentem omissa probabiliori sententia, quam tenet confessor, & acceptata opinione pænitentis, minus probabili & minus tuta: hoc in quā intrepide affirmantes citati doctores, clare iudicāt posse cōfessorem relicta sua probabiliori opinione, sequi opinionem minus probabilem pænitentis. Eandem opinionem intrepide, & absolute defendit Vasquez 1. 2. disput 62. toto cap. 4. & cap. 9. nu. 64. cap. enim illo 4. late probat posse aliquando virū doctū agere licite contra propriam opinionem vniuersalem, idest quā putat probabiliorem, vt explicat ibi num 14. & dicit esse iam cōmunem in scholis. Eandem tenet Medina super 1. 2. D. Tho. q. 19. ad art 6. & Armilla ver. opinio num. 2. & Sanches de matrim. lib. 2. disput. 41. quæst. 1. nu. 9. ad finem dicit esse opinionem probabilissimam multorum doctorum: eiusdem opinionis esse videtur Azorius 1. p. sum. Moral. lib. 2 cap. 17 q. 7. & alij. Rationes pro hac sententia affert Vasquez dicta disput. 62. cap. 4. n. 14. quarū 1. est. Nam eo ipso quod aliqua opinio probabilis est, sicut absque vlla nota possumus eam speculatiue amplecti, & in scholis tradere, sic etiā sana conscientia possumus secundum illā operari, sed illa opinio minus probabilis, est nihilominus probabilis, & in scholis tradita: ergo secundū illam possumus operari. Nā si aliquid obstaret quo minus non possemus secundam illam operari, esset ne ageremus tunc contra propriam conscientiam: hoc autem habet facile remedium, deponendo scilicet dubium practicū, quamuis retento nostro speculatiuo. Secūda, quia eo ipso quod illa opinio minus probabilis est opinio peritorū in arte, & probabili etiā ratione fūdata, & alias tuta, vt supponimus, nulla videtur reprehēsione dignus, qui illā sequitur in operando aliorū doctrinæ acquiescens. Tertia, quia subditus cōtra suā opinionē probabiliorem, tenetur obedire prælato præcipiēti iuxta aliā opinionē minus probabilem ipsius prælati vt omnes faten-

fatentur; maxime Azor. 1. p. citata q. 7. ergo licitũ est aliquando operari iuxta minus probabilem opinionem relicta probabiliori. Quarta, sicut in alijs rebus agendis quæ nõ sunt de præcepto, nõ est imprudentia sequi cõsilium aliorũ peritorũ omisso proprio consilio, sic etiam in rebus præceptis non erit culpa sequi consilium seu opinionem aliorũ minus probabilem relicta propria probabiliori. Quinto quia aliàs, si aliquis solus teneret vnã opinionem, nõ posset sequi opinionem multorum aliorũ probabiliorem, propter impedimentum quod tu dicis, ne scilicet operetur cõtra propriam opinionem: hoc autem nemo prudens concedet. Sexto, potest accedere ratio Medinæ & trium authorum initio adductorũ dicentiũ posse confessorem absoluere pænitentem relicta probabiliori opinione confessoris, & acceptata minus probabili ipsius pænitentis: quam opinionem credo in praxi positam esse à prudentibus confessoribus. Ego vltimo pro eadẽ sententia produco hanc ratiunculam vidimus supra concl. prima satis esse nos sequi opinionẽ tutã, & non obligari ad sequendam opinionem tutiorem, iuxta exemplum ibi traditũ, & innuit Azorius 1. p sum. cap 12. eiusdem lib. 2. ergo pari ratione poterit aliquando eligi minus probabilis opinio relicta probabiliori. Eadem enim ratio, imo maior, videtur esse in sectanda, vel omittenda opinione minus tuta respectu tutioris, quæ est in sectanda vel omittenda opinione minus probabili respectu probabilioris. Hæc sunt huius opinionis argumenta quibus satis probabiliter videtur sustentari, ita vt possimus illam ad praxim reducere.

Ego in hac cõtrouersia saluo meliori iudicio, & securitatis gratia; dico hanc opinionẽ Vasquez Medinæ & aliorũ, non esse amplectendã ad libitũ, nullaue petente necessitate; sed ordinariò, nullaque occurrente necessitate tenendam iudico opinionem Comitoli, dicentis opinionem probabiliorem tenendam esse relicta minus probabili: idque tum propter doctores multos quos citat: tum etiam propter rationes quas pro sua opinione adducit, quæ re vera satis probabiles sunt imo forte apparentiores quam rationes Vasquez. At vero vrgente aliqua grauissima necessitate, censeo absq; periculo posse teneri opinionẽ Vasquez, &c. vt scilicet omissa probabiliori, teneatur opinio minus probabilis, aliàs tamen tuta & probabilis. Triplicem vero necessitatem claritatis gratia libet assignare

Opinio probabilior tenenda absolute relicta minus probabili: at in vrgente necessitate & periculo secus potest fieri.

asſignare inter alias: prima ſit vt ſuccurratur nimis ſcrupuloſo, illi que remedium afferamus. Scrupuloſus enim vtitur quaſi multis priuilegijs alijs non conceſsis. Secunda ſit ad inſtantiam partis petentis, pænitentis ſcilicet in confeſsione allegantis ſe quietū eſſe illa opinione minus probabili. Tertia ſit ad ſubueniendum alicui caſui qui habet difficilimum remedium. In his inquam caſibus, & neceſsitatibus credo poſſe ſecure practicari opinionē Vaſquez. In hoc enim caſu magnæ neceſsitatis vrgentis ipſa neceſsitas, quaſi eſt probabiliſsima ratio quæ opinionē minus probabilem facit eligibilem, & quaſi probabiliorem. Et hìc habet locum illud quod optime affert Sanches lib. 2. de Matrim. diput. 36. concl. 4. num. 8 dicēs quod id quod non iudicaretur aliàs probabile, redditur probabile per vrgentem neceſsitatem, & periculum impendens ex parte oppoſita: quod erudictè docet Sotus de ſecreto mem. 3. q. 2. concl. 3. & Sotum in hoc approbat Nauar. cap. inter verba nu. 2. coroll. 53 ſub his verbis. *Licet quis habeat opinionem alicuius partis, & alterius formidinem, non tenetur ſequi opinionem, ſi inde magnum immineat alicui periculum, & formido alterius apparentem habeat probabilitatem: quia periculum graue facit vt in moralibus formido præponderet opinioni.* Sic ille Id ipſum ibidem probat ex Iaſone ad legem primam, num 56. Cod. de ſum. Tri. vbi dicit: *In dubijs præferendam eſſe ſententiam animabus fauentem* Facit etiam quod habet idem Sanches lib. 7. de Matrim. diſput. 37. num. 38 Id ipſum ego probo ex eo quod omnes Doctores aſſerunt: videlicet, confeſſorem qui ex confeſsione incidenter cognouit aliquem coniugatum contraxiſſe matrimonium inualidū, habereque remedium omnino difficile, & pene impoſsibile; ſi aliàs prædictus pænitens eſt bona fide, & ignorat impedimentum, debere inquam prædictum cōfeſſorem dictum pænitentem non aduertere de impedimento, ſed relinquere illum in ſua bona fide, propter periculum magnū impendens illi coniugato vtendi male matrimonio. Si ergo ob vitandum periculum graue coniugati conſulitur vt patiatur confeſſor illum operari rem quæ in ſe eſt aliàs peccatum mortale, qualis eſt acceſſus ad non ſuam: cur non fatebimur poſſe eūdem confeſſorem, omiſſa ſua opinione probabiliore ſequi opinionē ſui penitentis minus probabilem minuſque tutam, (aliàs tamen probabilem ac tutam) propter periculum inde impendens pænitenti, vel ſcrupuloſo nimium in-

Scrupuloſus vtitur priuilegijs alijs non conceſsis.

Minus probabile, redditur probabilius ob periculum, & neceſsitatem

inquieto, vel alteri misero nimis afflicto, & periclitanti? Cum hac inquam moderatione seu limitatione grauis necessitatis periculiue impendentis censeo posse secure a iquem agere contra suam opinionē probabiliorem: dummodo tamen, dū sic operabitur deponat dubium practicum modo iam supra exposito, formando scilicet iudiciū quod non obstante sua probabiliore opinione, non peccat in hoc particulari propter præsentem necessitatem, ac periculum. Hac vero necessitate cessante, & periculo remoto, censeo non esse recedendum ab opinione Comitoli multis enim Doctoribus & rationibus confirmatur. Ne autem illius rationes videantur insolubiles, neue videantur impedire vsum opinionis Vasquez, vtile fuerit hic soluere rationes allatas pro confirmatione opinionis eiusdem Comitoli.

Ad primā ergo rationē Comitoli dicendū, illū qui instāte graui necessitate recedit ab opinione probabiliore, nō recedere simpliciter à ratione, sed operari etiam cum ratione: etenim ratio naturalis non consistit in indiuisibili, opinio autem illa minus probabilis etiam fundatur in ratione, fulcitur enim etiam rationibus probabilibus vt diximus. Et præterea ipsa ratio naturalis dictat, hic & nunc ob magnam necessitatē & periculū, hanc partem minus probabilē, reddi probabiliorem ratione periculi, cū ex duobus malis minus eligendū sit. Ad secundā dicendū illū qui instante necessitate & periculo sequitur opinionē minus probabilē, nō recedere, neq; abesse â veritate: tū quia etiā illa opinio probabilis est, & vtcūque vera tū etiā quia necessitas & periculum facit illam magis verā, magisue eligibilem. Ad tertiam neganda est sequella, semper enim Iudex tenetur stare dicto sanioris partis, seu meliorum testium Quod vero assumit, non cōcludit, neque est simile. Nam dicta testium respectu iudicis nō sunt opiniones, sed sunt materia certa ad formandum iudicium: materia inquam non ad libitum, sed necessario obligans iudicis intellectum, vt iuxta illorum dictorum qualitatem iudicet: vnde iudex non est liber ad eligendum, quemadmodum opinans liber est ad eligendum hoc, vel illud: sed est iudex quasi ligatus ad fauendam partem quæ habuerit iustitiam; pars enim illa quæ habet maiorem iustitiam petit, instat, & clamat, ita vt iudex illi teneatur omnino subuenire, quod non reperitur in opinionibus


respectu opinantis. Addo ad maiorem solutionem, quod, quemadmodũ Iudex tenetur deferre parti habenti maiorem iustitiam quasi clamanti, deferre etiã melioribus, ac probalioribus testibus: ita etiam Confessarius, ver. grat. relicta sua opinione probabiliori, tenetur quasi deferre, & fauere misero, periclitanti, quasi clamanti ac petenti, maioremq; hic, & nunc, probabilitatẽ pro se habẽti propter grauem necessitatem, vel periculum impendẽs. Ad quartam negandũ est primo, illũ qui instante grani periculo & necessitate sequitur minus probabilem opinionem, sumere minus bonum: ratio enim dictat hic, & nunc maius bonum esse subuenire huic periclitanti ob graue periculum vtendo minus probabili opinione, quam foret bonũ vti probabiliore, cũ graui illius periculo. Secundo dicendum, non esse contra naturam electionis, nec proinde esse peruersitatẽ, sed æquitatẽ & prudẽtiam eligere opinionem minus probabilẽ instãte periculo: quæ ratione necessitatis ac periculi non est minus bonum, sed maius bonum tunc, quã opposita opinio probabilior. Ad qnintam de responsis Sum. Pontificum semper eligentium probabiliorem partem dicendum primo, quemlibet Sum. Pontificem posse cõsiderari, vel vt Doctorem particularem, vel vt pastorem docentem ex cathedra, si consideretur vt Doctor particularis in suis videlicet dispensationibus, non semper sequitur probabiliorem, & securiorem opinionem. Nam in materia de matrimonio, opinio docens Papam non posse dispensare in matrimonio rato nõ consummato, æque probabilis est atque opposita affirmans illum id posse: imo opinio negãs est communis Theologorũ fere triginta, quos citat Sanches lib. 2. de matrim. disp. 14. no 1. virorumque grauissimorum: opinio vero affirmans est fere tantum Canonistarum cũ paucis Theologis neque habet forte æqualia fundamenta cũ opinione negatiua: & nihilominus multi Sum. Pontifices de facto dispẽsarunt in matrimon. tantũ rato vt refert Nauar. in Sum Latina cap. 22. n. 21. ad suam instantiam Paulum III. & Pium IIII. quater dispensasse. Et Henriquez lib. 11. de matrim. c. 8 n 11. refert Gregor. 13. vna die cum vndecim dispensasse: In quo hi Sũmi Pontifices secuti sunt opinionẽ negatiuam, quæ saltẽ apud Theologos minus probabilis est, & minus secura: id tamen fecerunt vt Doctores particulares In quo etiã illos video fecisse quod nos docuimus, videlicet instante necessitate

tate grauissima, & periculo eorũ cũ quibus dispensabant, iudicarunt opinionem affir. quæ saltem apud Theologos probabilis multo minus est, posse ac debere practicari propter instans periculũ, ac necessitaté. Dicendũ secundo quod si Sum. Pontifices sumantur vt pastores ex cathedra docentes, mirũ non esse quod tunc sequantur opinioné probabiliorem: ne, si minus probabilem sequantur, occasionem dent ex cathedra, & periculum relaxationum. Magistri enim, & scientiæ semper docent id quod perfectius est. Et præterea Sũmi Pontifices sic docentes ex cathedra partem probabiliorem, non contradicunt nostræ limitationi: id enim docent in communi. Non vero docent in casibus particularibus in quibus vrget particularis necessitas & graue periculum hi enim casus cum tali periculosi Sum. Pontificibus repræsentantur, faciunt profecto quod vidimus illos fecisse in dispensando matrimonio tantũ rato, vtentes vt diximus, opinione affirmatiua, quæ saltẽ apud Theologos minus probabilis est: sic enim illos decet facere, eo quod Patres supremi sunt, à quibus animarũ remedium dependet. Et per hæc soluuntur rationes Comitoli, ita vt possimus vti opinione Vasquez in necessitate, & periculo.

Pro maiori adhuc confirmatione nostræ limitationis facit quod tradit ac probat Azorius lib. 2 Sum. Moralis c 16. q 6. vbi dicit, quod quanuis, vt plurimũ, opinio cómunis tenenda sit; tamen aliquando posse nos communem deserere, & sequi opinioné vnius tantũ Doctoris, qui forte post longa studia, & post mutationé temporum aliquã particularem rationem firmissimam ad inuenit, quæ ratio probabilior sit quam rationes adductæ pro communi opinione id quod ibi probat multis exemplis. Hoc autem licet ego non commendé, video tamen multum facere ad nostram in supradictis limitationem tenendã Omisi autẽ sciés, multa alia quæ Doctores tradũt pro eligenda opinione vt quod in re Theologa eligatur Theologorum non Canonistarum opinio, & è contra: Item quod aliquando scholasticorum opinio præponderet opinioni Patrum antiquorum: & alia huiusmodi, hæc enim vel accidentalia & leuia sunt: vel ex dictis à nobis hac sect 5. facile resoluentur, vel denique non spectant ad nostrũ intentũ quod præcipue fuit per breuem summam quietũ reddere nostrũ scrupulosum Religiosum præcipue. Per illa vero quæ à nobis hic dicta sunt sufficien-

ter manet instructus, vt ipse, vel confessor illius, opinionem eligant vel de re præterita, vel de futura facienda, ad consciẽtiam quietandam, & liberandã à tãta tribulatione quanta est scrupulus nimius. Pro quo adhuc dico scrupulorum tormentũ cõparari à D. Bern. cum tormentis inferni, sicut ex eod. Bernar. refert Pineda citata sect. 2. ad cap. 3 Iob vers. 2. vt pateat quanta cũ vigilantia tali morbo succurrendum sit & quanta cum benignitate subueniendum, quando maxime nimij, importuni & periculosi scrupuli fuerint. Neque abstineo pro eodem exaggerando, referre id quod audiui à personis fide dignis, fecisse semel quendã Doctorẽ valde piũ, Religiosum, doctissimum, & primæ cathedræ Theologicæ professorẽ in quadam celebri academia. Hic cum vocaretur ad quendã scrupulosissimum curandum, qui erat fere iam amens, & desperãs de diuina misericordia: cum ab eodẽ scrupuloso audiret se non posse quietari, nisi Doctor illũ certum redderet, circunstantias peccatorũ mutantes speciem, nõ obligare ad confessionẽ: Doctor prædictus, licet videret id contradicere Conc. Trid, nihilominus verbo affirmauit, & scripto firmauit, tales circunstantias nõ esse de præcepto confessionis; quo scripto miser ille resipuit, & quietus mansit; prædictus vero Doctor statim accurrit ad tribunal sancti officij, facti sui, & intentionis suæ rationẽ reddẽs: & vbi primũ resciuit scrupulosũ iam esse confirmatũ; ac sobriũ, iterũ instruxit, & scriptum suũ rescidit; & sic miserũ hominẽ liberauit. Ecce quæ faciunt Doctores pro scrupuloso curando. Ego quidem id non facerem, neque factum laudo, cum canones sacri Conc. Trid pro nulla mundi necessitate sint negandi, quale est illud eiusdẽ Concilij, prædictas circunstantias mutantes speciem, esse necessario confitendas. Laudo tamen effectum solum illius facti seu fictionis materialis, quam ideo adduxi, vt discamus aliàs cum licitis remedijs curare tantum morbũ, & tale tormentum, per merita scilicet passionis Domini nostri Iesu Christi, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum.

BREVIS



BREVIS COLLECTIO IMPENSARVM, SEV SVMPTVVM, QVOS DAVID AC Salomon, fecerunt pro Templo Salomonis extruendo.

Et hoc ad laudem ſacroſanctæ humanitatis Chriſti Domini in ſe, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ eandem continentis.

NE mireris Lector applicationem ſecundi tituli proxime poſiti ad primum: vt ſcilicet fabricam, & ornatum, ac ſumptus in templo Salomonis factos, applicate velim ad Chriſti Domini humanitatis laudem, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ exaltationẽ. Nã quod ad primum attinet, Salomonis templum typum ac figuram fuiſſe humanitatis Chriſti Domini, affirmat Beda ad illud Ioan. 2. cum Chriſtus Dominus dixit Iudæis: *Soluite templum hoc & cæt.* vbi ſic ait citatus Pater, *Sicut templum inanimatum veſtris ſceleribus, & commercijs, mea expio poteſtate: Ita hoc corporis mei templum, cuius iſtud ſignum geſtat, veſtris manibus diſſolutum tertia die reſuſcitabo.* Quibus verbis clare vides, templum Salomonis fuiſſe ſignum, ac figuram corporis Chriſti Domini. Nec mirum, ſi enim Paulus 1. ad Corinth 3. de ſingulis fide-

fidelibus dicit: *Templum Dei estis*, ratione scilicet, fidei, gratiæ, & charitatis, per quæ Deus habitat in suis fidelibus sanctis: (quo pacto citatum locum exponit Anselmus) quomodo non maiori iure Christi Domini humanitas templum Dei plusquã Salomonicum, diceretur, in qua non solũ prædicta dona condebantur, verũ etiam ipsa diuinitas, seu verbũ Diuinũ realiter vnitũ cũ humanitate, quæ habitatio, & vnio Dei, cũ tẽplo Salomonis nõ fuit reperta? Hinc iam breuiter conijcere possumus, quod si in prædicto Salomonis templo tot fuerunt factæ expensæ, quot infra dicentur, tot diuitiæ congregatæ, tanta auri copia, argenti, æris, & lapidũ pretiosorum abundantia pro illius ornatu conquisita, cũ alias Diuus Paulus dicat 1. ad Corinth. 10. quod aliqua, seu illa de quibus ibi, in figura contingebant illi populo. Quis dubitet voluisse Deum prædictam templi Salomonis fabricã, cum thesauris ibi reconditis, fuisse admirabilem, sumptuosissimam, & inauditam, vt scilicet significaret admirabilem fabricam corporis Christi Domini ad cuius sacrosanctã humanitatẽ formandam, ditandam, & (vt ita dicam) deaurandam congregati sunt vniuersi thesauri gratiarũ ac donorum Dei pro vt latius Doctores Scholastici tradunt agentes de anima Christi Domini. Pro eadem re possumus adhuc suspicari, voluisse Deum opt. Max. manu sua (vt habetur 1. Paralyp. 28. vers. 11. & 19.) dedisse ipsi Dauidi exemplar, siue, descriptionem continentem formam prædicti templi ædificãdi: quod idem exemplar ibidem dicitur Dauid Salomoni dedisse, â quo vt credendum est non deuiauit: ad quid enim tanta Dei præuentio, vt templi exẽplar ostẽderet? Nunquid ob solos tauros, & cætera ibi offerenda? Forte inquã quia admirabilis prædicti templi fabrica, & maiestas, Christi Domini sacrosanctam humanitatem designabat, in qua iuxta Paul. ad Colossens. 2. *Ascondisti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ.*

Quod autem hoc etiam opusculũ, seu tractatus inseruire possit ad sacrosanctæ Eucharistiæ ornatum: ex eo colligitur, quod si Salomon, ac Dauid tã numerosas expensas, ac sumptus fecerũt pro templo, in quo pretiosior res obseruata erat Arca fœderis, legis tabulas continens, & oblationes erant incensum, animalia, & cætera parui momenti, qualis, & quantus ornatus necessarius erit hodie ad Christianorum templa, in quibus non illa proxime dicta, sed ipsemet Christus

Christus Dominus secundũ suã veram humanitatem, ac diuini tatem, in sacrosancta Eucharistia, vere habitat, vere immolatur quotidie? Hic profecto verisime locum habent potiori iure verba illa quæ Salomon dixit 2. Paralyp 2. ad Regem Tyri dum de templo à se ædificando dixit: *Quis ergo poterit praualere vt ædificet ei dignam domum? si cælum, & cæli cælorum capere eum nequeunt*. Hæc inquam hodie ad Christianorum templa potiori iure forent accommodanda, ratione sacrosanctæ Eucharistiæ in ijsdem asseruatæ. Circa quod si locus pateretur, multa possent dici de negligentia circa munditiam ornatum, ac decentiam pro eadem sacrosancta Eucharistia conseruanda, ac veneranda. Sed ad nostrum intentum redeamus.

SECTIO I.

De ijs quæ Dauid reliquit, seu acquisiuit sua industria.

IMprimis ergo Dauid, 1. Paralyp cap 22 antequam moreretur præparauit impensas ad futurum templum, id est copiosissimam materiam illarum rerum, quæ prædicto operi debebant inseruire. Hæc fuerunt, ferrum, æs, ligna, lapides: & de ære ac ferro dicitur ibi: *Aeris vero, & ferri non est pondus*. Ait etiam ibidem, *quod ligna cedri non poterant æstimari*. Et infra cap. 28 dicitur quod reliquit, seu dedit aurum ad vasa aurea, argentum ad argentea, æs ad ænea, ligna ad lignea, & lapides onychinos, & quasi stibinos, omnemque pretiosum lapidem, & marmor parium abundantissime.

Vltra prædicta materialia, siue materiam, in autro & argento, reliquit *centum millia talenta auri, & mille millia talenta argenti*, vt habetur 1. Paralypom. cap. 22.

Postea primo Paralypomen. cap. 29. vltra prædicta dedit pro eodem templo de peculio suo (id est de redditibus ordinariis proprijsque possessionibus) *tria millia talenta auri, & septem millia talenta argenti*. Hæc inquam dedit de peculio, seu redditibus proprijs, maior enim illa summa proxime dicta centum mille talentorum auri, & cæt. fuerant conquisita, & reseruata ex multis spolijs à Dauide acquisitis in multis suis victorijs, quorum omnium spoliorũ pretiosa quæque reseruare cæpit Dauid ad prædictum templum.

Præter hæc Dauid volens, vt tanto operi nihil deesset, & vt populus etiam, ac nobiles in tali opere participarent, conuocatis primoribus regni, nobilibus scilicet & cæt. de quibus 1. Paralypom. 29. ad ipsius Dauidis instantiam, dederunt pro eodem templo *quinque millia talenta auri, & solidos decem millia, & decem millia talenta argenti, & æris talenta decem & octo millia, & centum mille talenta ferri*: & præterea vulgus dedit lapides quos habebant ad thesauros domus Domini.

Omissis ergo ferro, ære, lapidibus, & lignis quæ Dauid reliquit, eo quod nequeant supputari, aut certo recenseri; quod attinet ad talenta auri, & argenti quæ Dauid, ac nobiles donarũt, si quis velit cognoscere, quam summam in nostra moneta Hispanica efficerent, non facile fuerit idem diffinire, eo quod variant nimis authores circa valorem talenti auri, vel argenti, multis multa ac varia dicentibus. Quorum Doctorum controuersijs omissis: ego trium recentiorum Doctorum opinionem, seu supputationem afferã, vt legenti satisfaciam.

Primus ergo, & qui parcior est in supputando, est Pineda de rebus Salom. lib. 5 cap. 5 tit. 5. n. 35. vbi recensitis talentis Dauidis auri, & argenti vtraque vice donatis, & talẽtis similiter auri & argẽti à populo oblatis, affirmat ex Villalpando, efficere ex moneta Hispanica duo mille octingentos, & vndecim milliones auri (i. *milhoẽs douro*) & nongentos nonaginta sex mille ducatus: & ita accedit prædicta summa fere ad duo mille octingentos, & duodecim milliones auri. Et paulo infra idem Pineda recensens æs, & ferrũ oblatum à solis principibus populi dicit talentũ quoduis ferri, vel æris, idem valere quod Hispanice. *hum quintal*, ac proinde in solo ære & ferro à principibus oblato continebantur centum & decem octo millia quintalium Hispanicorũ. Hinc obiter ad supradicta respiciens videbis, quam immẽsa copia quintalium æris, & ferri foret illud, quod solus Dauid reliquit, cũ de illo dicatur quod horũ duorũ nõ erat pondus, *Vincebatur enim numerus magnitudine*, vt ibidem Scriptura testatur 1. Paralyp. cap. 22. vers. 14. vide etiam quid valerent lapides & ligna à Dauide relicta in multa abundantia.

Secunda supputatio talentorum supra dictorum, est Lorini super cap. 2. Ecclesiast. vers. 8. fol. 81. vbi prædictas tres summas talentorum auri & argenti, Dauidis, ac principum dicit cõtinere tria

re *tria millia ducenta sexaginta millionum, & septingentos viginti vnum mille quadringentos quinquaginta octo ducatus.* Et quamuis citatus doctor in 1. & 2. ibi donatione Dauidis loquatur de moneta Romana argentea, puto nihil aliud velle per supradictos milliones quam dicere fuisse milliones auri: vt patere potest tum ex illa auri, & argenti multitudine, tum ex supra citato Pineda, & mox citando Barradas, qui simpliciter loquuntur, imo specificant de millionibus auri, quod vulgo vocamus, *milloẽs ou contos de ouro.*

Tertius author est Barradas tom. 2. Concord. Euang. lib. 3. cap. 2 fol. 290. col. 1. in fine, vbi recensitis tribus supra dictis donationibus talentorum Dauidis & Principum, dicit efficere *quatuor mille octingentos milliones auri,* id tamen iuxta supputationem Iosephi, qui cuiuis talento tribuit ducentas quinquaginta libras auri. Et statim citatus doctor subinfert hanc supputationem talentorum esse dubiam. Hæc attigisse sufficiat, vt primo videas diuersitates supputationum circa talenta: & simul adhæreas cui volueris. Hoc vnum constat, iuxta Pinedam strictius supputantem, reliquisse Dauid pro templi fabrica, *Duo mille octingentos duodecim milliones. Lusitane, dous mil e oitocentos e doze milloẽs douro.* Iuxta vero Barradã, & Lorinum, id quod supradiximus. Et hoc vltra lapides, ligna, æs, ipsius Dauidis ac ferrũ de quibus supra. Et præter æs & ferrũ oblatũ à principibus de quibus etiam supra dictum est.

SECTIO II.

De collatis, & factis expensis à Salomone circa templum.

IMprimis credendum omnino videtur Salomonem omne aurum, & argentum sibi à patre relictum, de quo sectione prima, insumpsisse in prædicta templi structura. Nõ enim credibile est filium obedientissimũ Patri, Deo pro tunc acceptum, pientissimũ, Religiosissimum, & sua natura liberalissimum aliquid ex relictis à patre sibi reseruare voluisse: maxime cum sciret ardentem patris voluntatem circa ædificationem templi sibi adeo commendatam: regniq; principes talem auri copiam ad eandem fabricã obtulisse. Imo credibile est quod vltra relicta à patre, etiã de suis redditibus aliquid in eadẽ fabrica insũpsit, Rex aliàs ditissimus, cui

cui nempe Lorinus citato loco, ex annuis redditibus fere assignat quadraginta quatuor milliones auri, si bene consideres quæ prædictus author ibi dicit fol 83. in principio §. sexta cũ sequentibus: præterita enim summa ab authore computata non pertinet ad annuos redditus Salomonis. Quo autem modo, seu in quibus rebus hoc vel illud insumpserit Salomon, vel quãtum steterit prædictũ opus, arbitror humanitus sciri nõ posse. Sed per obscuras summas id tantum posse disquiri. Vt vero ex hoc fidelium consolationi consulatur, imo vt admiratio excitetur, sequentia vtcumque deducimus.

Primo ergo vltra supradictas expensas, seu impensas lapidum, & lignorum à Dauide abundantissime factas, Salomon 2. Paraly. cap. 2 timens forte ne prædicta ligna, & lapides à patre relicti non sufficerent, tum pro templo Dei principaliter, tum etiam pro pallatio suo ædificando, misit octoginta mille viros ad secandos, eruendosue lapides: & septuaginta mille viros ad prædictos lapides asportandos, siue conuehendos: & tres mille, sexcentos præpositos, qui præsiderẽt omnibus supradictis operarijs. Itaque supra ministerium lapidum occupabantur centum quinquaginta tria millia sexcenti viri. Vltra hoc, per singulos menses mittebat Salomõ decem mille viros in montem Libanum, qui iuuarent seruos Regis Tyri, vel in cædendis lignis, vel vt hi decem mille viri ligna cæsa in Ioppem per mare conueherent, & inde in Hierusalem deducerent. Quamuis autem Salomon citato capite prædictos lapides, & ligna etiã pro suo pallatio ædificando iuberet adduci. Tamẽ vt ibi satis innuit, præcipuum intentum illius fuit ædificium Templi, timens scilicet, vt ibidem ait Abulens. q. 23. ne forte relicta à patre non sufficerent.

Præter iam dictos seruos Salomonis in lapidibus, ac lignis occupatos, serui Regis Tyri (non exprimit scriptura quot fuerint) cædebant ligna in eodem Libano tanquam magis gnari, & experti in illa arte. His autem seruis Regis Tyri, præbebat Salomon per singulos annos viginti mille coros tritici, & totidem hordei: viginti mille Metretas vini, & viginti millia Sata olei.

Quæ omnia Lusitane computata iuxta significationẽ prædictarũ mensurarum apud Cardozi vocabularium, efficiunt Modios magnos tritici (*idest Moios*) decem millia. Item decem millia Modiorum magnorum hordei.

hordei. Mille sexcēta Dolia vini (*pipas*) & triginta mille amphoras olei (*idest, trinta mil alqueires.*) Et hæc stipendia licet non constet quot annis durauerint, constat tamen non fuisse vno tantū anno, quia 3. Reg. cap 5. vbi fit mentio prædictorum stipendiorum (licet ibi non sit sermo de vino & hordeo) dicitur quod præbebat Salomon omnia prædicta *per singulos annos*. Vnde primo colligitur per aliquot annos illud durasse, durante scilicet plus minusue fabrica templi. Quæ stipendia tritici hordei, & cæterorum, hodie ad minus valerēt ducenta milla scuta aurea. Et hic hactenus aduerto, quod serui Hiram ligna cædentes non debebant esse multi admodum: quia Salomon citato cap. 2. Paralyp. petiuit ab illo homines expertos, & gnaros in arte cædendi ligna, qui scilicet nossent & lignorum qualitates, tempus cæsionis, & modum: ad quod non requirebatur grandis multitudo: maxime cum ipse Salomon ad idem opus prouehendum postea mitteret singulis mensibus homines decem mille.

Quanto etiam tempore durauerit Ministerium tot millium hominum circa lapides eruendos, & deportandos, scriptura non memorat. Torniellus tamē in suis Annalibus anno 3020. num. 17. colligit ex 3. Reg 9. totam operariorū multitudinem in lignis, & lapidibus perdurasse per annos viginti, per quos omnes Salomon fuit occupatus in ædificando templo, ac domibus suis. Quod si verum est, cū alias constet 3. Reg. 6. templi structuram durasse annis septem bene possumus conijcere prædictos omnes operarios lignorum, scilicet, ac lapidum, qui fuerunt numero centum quinquaginta tria millia sexcenti, recepisse à Salomone solum pro templi lignis, ac lapidibus stipendia, annis saltem quinque vel sex, quæ est minor annorum summa, quam assignata fabricæ templi, septenis videlicet, reliquum vero tempus operariorū respectu viginti annorum assigno pro fabrica pallatij & cæt. Salomonis. Cum ergo prædictis hominum millibus stipendia quotidiana forent assignanda, & qualia hæc essent, non constet ex scriptura: ego vtcumque ex eadem scriptura colligo, tempore Christi Domini forte stipendium diurnum hominis operarij fuisse Denarium (*Lusitane, dous vintens*) iuxta illud Matth. 20. ab eodem Christo Domino dictum in parabola vineæ; *Conuentione facta ex denario diurno:* erat enim tūc maior cibariorū copia, & minor pecuniæ.

Hanc

Hanc vero summam denarij adhuc minuo respiciens ad tempora Salomonis, Christum Dominum per annos fere mille sexaginta plus minusue antecedentis, cuius Salomonis tempore adhuc minora forent stipendia: ac proinde colligo Salomonis tempore fuisse stipendium ordinarium hominis diurni medium denarium, Lusitane *hum vintem*. Tunc sic, medius denarius singulis diebus assignatus centũ quinquaginta tribus millibus & sexcentis hominibus per quinque annos (si Arithmeticis credimus) efficiunt quatuordecim milliones auri plus minusue. His adde quot instrumenta necessaria essent ad prædictos lapides, & ligna secanda, securium, ligonum, & cæterorũ ferreorum per tot annos, quot item plaustra, quot naues ad cõuehenda ligna, & lapides pro tanto opere ac tot hominibus, quæ ad vnguem non possunt numerari.

Porro cum Dauid Pater pro eodem templo plura ligna lapides, ferrum, & æs comparauerit quam Salomon dicente nempe Dauide supra citatis locis se præparasse omnes impensas &cæt. computa quæso quam maiores expensas faceret Dauid in acquirenda maiori materia lapidum, & lignorum quam Salomon: & si hic quatuordecim milliones expédit per quinq; annos, quid dicendum de patre in maiori, ac numerosiore materia comparãda? certe ad minus suspicari possumus alios quatuordecim milliones patrẽ expẽdisse pro eisdẽ lignis, lapidibus, ære ac ferro conuehendis: & hæc omnia pro sumptibus, & expensis templi sunt computanda. Vnde forte iã efficies fere triginta milliones auri pro solis rebus necessarijs procurandis, & acquirendis (*Lusitane Achegas*) vltra valorem ipsorum lignorum, & cæterorũ materialium in se. Quin potius adhuc cõsidero quod si expensæ hactenus consideratæ circa præparationẽ materiæ erga operarios, computandæ forent iuxta pretium operariorum, ac rerũ nostri temporis, ad pretium saltem sextuplo maius forent euehendæ: Nunc enim operarij merces est trium denariorum vt minus (respectiue loquor Magistrorum, & seruientium) nos vero supra assignauimus cuiuis homini solum medium denarium, qui est sexta pars trium denariorum: & sic hodie expensæ factæ circa præparationem prædictæ materiæ euaderent forte ad plusquam centum milliones auri.

SEC-

SECTIO III.

De operibus lapidum, lignorumque.

IAM vero accedentes ad ipſam templi fabricam, incipiendo à fundamentis lapidum videlicet, Ioſephus 8.antiq.cap.3. & 15. antiq. cap.15. aſſerit Aream, ſeu campũ illius montis, in quo templũ erat ædificandum, habuiſſe ad latus profunditatem quandam quadringentorum fere cubitorũ altitudinis, ita vt oculi deſuper intuentium caligarent: & quia reliqua Area erat anguſta pro omnibus ædificijs, refert idem Ioſephus Salomonem aggeſta terra impleuiſſe prædictam profunditatem quadringentorũ cubitorum, & muro vallaſſe lapidum plumbo ligatorum: & ſuper illũ locum fuiſſe extructum vnum atrium de quo infra. Conſidera iam tanti operis expenſas.

Quod in particulari attinet ad templum in ſe, fundamenta ipſius habebant viginti cubitos in latitudine, in parietibus ſingulis, vt deducit Torniellus anno 3203 n. 2. & à fundamentis ipſis omnia erãt ex lapidibus magnis, albis, electis, exquiſitiſsime quadratis, & dolatis. Vt aſſerit idem Torniellus eodem anno nu. 7. vnde videtur colligi prædictos parietes à fundametis & ſurſum, non fuiſſe ſicut noſtros ordinarios ex minutis, & incomptis lapidibus cum multa calce: (vulgo *Aluenaria*) ſed modo à Torniello expoſito (vulgo *Cantaria*) Templum vero habebat duas partes, ſcilicet Oraculum, ſiue Sancta Sanctorũ, quæ apud nos hodie diceretur, *Capella mòr.* Hoc oraculum habebat latitudinis viginti cubitorum, altitudinis totidem, & longitudinis etiã viginti; atque adeo erat perfecte quadratum: & ſupra ſe nullum habebat aliud ædificium. Secunda vero pars templi anterior ſcilicet, quæ cõmuniter templũ dicebatur, habebat quadraginta cubitos longitudinis, triginta altitudinis, viginti latitudinis, quæ omnia habentur 3. Reg. 6. & 2. Paraly. 3. & alibi. Porro parietes ipſius tẽpli ſurgebãt à terra vſq; ad centum viginti cubitos altitudinis, eo quod ſupra ipſum templum, erant duo cænacula, ſiue aulæ grandes, ad quas aſcendebatur per portam, & cocleam factam in vno latere interni parietis templi. Primum cænaculum ſupra templum, ſiue prima aula erat altitudinis triginta cubitorum: ſecunda vero aula, ſiue cænaculum, habebat altitudinem ſexa-

ſexaginta cubitorũ: ambæ vero aulæ ſupra templũ erãt eiuſdẽ lõgitudinis cũ tẽplo, quadraginta ſcilicet cubitorum, eiuſdemque latitudinis cum illo viginti ſcilicet cubitorum. Hæc vero duo cænacula ſupra Templum iuxta ta Torniellum ſupra citato anno num. 4. & anno 2940. num. 6. inſeruiebant vt in illis reponerẽtur quædam vaſa miniſteriorum Sacerdotum, ipſorumque veſtes ſacræ, & alia neceſſaria ad quotidiana miniſteria Templi: ibidẽ & repoſitum eſſe aſſerit Tabernaculum antiquũ Moyſis, quod fuerat magnæ fabricæ, & pretij: & ſecundum Tabernaculum etiam portatile pretioſum quod fecit Dauid ſuo tempore. 2. Reg. 6. & 1. parralij 16. Altare Holocauſtortum Moyſis, & alia ſimilia, quæ ibi ſeruabantur deuotionis, ac religionis gratia. Pauimentum item Templi & Oraculi, erat ſtratum ſimilibus lapidibus politis, ac dolatis vt colligi poteſt, ex 3. Reg. cap. 5. & 6.

Quoniam vero pro ſequentibus operibus maxime poteſt cõducere, ſi conſtet; vtrum prædicti cubiti altitudinis, & cæt. Sint eiuſdem menſuræ cum noſtris Luſitanis, & cum illis coincidãt; ego eſtimo eiuſdem omnino fuiſſe menſuræ cum noſtris. Fauet Torniellus diligens harum rerũ ſcrutator, qui anno 1537. dicit num. 8. cubitum ſacrum habuiſſe dimidium paſſus: paſſus autẽ, iuxta Calepinum, habet quinque pedes: dimidium vero quinque pedum fere tres palmos efficiet, quæ eſt longitudo cubiti noſtri Aſſerit præterea ibidem cubitum inuentum fortaſſe ab Adamo, & eſſe longitudinem illam, quæ protenditur ab extremo flexi brachij angulo, vſque ad extremitatem medij digiti in manu: (Luſitane, *Da ponta do cotouelo, ate a ponta do dedo do meo*) & non in quouis homine puſillo ſed in homine ſtaturæ Adami quando primo fuit creatus, vel Chriſti Domini quando mortuus eſt: quæ menſura in tali brachio proceri hominis, proculdubio euadet ad tres palmos, quæ eſt cubiti menſura apud nos.

Ante, vel ſupra portam prinpalem Templi fecit veſtibulum, ſiue porticum (Luſitane, *Alpendere*) viginti cubitorum in longitudine, (iuxta menſuram latitudinis Templi) & decem cubitorũ latitudinis, verſus partem anteriorem Templi, 3. Reg. cap. 6. ſi vero prædictum veſtibulum, ſeu porticus erat centum viginti cubitorum altitudinis pro menſura cænaculorum, vt refert Barradas tom. 2. concord. lib. 3 cap. 26. Vide ſi hæc ſolum fabrica veſtibuli, ex lapidibus politis, exquiſitiſque lignis cum ſuis columnis,

pro

pro magno, & specioso ædificio posset computari? Et quanuis nõ esset tantæ altitudinis, satis magnum ædificium fuisset reputandum.

Habebat etiam templum in circuitu supremi fastigij, tecti videlicet, opus quod 3. Reg. 6. dicitur Tabulatum ex ligno, quinque cubitorum altitudinis, in modum muri, ne quis in de cadere posset supra tectum ambulans & ad ornatum, & pulchritudinem templi, quod proinde opus pretiosum. & æstimabile valde debebat existere. *Lusitane, como remate, e peitoril.*

Deinde ad latera parietum totius templi præterquam in fronte orientali, 3 Reg. 6. fecit tria tabulata, (idest opera ex ligno) infixa, siue hærentia ipsis parietibus tribus ordinibus distincta: infimo, scilicet medio, & supremo; infimum habebat quinque cubitos latitudinis, medium sex, supremum septem cubitos. De vsu seu forma horum trium tabulatorum variæ sunt doctorum opiniones, alij dicunt fuisse sicut podia patentia, *Lusitane, varandas ou passadiços* Sine distinctione cellularum: alij dicunt fuisse facta cum distinctis cellulis. & habitaculis ad vsum templi fabre factis, sufficiat pro hoc videre Torniellum anno 3023. numero 8. fusius disputantem.

Fecit item Salomon duo atria vnum Sacerdotum, alterũ populi, 3 Reg 6. & 2. Paralyp. cap. 4. Dixi duo atria, quia alij ponunt plura à Salomone constructa, re tamen bene perspecta iuxta Torniellum citato anno num. 9. duo tantum ædificauit. De cuius sententia atrium erat Area quædam in medio discooperta, & subdio posita; ad latera vero, porticibus cincta sub quibus æstus, & pluuiæ tempore poterant Sacerdotes, ac populus se recipere. Ego hæc comparo claustris Religiosorum. Primum atrium erat Sacerdotum, in quod scilicet soli Sacerdotes introibant: secundũ atrium erat populi. De primo atrio Sacerdotum constat, 3. Reg 6 vers. 39. quod erat ex tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri. Ambo vero hæc atria in pauimento strata erant pretiosissimo marmore, multoque decore structa, vt Torniell. proxime citatus colligit ex 2 Paralyp. cap. 7. Quantæ vero longitudinis, seu latitudinis atria prædicta fuerint scriptura non exprimit: cum multi multa hac de re ex alijs dicant. Hoc vnum scio quodlibet horũ operum fuisse per se Magnificentissimum, ratione lapidum, & lignorum: Ratione intentionis, primum enim pro miñisterio Sacer-

ſexaginta cubitorũ: ambæ vero aulæ ſupra templũ erāt eiuſdē lõgitudinis cũ tēplo, quadraginta ſcilicet cubitorum, eiuſdemque latitudinis cum illo viginti ſcilicet cubitorum. Hæc vero duo cænacula ſupra Templum iuxta ta Torniellum ſupra citato anno num. 4. & anno 2940. num, 6. inſeruiebant vt in illis reponerētur quædam vaſa miniſteriorum Sacerdotum, ipſorumque veſtes ſacræ, & alia neceſſaria ad quotidiana miniſteria Templi: ibidē & repoſitum eſſe aſſerit Tabernaculum antiquũ Moyſis, quod fuerat magnæ fabricæ, & pretij: & ſecundum Tabernaculum etiam portatile pretioſum quod fecit Dauid ſuo tempore. 2.Reg. 6. & 1. parralij 16. Altare Holocauſtortum Moyſis, & alia ſimilia, quæ ibi ſeruabantur deuotionis, ac religionis gratia. Pauimentum item Templi & Oraculi, erat ſtratum ſimilibus lapidibus politis, ac dolatis vt colligi poteſt, ex 3.Reg. cap.5. & 6.

Quoniam vero pro ſequentibus operibus maxime poteſt cõducere, ſi conſtet, vtrum prædicti cubiti altitudinis, & cæt. Sint eiuſdem menſuræ cum noſtris Luſitanis, & cum illis coincidāt; ego eſtimo eiuſdem omnino fuiſſe, menſuræ cum noſtris. Fauet Torniellus diligens harum rerũ ſcrutator, qui anno 1537. dicit num.8. cubitum ſacrum habuiſſe dimidium paſſus: paſſus autē, iuxta Calepinum, habet quinque pedes: dimidium vero quinque pedum fere tres palmos efficiet, quæ eſt longitudo cubiti noſtri Aſſerit præterea ibidem cubitum inuentum fortaſſe ab Adamo, & eſſe longitudinem illam, quæ protenditur ab extremo flexi brachij angulo, vſque ad extremitatem medij digiti in manu: (Luſitane, *Da ponta do cotouelo, ate a ponta do dedo do meo*) & non in quouis homine puſillo ſed in homine ſtaturæ Adami quando primo fuit creatus, vel Chriſti Domini quando mortuus eſt: quæ menſura in tali brachio proceri hominis, proculdubio euadet ad tres palmos, quæ eſt cubiti menſura apud nos.

Ante, vel ſupra portam prinpalem Templi fecit veſtibulum, ſiue porticum (Luſitane, *Alpendere*) viginti cubitorum in longitudine, (iuxta menſuram latitudinis Templi) & decem cubitorũ latitudinis, verſus partem anteriorem Templi, 3.Reg. cap.6. ſi vero prædictum veſtibulum, ſeu porticus erat centum viginti cubitorum altitudinis pro menſura cænaculorum, vt refert Barradas tom.2. concord. lib.3 cap.26. Vide ſi hæc ſolum fabrica veſtibuli, ex lapidibus politis, exquiſitiſque lignis cum ſuis columnis, pro

pro magno, & specioso ædificio posset computari? Et quanuis nõ esset tantæ altitudinis, satis magnum ædificium fuisset reputandum.

Habebat etiam templum in circuitu supremi fastigij, tecti videlicet, opus quod 3. Reg. 6. dicitur Tabulatum ex ligno, quinque cubitorum altitudinis, in modum muri, ne quis inde cadere posset supra tectum ambulans. & ad ornatum, & pulchritudinem templi, quod proinde opus pretiosum. & æstimabile valde debebat existere. *Lusitane, como remate, e peitoril.*

Deinde ad latera parietum totius templi præterquam in fronte orientali, 3 Reg. 6. fecit tria tabulata, (idest opera ex ligno) infixa, siue hærentia ipsis parietibus tribus ordinibus distincta: infimo, scilicet medio, & supremo; infimum habebat quinque cubitos latitudinis, medium sex, supremum septem cubitos. De vsu seu forma horum trium tabulatorum variæ sunt doctorum opiniones, alij dicunt fuisse sicut podia patentia, *Lusitane, varandas ou passadissos* Sine distinctione cellularum: alij dicunt fuisse facta cum distinctis cellulis. & habitaculis ad vsum templi fabre factis, sufficiat pro hoc videre Torniellum anno 3023. numero 8. fusius disputantem.

Fecit item Salomon duo atria vnum Sacerdotum, alterũ populi, 3 Reg 6 & 2. Paralyp. cap. 4. Dixi duo atria, quia alij ponunt plura à Salomone constructa, re tamen bene perspecta iuxta Torniellum citato anno num. 9. duo tantum ædificauit. De cuius sententia atrium erat Area quædam in medio discooperta, & subdio posita; ad latera vero, porticibus cincta sub quibus æstus, & pluuiæ tempore poterant Sacerdotes, ac populus se recipere. Ego hæc comparo claustris Religiosorum. Primum atrium erat Sacerdotum, in quod scilicet soli Sacerdotes introibant: secundũ atrium erat populi. De primo atrio Sacerdotum constat, 3. Reg 6 vers. 39. quod erat ex tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri. Ambo vero hæc atria in pauimento strata erant pretiosissimo marmore, multoque decore structa, vt Torniell. proxime citatus colligit ex 2 Paralyp. cap. 7. Quantæ vero longitudinis. seu latitudinis atria prædicta fuerint scriptura non exprimit: cum multi multa hac de re ex alijs dicant. Hoc vnum scio quodlibet horũ operum fuisse per se Magnificentissimum, ratione lapidum, & lignorum: Ratione intentionis, primum enim pro ministerio Sacer-

Sacerdotum: secundum pro de uotione totius populi, imo & totius regni fuit constructum, cum sæculares neque in templum neque in atrium Sacerdotum possent introire, (vt forte infra dicetur.) Et proinde prædicta atria debebant esse capacissima, pretiosissima in lapidibus, lignis, fabre factura, prout decebat tanti templi Magestatem, tăti Regis magnificentiam, ac liberalitatem. Ac pro inde quodlibet atrium per se merebatur nomen grandis, ac magnifici ædificij. Omitto porticus (idest alpendres) horum atriorum, de quibus Torniellus vbi supra.

Erant præterea ædificata circa atrium populi exedræ, in Thesauros domus Domini, & in Thesauros Sanctorum, diuisionumque Sacerdotalium, & Leuiticarum. 1. Paraly. 28. vltra etiã erant Gazophilatia; & Pasthophoria. De quibus omnibus cõcludit Torniellus citato loco fuisse primo cubicula ad diuersos Ministrorum vsus ædificata. Secundo fuisse receptacula pro Thesauris templi conseruandis. Tertio fuisse etiam destinata habitacula pro habitatione Sacerdotum, & Leuitarum vt ibidem habitarent tempore vicis, seu functionis suæ Quæ omnia opera pro tanti templi, ac Regis magnificentia, atque operis fine, clare supponunt & particularem ornatum & expensas exquisitissimas.

Vt vero in speciali de operibus factis ex ligno dicamus: vltra trabes immensæ magnitudinis, ac tabulas easdem tegentes in porticibus templi, atriorum & similium, consideret deuotus fidelis omnes parietes templi interius fuisse vestitos tabulis cedrinis, 3. Reg 6. Et hoc non vtcumque, sed tali modo quod in prædictis tabulis cedrinis erant formatæ variæ cælaturæ, cum figuris Cherubim, palmarum, & alijs, ita vt prædictæ cælaturæ eminerent, idest vt veluti de pariete egredi viderentur (*Lusitane, feitas de releuo, ou boril*) de quo etiam artificio vide 2. Paralyp 3. vers. 4. & seq. Pauimentum autem templi erat vestitum supra marmora tabulis abiegnis citato loco, 3. Reg 6. Quod opus in tanti templi magnitudine quanti laboris, artis, & pretij fuerit considerent eiusdem rei maiorem habentes notitiam.

Redeamus nunc tantisper ad contemplandam tantarum fabricarum sumptuositatem, & magnificentiam, videlicet parietes templi in tanta altitudine, latitudine, & exquisita, politaque materia: porticum ipsius templi, siue vestibulum, quod exqui-

exquisitis etiam lapidibus vel columnis debebat sterni, ac sustentari: similem quoque fabricā duorum atriorum, exedrarum, gazophilatiorum, domorum Sacerdotum, ac Leuitarum, & aliorum forte concernentium: consideremus etiam Tabulatum illud supra fastigium parietum templi, tria etiam tabulata infixa parietibus in circuitu templi (quæ proxima duo erant ex ligno exquisito) Trabium ingentium, cæterorumque lignorum miram præparationem, seu dolationem; denique miram illam fabricam, qua templi parietes vestiebantur cedro cum prædictis cælaturis, ita vt (iuxta Torniell. anno citato num. 6.) aliquæ etiam torno atque alijs fabrilibus instrumentis pararentur: considera inquam quot artifices in omnibus prædictis ministerijs sub seruirent? Quot lapicidæ, (*Lusitane, pedreiros*) alij dicunt cæmentarios: quot his seruientes? Quot fabri lignarij? Quot sculpentes figuras in lignis? Quot operarij ligna serra scindentes, ac præparātes? Quot denique in ministerijs adhæc concernentibus deberent occupari? Et, vt etiam rem huic attinentem, licet per anticipationem dicamus, considera quot artifices in auro varijs modis elaborando, iuxta mox dicenda, quot in argento, quot in in ære, quot in ferro, quot in serico, siue bysso, pro vel o scilicet templi, alijsque ad ornatum ipsius mox dicendis, incredibili fere sumptu, admirabilique artificio deberent intendere? Adde hæc omnia durasse per septem annos, quibus fabricatum est templum, 3. Reg 6. quamuis Torniellus anno 3028. num. 1. dicat durasse plus sex menses, vt ibi recte computat: & hos sex menses fabricæ templi applicat vt minus ad conuehenda vasa aurea, argentea, ærea, reliquumque templi iam facti, ornatum suo loco ac debite collocandum. Hanc tot artificum, tamque diuersorum numerositatem Pater Dauid filio explicauit, dum filium iuuenem quasi merito deterrendum ab operis futuri magnitudine, sic prius præmonuit; & confortauit ad opus aggrediendum, 1. Paralyp. cap. 22. *Confortare, ne timeas, neque paueas.* Et paucis interiectis, ait: *Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cæmentarios, artificesque lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentissimos in auro, & argento, & ære, & ferro Et vltra hoc ipse Salomon postea petijt, à Rege Tyri 2. Paralyp. 2. vt sibi mitteret Magistrum peritissimum qui sciret operari, in auro, argento, ære, &*

ferro purpura, coccino, & hyacinto & qui sciat sculpere, cælaturas, & cætera vt videas quot artifices per septem annos in quot, & quam variis operibus deberent inseruire, & occupari

Antequam vero principalem collectionem, seu supputationem horum sumptuum, seu artificum faciamus: duo exempla suppono, primum sit. Templum Dianæ Ephesinæ teste Plinio lib. 36. cap. 14. ducentis viginti annis factum fuit à tota Asia. Vide quot artifices per tot annos laborarent & à tali regno aliti tam amplo, tamque diuite qualis erat tota Asia. Secundum exemplum sit Baronij, ac libelli cuiusdam de mirabilibus, seu antiquitatibus Romanæ vrbis. Quorum ille tom. 2. annal. anno 298. asserit Diocletianum Romæ ædificasse illud suum opus sumptuosissimum, thermas videlicet, Lusitane *banhos*. Ad cuius ædificij structuram perficiẽdam damnauit multos Christianos. (numerum non exprimit) & prædictum ædificium durasse per septem annos. Libellus vero citatus, Italice scriptus fol. 211. titulo, thermæ, refert prædictos Christianos ad citatum opus damnatos, fuisse centũ quadraginta millia per multos annos Iam vero si in templo Dianæ, & thermis Diocletiani per tot annos tot artifices laborarunt: quam comparationem habent prædictum templum Dianæ, ac thermæ cum templo Salomonis; de quo ipse Dauid prædixit 1. Paralypomen cap 22. quo *tale esse deberet vt in cunctis Regionibus nominetur*. Et filius Salomon 2. Paralypom. cap. 2. prædictum templum appellauit, *domum magnam nimis, & inclitam*. Adde quod non poterant in templo Dianæ, neque in thermis reperiri tot opera, auri, argenti æris, cum tali artificio ac cælaturis, qualiter supra de Salomonis templo visum est.

Tunc sic: si supra deduximus cum solis hominibus lapides cædentibus, ac portantibus, & cum lignorum cæsoribus per solos quinque annos expensos fuisse plus minusue quindecim milliones auri, cum ipsi laborarent in materia crassa, artis minoris non sic æstimabili, qualis lapidum cæsio, ac lignorum ex lapidicinis, & arboribus: Quid conuenit affirmare de tot artificibus laborantibus in materia difficiliori, auro, argento. & cæteris memoratis, cum tanto artificio, & hoc non per quinque sed per septem annos? Certe hoc humanitus videtur computari non posse. Habita tamen proportione ad prius dictos operarios cæsores tantũ lapidum

pidum & lignorum, & sumptus factos propter ipsos: Qui diceret eum his in ipsa templi fabrica, & ornatu laborantibus fuisse expensos plusquam centū milliones auri, puto quod absurdum non diceret. Et vltra prædicta, claritatis gratia, aduerto in Thermis Diocletiani, illos centum quadraginta Christianos vt plurimum, non debuisse esse artifices; siue Magistros; Diocletianus enim hostis non admitteret Christianos ad tale ministerium, cum ipsos haberet suspectos: sed vltra prædictos Christianos quasi seruitores tantum subseruientes operarijs, seu Magistris, deberent operari sat millia artificum, operariorum seu Magistrorum, & sic laborantium omnium numerus forte ex cresceret ad plusquam centum sexaginta millia per septem annos: quod supra dictæ nostræ supputationi liceat applicare.

SECTIO IIII.

De operibus factis ex auro.

QVoniam vna maiorum expensarum de operibus auri in hoc templo (iuxta dicenda) fuerunt laminæ auri quibus cum cti parietes templi fuerunt tecti, ac vestiti ex sacra Scriptura infra citanda; oportet ante omnia disquiramus an prædictæ laminæ parietes, ac pauimentum vestiētes fuerint omnino ex auro solido, seu quoad totam substantiam aureæ: an vero in se fuerint argenteæ, coopertæ vero, seu quasi tinctæ desuper auro? Abulensis super primum Paral. cap.29.q. 7 affirmat solum fuisse argenteas in se, & in superficie auro coopertas, seu tinctas. Probat ex eo quod Dauid citato loco Paralyp. dixit se denuo dare tria millia talenta auri, & septem millia talenta argenti, ad deaurandos parietes templi. Quomodo enim, (ait Abulensis) illa talenta argenti poterant deaurare parietes, ita scilicet vt laminæ essent auri solidi? Restat ergo, ait, vt laminæ essent argenteæ, sed auro coopertæ cætera quæ pro se adducit parui sunt momenti.

Ego pro opinione opposita nullū inueni Doctorem hoc disputantem, quare forte rem supponunt indubitatam, fuisse scilicet totas aureas laminas, non argenteas: Solis tamen verbis sacræ Scripturæ innitens, censeo prædictas laminas non fuisse argenteas auro tinctas, sed vere totas fuisse aureas, ex auro solido, ac verissimo. Moueor

principaliter, quia sacra Scriptura non semel, sed sæpius vocat aurum purum, seu purissimum, & laminas non deauratas, sed aureas, 3. Reg. 6. de oraculo dicit, quod operuit illud auro purissimo. Et ibidem, quod nihil erat in templo quod non auro tegeretur. Et 2. Paralyp. 3. vocat laminas auri obrizi. Et quod laminæ tegentes domum erant de auro probatissimo. Iam vero cũ ibi Scriptura loquatur in sensu hystorico, ac litterali, cur verba ipsius non accipiantur in significatione propria & communi, vt saurum probatissimum, sit verũ aurũ, & aurũ purissimũ similiter? Adde quod laminæ aureæ non possunt dici deauratæ: Calepinus enim dicit, aureum, esse opus totum factum de auro, & explicat Hispanice, *de ouro macisso*. Auratum vero significat rẽ coopertam auro. Cum ergo Scriptura dicat laminas aureas, cur non accipiantur pro veris aureis in significatione vsitata? Secundo, quia Scriptura citato loco Reg. dicit illas laminas fuisse affixas clauis aureis: quos clauos, si similiter dicat Abulen. fuisse argẽteos deauratos. habet contra se Pinedã de reb. Salom. lib. 5. c. 5. n. 780. contra Eupolemum qui iuxta Pinedã falso dicebat fuisse argenteos. Adde quod prædicti claui appendebãt singuli viginti quinque vncias, seu duas libras cũ vna vncia, ex libris Romanis; ex nostris vero vnã cum dimidia, & vnam vnciã (tãtũ enim valent quinquageni sicli cuiusuis claui 2. Paral. 3.) Iã vero clauus argenteus tanti ponderis (põderat vero argentũ multo minus quã aurũ) inepti vidẽtur ad figendas laminas; essent enim claui plus iusto longi, & crassi pro delicata materia configenda. Id ipsum ego probo ex proxime citato loco Paralyp. vbi vers. 8. & 9. dicitur Salomonem texisse parietes oraculi (id est Sancti Sanctorũ) laminis aureis quasi talentis sexcentis Porro sexcenta talenta auri (de quibus ibidem loqui videtur Scriptura) iuxta supputationem Pinedæ citato cap. 5. n. 35 & num. 44. efficiunt septem milliones auri, & ducenta millia scuta auri: cum ipse Pineda, ex supra dictis, parcius & auarius supputet talenta, quam cæteri. Vnde constat, quod si laminæ solius sanctuarij fuissent solum argenteæ deauratæ, non possent efficere tantam summam millionum auri: & multo minus iuxta Lorinum, & Barradas maiorem copiam seu valorem cuiuis talento assignantes, vt patet ex supra dictis.

Ad locum vero primi Paralyp. 29. quẽ pro se adducit Abulens.

lens de talentis argenti pro deaurandis parietibus, videtur posse primo responderi, reliquisse Dauidem ad deaurandos parietes in se, non ipsum argentum, sed tria millia talenta auri de quibus primo dixerat; ita vt ibi deauratio non sit accipienda pro tota donatione, sed pro parte ipsius, eius videlicet, quæ primo fuit oblata, talentorum scilicet auri Secundo potest respon deri, prædicta talenta argenti relicta fuisse vt parietes deaurarentur, non manente argento in argento; sed diuendito argento seu distracto, & in pecuniam redacto, vt parietes templi auro purissimo, & probatissimo vestirentur, iuxta citata à nobis loca Scripturæ Quod eo maxime sit credibile, quia cum tot artificum templi, & operariorum antecedentium stipẽdia soluenda essent, (de quibus satis supra) & hoc Dauid præuidisset, vel illa talenta auri & argenti, quæ reliquit erant in pecunia numerata, & sic habemus intẽtum secundæ nostræ responsionis Vel si erant in massa argenti tantum, possumus conijcere, intellexisse Dauidem potuisse prædictam massam argenti diuendi pro deaurandis parietibus laminis aureis solitis; quemadmodum cogimur dicere, mille millium argenti talenta, quæ primo donauit, etiamsi in argenti massa relicta fuerint, debuisse omnino diuendi, vel in pecuniam redigi, videlicet cudendo pecuniã pro eorundem artificum stipendijs, & reliquo templi ædificio.

Si ergo vera est nostra opinio quod laminæ vestientes tẽpli parietes erant vere aureæ ex auro solido: hac supposita, constat primo ex 2. Paralypom. cap. 3. & partim 3. Reg. 6. parietes oraculi, ac templi, & pauimentum ipsum fuisse auro contecta. De tecto oraculi, ac templi nihil expresse loquitur Scriptura si fuerit auro coopertum: ego autem conijcio omnino fuisse auro etiam vestitum: quod primo colligo quia citato cap Regum 6. dicitur vers. 22. quod nihil erat in templo quod non auro tegeretur. Tectum vero tum templi, tum oraculi erat ex partibus præcipuis templi, ergo etiam auro fuit coopertum. Secundo, quia si Salomon pauimentũm texit auro, quod pedibus conculcabatur, credibilius est etiam tectum auro vestisse, quod oculi intrantium maxime aspiciebant Tertio idem probare videtur Adricomius de terra Sancta cum agit de templo Salomonis, num. 76 & num. 80. ex Iosepho. Porro in 3. cap 2. Paralypomen. quando fit men-

tuo de laminis aureis oraculi, dicitur fuisse fixas clauis, quorum quilibet habebat vncias viginti quinque iuxta supra dicta: cum autem constet etiam parietes templi fuisse vestitos laminis vere aureis, possumus dicere, quod etiam ibi reperti fuerint claui aurei eiusdem ponderis: & suo modo de parietibus cænaculorum supra templum, vt mox dicimus.

Habetur etiam 2. Paralypom. 3 vers 9. quod Cænacula texit auro: vbi solos parietes intelligo vestitos auro, non vero pauimenta, ac tecta cænaculorũ, quia non dabatur eadem ratio in cænaculis conseruantibus tãtum suppellectilia templi, iuxta supra dicta, qualis dabatur in inferiori templo, vbi Arca fœderis posita erat, & aliæ oblationes præcipue offerebantur. Dicente ergo Scriptura hæc duo cænacula fuisse, tecta auro, vt minimum de parietibus videtur intelligendum.

Supputantes igitur statim hoc opus, quo scilicet oraculi, templi, cænaculorumque parietes, (cum tectis, & pauimentis oraculi, & templi tantum) auro vestiti fuerunt, inhærentes paulo supra dictis §. 1. huius sectionis, quod scilicet laminæ aureæ solius Oraculi efficiebant septem milliones auri, & ducenta millia scuta aurea: cum corpus templi haberet duas partes cum dimidia respectu oraculi, vt potest conijci ex dictis super sect. 3. §. 2. sequitur in vestiendis parietibus, tecto, & pauimento templi fuisse insumptos fere decem & octo milliones auri. Cum rursus, parietes duorum cænaculorum continerent sex vel septem partes respectu oraculi, si etiã hi erant vestiti auro eodem modo sicut Scriptura sonat, crescit summa vsque ad quadraginta milliones auri, plus minusue. Ac proinde totius oraculi, templi, & cænaculorum laminæ aureæ vestientes parietes excedebant sexaginta milliones, idque iuxta minorem supputationem talentorum auri. Iam enim supra dixi, hoc humanitus non posse exacte sciri: neque ego exactam, & rigorosam arithmeticæ supputationem hic prætendo, sed solum breuem, ac quasi moralem summam. His adde quod ego consului architectum peritum, cui manifestaui cubitos totius templi, & cænaculorum in longitudine, latitudine, altitudine; & mihi respondit in omni illo opere quoad facies parietum tegendorum iuxta artem, contineri centum sexaginta mille palmos in quadro seu quadratos quoad singula latera æquales.

æquales. At si cuilibet horum palmorũ, vestiendo daretur lamina auri cũ clauis iam dictæ magnitudinis; vt minimũ lamina cũ clauis efficeret quinque libras Lusitanas auri. Hæ vero distributæ per iam dictos centum sexaginta mille palmos (cuilibet s. palmo quinque libræ) producerent plus minusve centum viginti milliones auri: & hoc supposito quod libra auri Lusitana habet centum quinquaginta ducatus. Satis autem parum tribuimus cuique laminæ palmari cum clauis, quinque libras auri: si enim vnus tantum clauus habebat libram & mediam Lusitanam auri, & vt minimum, quæque lamina duos debebat habere clauos, parca fuit computatio quinque librarum cuiuis laminæ cum duobus clauis, cũ soli duo claui tres libras põderarent. Nec mireris iuxta hanc computationem per palmos, & libras, maiorem euasisse summã millionum auri quam proxime supra constitit illa facta per talenta auri: iam enim supra diximus de valore talentorum varias esse opiniones: & sic iuxta opinionem Barradæ, vel etiam Lorini sect. 1. citatam, qui talento multo magis tribuunt, pares fortassis ambæ computationes euadent.

Si dicas: ad quid opus erat parietes superiorum cænaculorum etiam auro tegere? Dico primo Scripturam illud sic asserere sicut supra relatum est. Secundo, quia sufficiebat ibi asseruari res sacras iam supra dictas. Vltimo dico, si in his & similibus sumptuosis operibus nõ dicamus insumptum aurum abunde, vbi nam debemus dicere fuisse expensos tres illos milliones auri à Dauide relictos, de quibus supra diximus filium Salomonem nihil sibi debuisse subtrahere? Fateor quidem fortasse prædictos cænaculorum parietes minori sumptu, & artificio fuisse deauratos, vel auro vestitos: Scriptura tamen sacra simpliciter dicens fuisse auro tectos, nobis ad prædicta videtur dare licentiam.

Vltra iam dictum ornatum templi constat 3 Reg. 7. fecisse Salomonem decem candelabra aurea. Hæc erant etiam sumptuosi artificij; in hunc modum: de basi surgebat quodam hastile, in modum cerofetarij: & per tria interualla habebat tres scyphos (Lusitane, *ao modo de tres noos, mas eraõ como taças que rodeauão ao tronco*) à latere etiam per interualla surgebant rami aurei septem: ita vt maneret totum opus admodũ quasi illius candelabri quod ponitur feria quinta in cœna

Domini ad officium nocturnū. Et super quemlibet ramum erat etiam posita lucerna aurea. Porro candelabrum illud quod fecit Moises in deserto Exod 25. habebat auri vnum talentum. Hæc vero candelabra Salomonis maiora erant quam illud: vt enim optime conijcit Abulens. quæst.16 super 3. Reg. cap. 6. illa quæ Salomon posuit in suo templo maiora erant quam illa quæ fuerūt in Taberculo Moisis: hæc enim cum deberent asportari per desertum laboriose satis portabantur, & proinde paruiora fuisse oportet, quam ea quæ iam in templo Salomonis immobili collocata sunt. Decem ergo candelabra aurea habentia singula talentū saltem, imo plusquam talentū efficiebant (iuxta computationem Lorini de Talentis) plusquam centum septuaginta mille scuta aurea.

Fecit præterea 3. Reg. 6. seu vestiuit auro altare illud Thimiamatis quod erat intra templum, & in quo adolebatur incensum. Et super hoc altare erant etiam duo Cherubim tecti auro (vt infra patebit) & quod isti Cherubim fuerint distincti ab illis duobus maioribus qui erant iuxta Arcam intra Oraculum videtur colligi 1. Paralyp cap. 28. vers. 18. vt etiam exprimit Torniellus anno 3030. num. 14 Quantum vero auri hi duo Cherubim, & altare haberet, ignoratur

Mensa item panum propositionis erat ex auro 3. Reg 7. & hæc præterea ornabatur pretiosissimis lapidibus miro artificio in textis ac dispositis teste Aristæa lib. de 70. interpretibus. Torniellus vero anno proxime citato nu. 15. asserit non fuisse vnam tantum hanc mensam auream, sed fuisse decem in quibus ponebantur prædicti panes, idque colligit ex 2. Paraly. c. 4. Quod si verum est vide ad quā summam tales decem mensæ aureæ ascendere potuerint.

Erant præterea intra Oraculū tegentes Arcam duo Cherubim maiores supra iam dictis: qui habebāt decem cubitos altitudinis (vnusquisq; videlicet) Erant hi facti ex ligno oliuæ, 3. Reg. 6. & vnusquisq; habebat quinq. cubitos in singulis alis, ac proinde efficiebāt viginti cubitos alarum iuxta mox dicēda: sic vero erant dispositi. Introeuntibus in Oraculū apparebāt ipsæ facies Cherubinorū: illi quasi intra se habebant Arcam, & hāc alis tegebāt, eo modo vt extrema ala expansa cuiuslibet Cherubini, tangeret parietem vnum Oraculi quoad latitudinem: (erat vero Oraculū latitudinis viginti cubitorum) Reliquæ vero Cherubinorū alæ, quasi internæ, & supra Arcam existen-

existentes, sese ad inuicem tangebant. Porro hæ duæ Cherubinorum imagines sic proceræ, & sic alatæ auro tegebantur, supra citato loco.

Dicitur etiam 3. Reg 7. quod fecit aureos Cardines Ostiorũ, oraculi scilicet, & 2. Paralyp. 3. dicitur quod texit auro trabes & postes, & ostia. Denique 2. Paralyp. 4. dicitur quod ostia templi forinsecus erant aurea. In quibus omnibus, licet paruioribus, consideret quiuis quantum auri deberet expendi. Porro de alijs vasis templi factis ex auro, vidimus supra sect. 1. ex 1. Paralyp. 28. Dauidem dedisse multum aurum pro vasis aureis, ibi tamen, nec alibi quod sciam, nõ exprimitur numerus prædictorum vasorum auræorum, cum tamen in specie, dicatur 3. Reg. 7. quod fecit Salomon de auro, flores, lucernas, forcipes, hydrias, fuscinulas, phialas, mortariola, & thuribula Quorum omnium numerus cum non exprimatur, expectare possumus à tã liberali Rege, tantum curante tanti templi Maiestatem, & tot milliones à patre relictos habente, maximam cuiuslibet speciei prædictæ abundãtiam Hoc autem à nullo melius possumus audire quam à Iosepho prædictarum rerum diligenti inuestigatore.

De vasis & instrumentis aureis in templo ex Iosepho.

Iosephus ergo 8. antiquit. cap. 2. dicit fecisse Salomonem ex auro, sequentia. Viginti mille pateras aureas, *taças*. Decem millia candelabrorum aureorũ. Cantharorum vinariorum octoginta millia, *como frascos pera vinho, vel quid simile*. Decem mille phialas. Lancium octoginta millia *idest, pratos de ouro*. Sexaginta millia craterarum ad subigendam similam cum oleo, *como almofias grandes de ouro*. Viginti millia Assaron (horum vasorũ nomina propria apud nos non inuenio) turibula aurea viginti millia. Denique quinque millia vasorum aureorum, (paruorum vt videtur) ad deferendum ignẽ ex altari maiore, ad altare minus. omnia hæc vasa excedunt numerum trecentorũ millium.

Vltra hæc Zonaras teste Maiolo in suis Canicularibus colloquio 23. fol. 737. dicit quod in oraculo erat trabs tota ex auro, quæ ponderabat septingentas quinquaginta libras: & hæ, si Lusitanæ forent, efficiebãt plusquam centum mille scuta aurea. De hac tamen trabe nihil peculiare inuenio præter iam citatũ authorem. Perspice quæso quanta auri copia necessaria fuerit ad extruenda omnia prædicta opera, candelabrorum decem, quatuor

tuor cherubinorum, altaris, decem mensarum,& cætera ex scriptura relata: vltra trecenta millia vasorum aureorum de quibus Iosephus citatus?

SECTIO V.

De operibus factis ex argento.

DE his parcius loquitur scriptura. Ergo 1. Paraly. 28. dicitur dedisse Dauid ad cādelabra, & vasa argentea pondus argenti pro diuersitate mensuræ: non tamen exprimit quot numero fuerint candelabra, seu vasa. Dicitur etiam dedisse argentum ad faciendos Leones argenteos, qui Leones secundū Torniellum erant vasa habentia figuram Leonum. Item 1.Paralyp. 18. dicitur Dauid obtulisse vasa aurea,& argentea. Et cap.28 dicitur dedisse Dauid argentum pro mensis argenteis,non exprimitur,quot fuerint.

Recurrentes autem ad Iosephum sicut proxime fecimus in vasis aureis,hic supra citato loco asserit fuisse in templo sequentia vasa argentea. Octogin ta millia cantharorum vini. Quadraginta mille fuscinulas. Decem mille phialas, ad recipiendū videlicet sanguinem sacrificiorum & populum aspergendum. Centum sexaginta millia Lancium argenti, *id est, pratos de prata*. Sexaginta mille crateras argenteas. Quadraginta mille mortariola. Ducenta millia tubarum argentearum. Decem millia cādelabra argentea. Pro quibus etiam magnitudinem seu multitudinem argenti liceat considerare, quæ omnia erant sexcenta millia vasorum argenti.

Erant omnia sexcēta millia vasorum argenti.

SECTIO VI.

Opera facta ex ære.

IMprimis ad portam templi posuit duas columnas æreas, 3.Reg 7. & 2.Paralyp.3. Alteram ad vnum latus, alteram ad alterum. Harum quæuis habebat altitudinis cum basi & capitello triginta quinque cubitos. Et citato loco Reg. dicitur, quod linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque, quo ad crassitudinem videlicet. Et Iosephus 8. Antiq cap.2. hoc explicans ait: quarum circumferentia duodecim cubitos com plectebatur. Clarius vero loquens Ieremias de his c. lumnis cap. vlt. vers 21. ac de vna tantū in singulari, dicit: funiculus duodecim cubitorū circuibat eam,

Porro

Porro grossitudo eius quatuor digitorum, & intrinsecus caua erat. Erat ergo vnaquæque triginta quinque cubitorum altitudinis; craßitudinis vero tantæ vt corda duodecim cubitorum cingenda foret: & intus caua, seu vacua, vestita tamen lamina ærea craſſa quatuor digitos Artificiũ, cælaturæ, & fabrica prædictarum columnarum ibi relata, erat particularis imò admirabilis, vt grãdem ducatorum summam ad sui fabricam hodie postularent. Eusebius vero Cæsar lib. 9. de præpar. Euang. cap. 2. asserit prædictas duas colũnas fuisse deauratas soliditate vnius digiti, id est coopertas lamina aurea grossâ, ad crasſitudinem digiti. Hoc tamen scriptura non memorat vbi supra

Erat præterea ex ære Altare holocaustorum 2. parralip. ca. 4. quod habebat viginti cubitos longitudinis decem vero altitudinis. Intellige fuisse tectum laminis æreis, intus vero alia materia cõpactum. Laminæ vero debebant esse competentes tali machinæ, atque vsui prædicti Altaris pro sacrificijs videlicet ibidẽ oblatis, in atrio Sacerdotum.

Fuit præterea inter opera ænea, præclarum illud, & singulare mare æneum, (Lusitane, *O lauatorio dos Sacerdotes.*) 3. Reg. 3 & 2 paralip. 4. quod tantæ fuit amplitudinis, seu vastitatis vt caperet tres mille metretas, apud Lusitanos, *Duzentas & quarenta pipas de agoa.* Hoc situm erat super duodecim boues æneos, cum alijs circunstantijs sumptuosißimis & hodie admirandis, de quibus ibidẽ, vt opus hodie plusquam mirabile iudicari valeret. Et notat Torniellus anno 3030. num 3. Hoc opus, seu mare æneum factum fuisse ex certo genere æris quod acquisierat ex Adadezer Rege Syriæ, quod æstimabatur plusquam aurum, eoquod esset factum ex auro & argento singulari, ac mirabili mixtione. Pro quo citat Torniellus Iosephum 7. antiq. cap. 6. Inseruiebat vero præcipue hoc opus, Lusitane, *Lauatorio*, principaliter vt Sacerdotes ante sacrificia manus abluerent, & quoniam aliqui credunt, etiam factum fuisse vt Sacerdotes pedes lauarent ante ingresſũ Templi, Ratiocinatur Torniellus anno citato num. 5. debuisse Salomonem magnam copiam vasorum æreorum extruere, sicuti Peluium, & similium, vt in eisdem extra pedes lauarẽt, eoquod neque esset decens, neque posſibile supra lauare pedes, vbi lauabant manus.

Iuxta hoc opus, Mareve æneum, 3. Reg. 7. fecit decem luteres, *alguidares, ou bacias grandes*, æreos supra suas bases fixos multa

multa etiam sumptuositate fabricatos. In his lauabantur carnes animalium offerendæ Domino in altari holocaustorum. Circa quod notat Torniellus anno citato num 3 hos etiam luteres factos fuisse ex illo ære pretiosissimo Adadezer, quod plus auro æstimabatur. Si vero quæras si hoc æs plus auro æstimabatur, cur nō ex hoc ære potius, quam ex auro vestitum est templum? Responderem, quia cælaturæ, & cætera opera delicata in prædicto vestitu templi, nō tam facile possent fieri in hoc ære duro, sicut in auro molliori. Secundo, quia Mare æneum, & luteres fiebant ad continendam aquam, & alios vsus, qui requirebant duriorem materiam, quā posset aurum sustinere.

Eodem loco proxime citato Reg. dicitur fecisse Salomonem alia vasa ærea, lebetes scilicet, scutras, amulas: quæ iuxta explicationem Sà supra citatum locum & aliorum, inseruiebant ad calefaciendam aquam, coquēdas carnes sacrificiorum, similesque vsus, *caldeiroēs, panellas, maiores e menores*, & subdit scriptura, *quod pro his faciendis, non erat pondus æris*: vnde videas quāta multitudo vasorum æneorum ibi foret, maximé quando in vasis aureis tanta fuit liberalitas, quantam ex Iosepho audiuimus.

Dicitur etiam 2. Paralyp 6. fecisse Salomonem basim æream, idest sedem seu quasi tronum, in atrio secularium, vt scilicet ibi posset ipse orare, eo quod neque Rex ingredi templum poterat, sed soli sacerdotes & ibidem aliquando sederet: Hæc vero sedes habebat quinque cubitos longitudinis, totidem latitudinis, & altitudinis tres: in qua etiam sede mirum artificium, & sumptuositas debuit relucere, tanti nempe Regis digna Maiestate.

2. Paralyp. 4. portæ Atrij populi erant coopertæ ære. Et Euseb. Cæsar. loco supra citato dicit tegulas tecti in templo, fuisse æneas aureas deforis. Vide immensām æris multitudinē ad tantam tegularum copiam. Addit idem Euseb. quod in omnibus operibus æris fuerunt impensa decem & octo millia talenta æris, *vulgo dezoito mil quintaēs de bronze*

Fuerunt etiam in templo vasa ferrea, & vasa lignea, etenim 1. Paralyp. cap. 29. *Dicitur dedisse etiam Dauidem ferrum in vasa ferrea, & ligna ad vasa lignea*: Si autem vasorum auri, & argenti & cæt. talis fuit copia, qualis etiam foret ligneorum & ferreorum abundantia?

Ex omnibus supradictis videas quam sine fundamento dicat

cat Budæus apud Cardosum in vocabulario Lusitaño titulo de Mensuris & Monetis, Salomonem in templo expendisse viginti nouem milliones auri, & septingenta mille scuta aurea. Attentis enim omnibus supra relatis, videtur omnino incredibile dictum Budæi. Liberalior fuit aliquantulum in computando, Euseb. Cæsar. vbi supra, asserens omne aurum insumptũ in templo Salomonis in columnis, cæterisque templi vasis fuisse quadragesies sexies centum millium Idest, (vt puto) *quadraginta sex milliones auri* Ibi tamen nil loquitur de cæteris operibus auri de quibus supra; videlicet de laminis vestientibus parietes, altari mensis &cæt. sed de solis columnis & vasis: & hoc si verum est, valde confirmat nostrã considerationem circa prædicta; nam si in solis vasis aureis illa summa fuit expensa quid in alijs operibus aureis supra memoratis? Porro quod attinet in particulari ad dictũ citati doctoris de auro impenso in columnis, ego illud non reperi in alio doctore, neque legi in scriptura sacra de columnis aureis: ipse viderit, saltem ex mente illius doctoris dicemus immensam fuisse pecuniam expensam in alijs operibus auri, argenti æris, ferri, ligni, bysi, purpuræ, &cæt. & in soluendis stipendijs tot, ac tantorum operariorũ sicut ex præcedentibus poterit conijcere is qui voluerit omnia ad rigorem Mathematicum, & Arithmeticum clare deducere.

Hinc satisfit alteri maiori obiectioni, qua scilicet quis posset inquirere hoc modo. Supra diximus Dauidem tot milliones auri reliquisse, tres mille, vel secundũ aliquos quatuor mille. Nos vero hucusque in factis sumptibus neque retulimus clare mille milliones auri: diximus item supra non esse credibile Salomonem Regem liberalissimũ, ditissimum, Deo tunc, & Patri obsequentissimũ aliquid ex diuitijs à patre pro templo relictis, debuisse ad proprios sumptus reseruare: vbi ergo reliqui milliones auri fuerunt insumpti? Respondeo primo. Hinc euidenter concludi, quam parce nos in præcedentibus supputationes fecerimus quasi solum moraliter, & non ad rigorem Arithmeticum. Respondeo secundo. Identidem colligi quam immensa pecunia profusa fuerit erga operarios diuturniores nobis ignotos. & in materijs nobis incognitis in tanto templo à Deo ipso descripto, per manum tàlis Patris commendato, & tanti, ac tam magnifici filij expleto.

Pro eiusdem dubij solutione con-

Sacerdotum: secundum pro deuotione totius populi, imo & totius regni fuit constructum, cum sæculares neque in templum neque in atrium Sacerdotum possent introire, (vt forte infra dicetur.) Et proinde prædicta atria debebant esse capacissima, pretiosissima in lapidibus, lignis, fabre factura, prout decebat tanti templi Magestatem, tãti Regis magnificentiam, ac liberalitatem. Ac pro inde quodlibet atrium per se merebatur nomen grandis, ac magnifici ædificij. Omitto porticus (idest alpendres) horum atriorum, de quibus Torniellus vbi supra.

Erant præterea ædificata circa atrium populi exedræ, in Thesauros domus Domini, & in Thesauros Sanctorum, diuisionumque Sacerdotalium, & Leuiticarum. 2. Paraly. 28. vltra etiã erant Gazophilatia; & Pasthophoria. De quibus omnibus cõcludit Torniellus citato loco fuisse primo cubicula ad diuersos Ministrorum vsus ædificata. Secundo fuisse receptacula pro Thesauris templi conseruandis. Tertio fuisse etiam destinata habitacula pro habitatione Sacerdotum, & Leuitarum vt ibidem habitarent tempore vicis, seu functionis suæ Quæ omnia opera pro tanti templi, ac Regis magnificentia, atque operis fine, clare supponunt & particularem ornatum & expensas exquisitissimas.

Vt vero in speciali de operibus factis ex ligno dicamus vltra trabes immensæ magnitudinis, ac tabulas easdem tegentes in porticibus templi, atriorum & similium, consideret deuotus fidelis omnes parietes templi interius fuisse vestitos tabulis cedrinis, 3. Reg 6. Et hoc non vtcumque, sed tali modo quod in prædictis tabulis cedrinis erant formatæ variæ cælaturæ, cum figuris Cherubim, palmarum, & alijs, ita vt prædictæ cælaturæ eminerent, idest vt veluti de pariete egredi viderentur (*Lusitane, feitas de releuo, ou boril*) de quo etiam artificio vide 2. Paralyp 3. vers. 4. & seq. Pauimentum autem templi erat vestitum supra marmora tabulis abiegnis citato loco, 3. Reg 6. Quod opus in tanti templi magnitudine quanti laboris, artis, & pretij fuerit considerent eiusdem rei maiorem habentes notitiam.

Redeamus nunc tantisper ad contemplandam tantarum fabricarum sumptuositatem, & magnificentiam, videlicet parietes templi in tanta altitudine, latitudine, & exquisita, politaque materia: porticum ipsius templi, siue vestibulum, quod exqui-

exquisitis etiam lapidibus vel columnis debebat sterni, ac sustentari: similem quoque fabricā duorum atriorum, exedrarum, gazophilatiorum, domorum Sacerdotum, ac Leuitarum, & aliorum forte concernentium: consideremus etiam Tabulatum illud supra fastigium parietum templi, tria etiam tabulata infixa parietibus in circuitu templi (quæ proxima duo erant ex ligno exquisito) Trabium ingentium, cæterorumque lignorum miram præparationem, seu dolationem; denique miram illam fabricam, qua templi parietes vestiebantur cedro cum prædictis cælaturis, ita vt (iuxta Torniell. anno citato num. 6.) aliquæ etiam torno atque alijs fabrilibus instrumentis pararentur: considera inquam quot artifices in omnibus prædictis ministerijs subseruirent? Quot lapicidæ, (*Lusitane, pedreiros*) alij dicunt cæmentarios: quot his seruientes? Quot fabri lignarij? Quot sculpentes figuras in lignis? Quot operarij ligna serra scindentes, ac præparātes? Quot denique in ministerijs ad hæc concernentibus deberent occupari? Et, vt etiam rem huic attinentem, licet per anticipationem dicamus, considera quot artifices in auro varijs modis elaborando, iuxta mox dicenda, quot in argento, quot in in ære, quot in ferro, quot in serico, siue bysso, pro vaso scilicet templi, alijsque ad ornatum ipsius mox dicendis, incredibili fere sumptu, admirabilique artificio deberent intendere? Adde hæc omnia durasse per septem annos, quibus fabricatum est templum, 3. Reg 6. quamuis Torniellus anno 3028. num. 1. dicat durasse plus sex menses, vt ibi recte computat: & hos sex menses fabricæ templi applicat vt minus ad conuehenda vasa aurea, argentea, ærea, reliquumque templi iam facti, ornatum suo loco ac debite collocandum. Hanc tot artificum, tamque diuersorum numerositatem Pater Dauid filio explicauit, dum filium iuuenem quasi merito deterrendum ab operis futuri magnitudine, sic prius præmonuit; & confortauit ad opus aggrediendum, 1. Paralyp. cap. 22. *Confortare, ne timeas, neque paueas.* Et paucis interiectis, ait: *Habes quoque plurimos artifices, latomos, & cæmentarios, artificesque lignorum, & omnium artium ad faciendum opus prudentissimos in auro, & argento, & ære, & ferro* Et vltra hoc ipse Salomon postea petijt, à Rege Tyri 2. Paralyp. 2. vt sibi mitteret Magistrum peritissimum qui sciret operari, in auro, argento, ære, &

Mm ferro,

ferro purpura, coccino, & hyacinto, & qui sciat sculpere, cælaturas, & cætera vt videas quot artifices per septem annos in quot, & quam varijs operibus deberent inseruire, & occupari

Antequam vero principalem collectionem, seu supputationem horum sumptuum, seu artificum faciamus: duo exempla suppono, primum sit. Templum Dianæ Ephesinæ teste Plinio lib. 36. cap. 14. ducentis viginti annis factum fuit à tota Asia. Vide quot artifices per tot annos laborarent & à tali regno aliti tam amplo, tamque diuite qualis erat tota Asia. Secundum exemplum sit Baronij, ac libelli cuiusdam de mirabilibus, seu antiquitatibus Romanæ vrbis. Quorum ille tom. 2. annal. anno 298. asserit Diocletianum Romæ ædificasse illud suum opus sumptuosissimum, thermas videlicet, Lusitanè *banhos*. Ad cuius ædificij structuram perficiẽdam damnauit multos Christianos (numerum non exprimit) & prædictum ædificium durasse per septem annos. Libellus vero citatus, Italice scriptus fol. 211. titulo, thermæ, refert prædictos Christianos ad citatum opus damnatos, fuisse centũ quadraginta millia per multos annos Iam vero si in templo Dianæ, & thermis Diocletiani per tot annos tot artifices laborarunt: quam comparationem habent prædictum templum Dianæ, ac thermæ cum templo Salomonis; de quo ipse Dauid prædixit 1. Paralypomen. cap 22. quo *tale esse deberet vt in cunctis Regionibus nominetur*. Et filius Salomon 2. Paralypom. cap. 2. prædictum templum appellauit, *domum magnam nimis, & inclitam*. Adde quod non poterant in templo Dianæ, neque in thermis reperiri tot opera, auri, argenti æris, cum tali artificio ac cælaturis, qualiter supra de Salomonis templo visum est.

Tunc sic: si supra deduximus cum solis hominibus lapides cædentibus, ac portantibus, & cum lignorum cæsoribus per solos quinque annos expensos fuisse plus minusue quindecim milliones auri: cum ipsi laborarent in materia crassa, artis minoris non sic æstimabili, qualis lapidum cæsio, ac lignorum ex lapidicinis, & arboribus: Quid conuenit affirmare de tot artificibus laborantibus in materia difficiliori, auro, argento. & cæteris memoratis, cum tanto artificio, & hoc non per quinque sed per septem annos? Certe hoc humanitus videtur computari non posse. Habita tamen proportione ad prius dictos operarios cæsores tantũ lapidum

pidum & lignorum, & sumptus factos propter ipsos: Qui diceret eum his in ipsa templi fabrica, & ornatu laborantibus fuisse expensos plusquam centū milliones auri, puto quod absurdum non diceret. Et vltra prædicta, claritatis gratia, aduerto in Thermis Diocletiani, illos centum quadraginta Christianos vt plurimum, non debuisse esse artifices, siue Magistros; Diocletianus enim hostis non admitteret Christianos ad tale ministerium, cum ipsos haberet suspectos: sed vltra prædictos Christianos quasi seruitores tantum subseruientes operarijs, seu Magistris, deberent operari sat millia artificum, operariorum seu Magistrorum, & sic laborantium omnium numerus forte excresceret ad plusquam centum sexaginta millia per septem annos: quod supra dictæ nostræ supputationi liceat applicare.

SECTIO IIII.

De operibus factis ex auro.

QVoniam vna maiorum expensarum de operibus auri in hoc templo (iuxta dicenda) fuerunt laminæ auri quibus cum cti parietes templi fuerunt tecti, ac vestiti ex sacra Scriptura infra citanda; oportet ante omnia disquiramus an prædictæ laminæ parietes, ac pauimentum vestiētes fuerint omnino ex auro solido, seu quoad totam substantiam aureæ: an vero in se fuerint argenteæ, coopertæ vero, seu quasi tinctæ desuper auro? Abulensis super primum Paral. cap. 29. q. 7. affirmat solum fuisse argenteas in se, & in superficie auro coopertas, seu tinctas. Probat ex eo quod Dauid citato loco Paralyp. dixit se denuo dare tria millia talenta auri, & septem millia talenta argenti, ad deaurandos parietes templi. Quomodo enim, (ait Abulensis) illa talenta argenti poterant deaurare parietes, ita scilicet vt laminæ essent auri solidi? Restat ergo, ait, vt laminæ essent argenteæ, sed auro coopertæ cætera quæ pro se adducit parui sunt momenti.

Ego pro opinione opposita nullū inueni Doctorem hoc disputantem, quare forte rem supponunt indubitatam, fuisse scilicet totas aureas laminas, non argenteas: Solis tamen verbis sacræ Scripturæ innitens, censeo prædictas laminas non fuisse argenteas auro tinctas, sed vere totas fuisse aureas, ex auro solido, ac verisimo. Moueor

principaliter, quia sacra Scriptura non semel, sed sæpius vocat aurum purum, seu purissimum. & laminas non deauratas, sed aureas, 3. Reg. 6. de oraculo dicit, quod operuit illud auro purissimo. Et ibidem, quod nihil erat in templo quod non auro tegeretur. Et 2. Paralyp. 3. vocat laminas auri obrizi. Et quod laminæ tegentes domum erant de auro probatissimo. Iam vero cũ ibi Scriptura loquatur in sensu hystorico, ac litterali, cur verba ipsius non accipiantur in significatione propria & communi, vt s. aurum probatissimum, sit verũ aurũ, & aurũ purissimũ similiter? Adde quod laminæ aureæ non possunt dici deauratæ: Calepinus enim dicit, aureum, esse opus totum factum de auro, & explicat Hispanice, *de ouro macisso*. Auratum vero significat rẽ coopertam auro. Cum ergo Scriptura dicat laminas aureas, cur non accipiantur pro veris aureis in significatione vsitata? Secundo, quia Scriptura citato loco Reg. dicit illas laminas fuisse affixas clauis aureis: quos clauos, si similiter dicat Abulen. fuisse argẽteos deauratos. habet contra se Pinedã de reb. Salom. lib. 5. c. 5. n. 780. contra Eupolemum qui iuxta Pinedã falso dicebat fuisse argenteos. Adde quod prædicti claui appendebãt singuli viginti quinque vncias, seu duas libras cũ vna vncia, ex libris Romanis; ex nostris vero vnã cum dimidia, & vnam vnciã (tãtũ enim valent quinquageni sicli cuiusuis claui 2. Paral. 3.) Iã vero clauus argenteus tanti ponderis (põderat vero argentũ multo minus quã aurũ) inepti vidẽtur ad figendas laminas; essent enim claui plus iusto longi, & crassi pro delicata materia configenda. Id ipsum ego probo ex proxime citato loco Paralyp. vbi vers. 8. & 9. dicitur Salomonem texisse parietes oraculi (id est Sancti Sanctorũ) laminis aureis quasi talentis sexcentis Porro sexcenta talenta auri (de quibus ibidem loqui videtur Scriptura) iuxta supputationem Pinedæ citato cap. 5. n. 35 & num. 44. efficiunt septem milliones auri, & ducenta millia scuta auri: cum ipse Pineda, ex supra dictis, parcius & auarius supputet talenta, quam cæteri. Vnde constat, quod si laminæ solius sanctuarij fuissent solum argenteæ deauratæ, non possent efficere tantam summam millionum auri: & multo minus iuxta Lorinum, & Barradas maiorem copiam seu valorem cuius talento assignantes, vt patet ex supra dictis.

Ad locum vero primi Paralyp. 29. quẽ pro se adducit Abulens.

lens de talentis argenti pro deaurandis parietibus, videtur posse primo responderi, reliquisse Dauidem ad deaurandos parietes in se, non ipsum argentum, sed tria millia talenta auri de quibus primo dixerat; ita vt ibi deauratio non sit accipienda pro tota donatione, sed pro parte ipsius, eius videlicet, quæ primo fuit oblata, talentorum scilicet auri Secundo potest respon deri, prædicta talenta argenti re licta fuisse vt parietes deaurarentur, non manente argento in argento; sed diuendito argento seu distracto, & in pecuniam redacto, vt parietes templi auro purissimo, & probatissimo vestirentur, iuxta citata à nobis loca Scripturæ Quod eo maxime fit credibile, quia cum tot artificum templi, & operariorum antecedentium stipēdia soluenda essent, (de quibus satis supra)& hoc Dauid præuidisset, vel illa talenta auri & argenti, quæ reliquit erant in pecunia numerata, & sic habemus intētum secundæ nostræ responsionis Vel si erant in massa argenti tantum, possumus conijcere, intellexisse Dauidem potuisse prædictam massam argenti diuendi pro deaurandis parietibus laminis aureis solitis; quemadmodum cogimur dicere, mille millium argenti talenta, quæ primo donauit, etiamsi in argenti massa relicta fuerint, debuisse omnino diuendi, vel in pecuniam redigi, videlicet cudendo pecuniā pro eorundem artificum stipendijs, & reliquo templi ædificio.

Si ergo vera est nostra opinio quod laminæ vestientes tēpli parietes erant vere aureæ ex auro solido: hac supposita, constat primo ex 2. Paralypom. cap. 3. & partim 3. Reg. 6. parietes oraculi, ac templi, & pauimentum ipsum fuisse auro contecta. De tecto oraculi, ac templi nihil expresse loquitur Scriptura si fuerit auro coopertum: ego autem conijcio omnino fuisse auro etiam vestitum: quod primo colligo quia citato cap Regum 6. dicitur vers. 22. quod nihil erat in templo quod non auro tegeretur. Tectum vero tum templi, tum oraculi erat ex partibus præcipuis templi, ergo etiam auro fuit coopertum. Secundo, quia si Salomon pauimentum texit auro, quod pedibus conculcabatur, credibilius est etiam tectum auro vestisse, quod oculi intrantium maxime aspiciebant Tertio idem probare videtur Adricomius de terra Sancta cum agit de templo Salomonis, num. 76 & num. 80. ex Iosepho. Porro in 3. cap 2. Paralypomen. quando fit mentio

tio de laminis aureis oraculi, dicitur fuisse fixas clauis, quorum quilibet habebat vncias viginti quinque iuxta supra dicta: cum autem constet etiam parietes templi fuisse vestitos laminis vere aureis, possumus dicere, quod etiam ibi reperti fuerint claui aurei eiusdem ponderis: & suo modo de parietibus cænaculorum supra templum, vt mox dicimus.

Habetur etiam 2. Paralypom. 3 vers 9. quod Cænacula texit auro: vbi solos parietes intelligo vestitos auro, non vero pauimenta, ac tecta cænaculorũ, quia non dabatur eadem ratio in cænaculis conseruantibus tãtum suppellectilia templi, iuxta supra dicta, qualis dabatur in inferiori templo, vbi Arca fœderis posita erat, & aliæ oblationes præcipue offerebantur. Dicente ergo Scriptura hæc duo cænacula fuisse tecta auro, vt minimum de parietibus videtur intelligendum.

Supputantes igitur statim hoc opus, quo scilicet oraculi, templi, cænaculorumque parietes, (cum tectis, & pauimentis oraculi, & templi tantum) auro vestiti fuerunt, inhærentes paulo supra dictis §. 1. huius sectionis, quod scilicet laminæ aureæ solius Oraculi efficiebant septem milliones auri, & ducenta millia scuta aurea: cum corpus templi haberet duas partes cum dimidia respectu oraculi, vt potest conijci ex dictis super sect. 3. §. 2. sequitur in vestiendis parietibus, tecto, & pauimento templi fuisse insumptos fere decem & octo milliones auri. Cum rursus, parietes duorum cænaculorum continerent sex vel septem partes respectu oraculi, si etiã hi erant vestiti auro eodem modo sicut Scriptura sonat, crescit summa vsque ad quadraginta milliones auri, plus minusue Ac proinde totius oraculi, templi, & cænaculorum laminæ aureæ vestientes parietes excedebant sexaginta milliones, idque iuxta minorem supputationem talentorum auri. Iam enim supra dixi, hoc humanitus non posse exacte sciri. neque ego exactam, & rigorosam arithmeticæ supputationem hic prætendo, sed solum breuem, ac quasi moralem summam. His adde quod ego consului architectum peritum, cui manifestaui cubitos totius templi, & cænaculorum in longitudine, latitudine, altitudine; & mihi respondit in omni illo opere quoad facies parietum tegendorum iuxta artem, contineri centum sexaginta mille palmos in quadro seu quadratos quoad singula latera æquales.

æquales. At si cuilibet horum palmorũ, vestiendo daretur lamina auri cũ clauis iam dictæ magnitudinis; vt minimũ lamina cũ clauis efficeret quinque libras Lusitanas auri. Hæ vero distributæ per iam dictos centum sexaginta mille palmos (cuilibet s. palmo quinque libræ) producerent plus minusve centum viginti milliones auri: & hoc supposito quod libra auri Lusitana habet centum quinquaginta ducatus. Satis autem parum tribuimus cuique laminæ palmari cum clauis, quinque libras auri: si enim vnus tantum clauus habebat libram & mediam Lusitanam auri, & vt minimum, quæque lamina duos debebat habere clauos, parca fuit computatio quinque librarum cuiuis laminæ cum duobus clauis, cũ soli duo claui tres libras põderarent. Nec mireris iuxta hanc computationem per palmos, & libras, maiorem euasisse summã millionum auri quam proxime supra constitit illa facta per talenta auri: iam enim supra diximus de valore talentorum varias esse opiniones: & sic iuxta opinionem Barradæ, vel etiam Lorini sect. 1. citatam, qui talento multo magis tribuunt, pares fortassis ambæ computationes euadent.

Si dicas: ad quid opus erat parietes superiorum cænaculorum etiam auro tegere? Dico primo Scripturam illud nõ asserere sicut supra relatum est. Secundo, quia sufficiebat ibi asseruari res sacras iam supra dictas. Vltimo dico, si in his & similibus sumptuosis operibus nõ dicamus insumptum aurum abunde, vbi nam debemus dicere fuisse expensos tres illos milliones auri à Dauide relictos, de quibus supra diximus filium Salomonem nihil sibi debuisse subtrahere? Fateor quidem fortasse prædictos cænaculorum parietes minori sumptu, & artificio fuisse deauratos, vel auro vestitos: Scriptura tamen sacra simpliciter dicens fuisse auro tectos, nobis ad prædicta videtur dare licentiam.

Vltra iam dictum ornatum templi constat 3 Reg 7. fecisse Salomonem decem candelabra aurea. Hæc erant etiam sumptuosi artificij; in hunc modum: de basi surgebat quodam hastile, in modum cerofetarij: & per tria interualla habebat tres scyphos (Lusitane, *ao modo de tres noos, mas eraõ como taças que rodeauão ao tronco*) à latere etiam per interualla surgebant rami aurei septem: ita vt maneret totum opus admodũ quasi illius candelabri quod ponitur feria quinta in cœna

Domini ad officium nocturnũ. Et super quemlibet ramum erat etiam posita lucerna aurea. Porro candelabrum illud quod fecit Moises in deserto Exod 25. habebat auri vnum talentum. Hæc vero candelabra Salomonis maiora erant quam illud: vt enim optime conijcit Abulens. quæst.16 super 3. Reg. cap. 6. illa quæ Salomon posuit in suo templo maiora erant quam illa quæ fuerãt in Taberculo Moisis: hæc enim cum deberent asportari per desertum laboriose satis portabantur, & proinde paruiora fuisse oportet, quam ea quæ iam in templo Salomonis immobili collocata sunt. Decem ergo candelabra aurea habentia singula talentũ saltem, imo plusquã n talentũ, efficiebant (iuxta computationem Lorini de Talentis) plusquam centum septuaginta mille scuta aurea.

Fecit præterea 3. Reg. 6. seu vestiuit auro altare illud Thimiamatis quod erat intra templum, & in quo adolebatur incensum. Et super hoc altare erant etiam duo Cherubim tecti auro (vt infra patebit) & quod isti Cherubim fuerint distincti ab illis duobus maioribus qui erant iuxta Arcam intra Oraculum videtur colligi 1. Paralyp. cap. 28. vers. 18. vt etiam exprimit Torniellus anno 3030. num. 14 Quantum vero auri hi duo Cherubim, & altare haberet, ignoratur

Mensa item panum propositionis erat ex auro 3. Reg 7. & hæc præterea ornabatur pretiosissimis lapidibus miro artificio in textis ac dispositis teste Aristæa lib de 70 interpretibus. Torniellus vero anno proxime citato nu. 15. asserit non fuisse vnam tantum hanc mensam auream, sed fuisse decem in quibus ponebantur prædicti panes, idque colligit ex 2. Paraly. c. 4. Quod si verum est vide ad quã summam tales decem mensæ aureæ ascendere potuerint.

Erant præterea intra Oraculũ tegentes Arcam duo Cherubim maiores supra iam dictis: qui habebãt decem cubitos altitudinis (vnusquisq; videlicet) Erant hi facti ex ligno oliuæ, 3. Reg. 6. & vnusquisq; habebat quinq. cubitos in singulis alis, ac proinde efficiebãt viginti cubitos alarum iuxta mox dicẽda: sic vero erant dispositi. Introeuntibus in Oraculũ apparebãt ipsæ facies Cherubinorũ: illi quasi intra se habebant Arcam, & hãc alis tegebãt, comodo vt extrema ala expansa cuiusuis Cherubini, tangeret parietem vnum Oraculi quoad latitudinem: (erat vero Oraculũ latitudinis viginti cubitorum) Reliquæ vero Cherubinorũ alæ, quasi internæ, & supra Arcam existen-

existentes, sese ad inuicem tangebant. Porro hæ duæ Cherubinorum imagines sic proceræ, & sic alatæ auro tegebantur, supra citato loco.

Dicitur etiam 3. Reg 7. quod fecit aureos Cardines Ostiorũ, oraculi scilicet, & 2. Paralyp. 3. dicitur quod texit auro trabes & postes, & ostia. Denique 2. Paralyp. 4. dicitur quod ostia templi forinsecus erant aurea. In quibus omnibus, licet paruioribus, consideret quiuis quantum auri deberet expendi. Porro de alijs vasis templi factis ex auro, vidimus supra sect. 1. ex 1. Paralyp. 28. Dauidem dedisse mul tum aurum pro vasis aureis, ibi tamen, nec alibi quod sciam, nõ exprimitur numerus prædicto rum vasorum auræorum, cum tamen in specie, dicatur 3. Reg 7. quod fecit Salomon de auro, flores, lucernas, forcipes, hydrias, fuscinulas, phialas, mortariola, & thuribula Quorum omnium numerus cum non exprimatur, expectare possumus à tã liberali Rege, tantum curante tanti templi Maiestatem, & tot milliones à patre relictos habente, maximam cuiuslibet speciei prædictæ abundãtiam Hoc autem à nullo melius possumus audire quam à Iosepho prædictarum rerum diligenti inuestigatore.

De vasis & instrumentis aureis in templo ex Iosepho.

Iosephus ergo 8. antiquit. cap. 2. dicit fecisse Salomonem ex auro, sequentia. Viginti mille pateras aureas, *taças*. Decem millia candelabrorum aureorũ. Cantharorum vinariorum octoginta millia, *como frascos pera vinho, vel quid simile*. Decem mille phialas. Lancium octoginta millia *idest, pratos de ouro*. Sexaginta millia craterarum ad subigendam similam cum oleo, *como almofias grandes de ouro*. Viginti millia Assaron (horum vasorũ nomina propria apud nos non inuenio) turibula aurea viginti millia. Denique quinque millia vasorum aureorum, (paruorum vt videtur) ad deferendum ignẽ ex altari maiore, ad altare minus. omnia hæc vasa excedunt numerum trecentorũ millium.

Vltra hæc Zonaras teste Maiolo in suis Canicularibus colloquio 23. fol. 737. dicit quod in oraculo erat trabs tota ex auro, quæ ponderabat septingentas quinquaginta libras: & hæ, si Lusitanæ forent. efficiebãt plusquam centum mille scuta aurea. De hac tamen trabe nihil peculiare inuenio præter iam citatũ authorem. Perspice quæso quanta auri copia necessaria fuerit ad extruenda omnia prædicta opera, candelabrorum decem, quatuor

tuor cherubinorum, altaris, decem mensarum,& cætera ex scriptura relata : vltra trecenta millia vasorum aureorum de quibus Iosephus citatus?

SECTIO V.

De operibus factis ex argento.

DE his parcius loquitur scriptura. Ergo 1. Paraly. 28. dicitur dedisse Dauid ad cãdelabra , & vasa argentea pondus argenti pro diuersitate mensuræ : non tamen exprimit quot numero fuerint candelabra, seu vasa. Dicitur etiam dedisse argentum ad faciendos Leones argenteos , qui Leones secundũ Torniellum erant vasa habentia figuram Leonum. Item 1.Paralyp. 18. dicitur Dauid obtulisse vasa aurea,& argentea. Et cap.28 dicitur dedisse Dauid argentum pro mensis argenteis,non exprimitur,quot fuerint.

Recurrentes autem ad Iosephum sicut proxime fecimus in vasis aureis,hic supra citato loco asserit fuisse in templo sequentia vasa argentea. Octoginta millia cantharorum vini. Quadraginta mille fuscinulas. Decem mille phialas, ad recipiendũ videlicet sanguinem sacrificiorum & populum aspergendum. Centum sexaginta millia Lancium argenti, *idest, pratos de prata*. Sexaginta mille crateras argenteas. Quadraginta mille mortariola. Ducenta millia tubarum argentearum. Decem millia cãdelabra argentea. Pro quibus etiam magnitudinem seu multitudinem argenti liceat considerare, quæ omnia erant sexcenta millia vasorum argenti.

Erant omnia sexcẽta millia vasorum argenti.

SECTIO VI.

Opera facta ex ære.

IMprimis ad portam templi posuit duas columnas æreas, 3.Reg 7. & 2.Paralyp.3. Alteram ad vnum latus, alteram ad alterum. Harum quæuis habebat altitudinis cum basi & capitello triginta quinque cubitos. Et citato loco Reg. dicitur , quod linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque, quo ad crassitudinem videlicet. Et Iosephus 8. Antiq cap. 2. hoc explicans ait: quarum circumferentia duodecim cubitos complectebatur. Clarius vero loquens Ieremias de his c. lumnis cap. vlt vers 21. ac de vna tantũ in singulari,dicit: funiculus duodecim cubitorũ circuibat eam.

Porro

Porro grossitudo eius quatuor digitorum, & intrinsecus caua erat. Erat ergo vnaquæque triginta quinque cubitorum altitudinis; crassitudinis vero tantæ vt corda duodecim cubitorum cingenda foret: & intus caua, seu vacua, vestita tamen lamina ærea crassa quatuor digitos Artificiũ, cælaturæ, & fabrica prædictarum columnarum ibi relata, erat particularis imò admirabilis, vt grãdem ducatorum summam ad sui fabricam hodie postularent. Eusebius vero Cæsar lib. 9. de præpar. Euang. cap. 2. asserit prædictas duas colũnas fuisse deauratas soliditate vnius digiti id est coopertas lamina aurea grossa, ad crassitudinem digiti. Hoc tamen scriptura non memorat vbi supra

Erat præterea ex ære Altare holocaustorum 2. parralip. ca. 4. quod habebat viginti cubitos longitudinis decem vero altitudinis. Intellige fuisse tectum laminis æreis, intus vero alia materia cõpactum. Laminæ vero debebant esse competentes tali machinæ, atque vsui prædicti Altaris pro sacrificijs videlicet ibidẽ oblatis, in atrio Sacerdotum.

Fuit præterea inter opera ænea, præclarum illud, & singulare mare æneum, (Lusitane, *O lauatorio dos Sacerdotes.*) 3. Reg. 3 & 2 paralij 4. quod tantæ fuit amplitudinis, seu vastitatis vt caperet tres mille metretas, apud Lusitanos, *Duzentas & quarenta pipas de agoa.* Hoc situm erat super duodecim boues æneos, cum alijs circunstantijs sumptuosissimis & hodie admirandis, de quibus ibidẽ, vt opus hodie plusquam mirabile iudicari valeret. Et notat Torniellus anno 3030. num. 3. Hoc opus, seu mare æneum factum fuisse ex certo genere æris quod acquisierat ex Adadezer Rege Syriæ, quod æstimabatur plusquam aurum, eoquod esset factum ex auro & argento singulari, ac mirabili mixtione. Pro quo citat Torniellus Iosephum 7. antiq. cap. 6. Inseruiebat vero præcipue hoc opus, Lusitane, *Lauatorio*, principaliter vt Sacerdotes ante sacrificia manus abluerent, & quoniam aliqui credunt, etiam factum fuisse vt Sacerdotes pedes lauarent ante ingressũ Templi, Ratiocinatur Torniellus anno citato num. 5. debuisse Salomonem magnam copiam vasorum æreorum extruere, sicuti Peluium, & similium, vt in eisdem extra pedes lauarẽt, eoquod neque esset decens, neque possibile supra lauare pedes, vbi lauabant manus.

Iuxta hoc opus, Mareve æneum, 3. Reg. 7. fecit decem luteres, *alguidares, ou bacias grandes,* æreos supra suas bases fixos multa

multa etiam sumptuositate fabricatos. In his lauabantur carnes animalium offerendæ Domino in altari holocaustorum. Circa quod notat Torniellus anno citato num 3 hos etiam luteres factos fuisse ex illo ære pretiosissimo Adadezer, quod plus auro æstimabatur. Si vero quæras si hoc æs plus auro æstimabatur, cur nō ex hoc ære potius, quam ex auro vestitum est templum? Responderem, quia cælaturæ, & cætera opera delicata in prædicto vestitu templi, nō tam facile possent fieri in hoc ære duro, sicut in auro molliori. Secundo, quia Mare æneum, & luteres fiebant ad continendam aquam, & alios vsus, qui requirebant duriorem materiam, quā posset aurum sustinere.

Eodem loco proxime citato Reg. dicitur fecisse Salomonem alia vasa ærea, lebetes scilicet, scutras, amulas: quæ iuxta explicationem Sà supra citatum locum & aliorum, inseruiebant ad calefaciendam aquam, coquēdas carnes sacrificiorum, similesque vsus, *caldeiroēs, panellas, maiores e menores*, & subdit scriptura, *quod pro his faciendis, non erat pondus æris*: vnde videas quāta multitudo vasorum æneorum ibi foret, maxime quando in vasis aureis tanta fuit liberalitas, quantam ex Iosepho audiuimus.

Dicitur etiam 2. Paralyp 6. fecisse Salomonem basim æream, idest sedem seu quasi tronum, in atrio secularium, vt scilicet ibi posset ipse orare, eo quod neque Rex ingredi templum poterat, sed soli sacerdotes & ibidem aliquando sederet: Hæc vero sedes habebat quinque cubitos longitudinis, totidem latitudinis, & altitudinis tres: in qua etiam sede mirum artificium, & sumptuositas debuit relucere, tanti nempe Regis digna Maiestate.

2. Paralyp. 4. portæ Atrij populi erant coopertæ ære. Et Euseb. Cæsar. loco supra citato dicit tegulas tecti in templo, fuisse æneas aureas deforis. Vide immensām æris multitudinē ad tantam tegularum copiam. Addit idem Euseb. quod in omnibus operibus æris fuerunt impensa decem & octo millia talenta æris, *vulgo dezoito mil quintaēs de bronze*

Fuerunt etiam in templo vasa ferrea, & vasa lignea, etenim 1. Paralyp. cap. 29. *Dicitur dedisse etiam Dauidem ferrum in vasa ferrea, & ligna ad vasa lignea*: Si autem vasorum auri, & argenti & cæt. talis fuit copia, qualis etiam foret ligneorum & ferreorum abundantia?

Ex omnibus supradictis videas quam sine fundamento dicat

cat Budæus apud Cardosum in vocabulario Lusitano titulo de Mensuris & Monetis, Salomonem in templo expendisse viginti nouem milliones auri,& septingenta mille scuta aurea. Attentis enim omnibus supra relatis, videtur omnino incredibile dictum Budæi. Liberalior fuit aliquantulum in computando, Euseb. Cæsar. vbi supra, asserens omne aurum insumptũ in templo Salomonis in columnis,cæterisque templi vasis fuisse quadragesies sexies centum millium Idest,(vt puto) *quadraginta sex milliones auri* Ibi tamen nil loquitur de cæteris operibus auri de quibus supra; videlicet de laminis vestientibus parietes, altari mensis &cæt. sed de solis columnis & vasis: & hoc si verum est, valde confirmat nostrã considerationem circa prædicta; nam si in solis vasis aureis illa summa fuit expensa quid in alijs operibus aureis supra memoratis? Porro quod attinet in particulari ad dictũ citati doctoris de auro impenso in columnis, ego illud non reperi in alio doctore,neque legi in scriptura sacra de columnis aureis : ipse viderit. saltem ex mente illius doctoris dicemus immensam fuisse pecuniam expensam in alijs operibus auri,argenti æris, ferri,ligni, byssi, purpuræ, &cæt. & in soluendis stipendijs tot ac tantorum operariorũ sicut ex præcedentibus poterit conijcere is qui voluerit omnia ad rigorem Mathematicum, & Arithmeticum clare deducere.

Hinc satisfit alteri maiori obiectioni, qua scilicet quis posset inquirere hoc modo. Supra diximus Dauidem tot milliones auri reliquisse,tres mille, vel secundũ aliquos quatuor mille. Nos vero hucvsque in factis sumptibus neque retulimus clare mille milliones auri : diximus item supra non esse credibile Salomonem Regem liberalissimũ, ditissimum, Deo tunc , & Patri obsequentissimũ aliquid ex diuitijs à patre pro templo relictis, debuisse ad proprios sumptus reseruare:vbi ergo reliqui milliones auri fuerunt insumpti? Respondeo primo. Hinc euidenter concludi , quam parce nos in præcedentibus supputationes fecerimus quasi solum moraliter, & non ad rigorem Arithmeticum.Respondeo secundo. Identidem colligi quam immensa pecunia profusa fuerit erga operarios diuturniores nobis ignotos. & in materijs nobis incognitis in tanto templo à Deo ipso descripto, per manum tàlis Patris commendato , & tanti , ac tam magnifici filij expleto.

Pro eiusdem dubij solutione con-

consideretur quid expendere deberet Salomon in reliquo templi ornatu, velo scilicet pretiosissimo oraculi quod denuo fecit, primum enim velum à Moise factum pro stricto tabernaculo, angustum erat pro oraculo ampliori á Salomone extructo. In vestibus præterea Sacerdotum (si credimus Iosepho 8. antiquit. cap. 3.) satis copiosos nummos debebat expendere. Asserit namque citatus Author quod Pontificum fecit stolas (idest vestes Pontificales) & superhumerales & rationales, mille. Hi videntur clare fuisse summi Sacerdotes: quæ saltem vltimæ vestes (iuxta Ioseph) erant ex auro, cum lapidibus pretiosis intertextis. Vestes item Sacerdotales (*idest, dos Sacerdotes ordinarios*) de purissimo bysso (*idest, olanda*) cum zonis purpureis, decem mille Leuitarum vero stolas, item ex bysso, ducentas mille. Pro cantoribus item, (qui erant quatuor mille) fecit instrumenta musica quadraginta mille, ex electro.

Computet denique pius cõsiderator quot alij Ministri in tanto templo essent necessarij pro ministerio & ipsius seruitio, ita quod 1. Paralyp. 23. dicatur fuisse deputatos pro templi seruitio quatuor mille ianitores, & quatuor mille cantores. Et vltra hos erant Nathinæi ducenti viginti proximo Esdr. 8. qui occupabantur in cædendis lignis pro sacrificijs & conuehendis aquis ad templum. Porro quamuis inuenio in sacra scriptura assignatos redditus, vel sustentationem pro Sacerdotibus ordinariam, videlicet vota, & oblationes, & sacrificia pro peccato, & partes hostiarum pacificarum &cæt. de quibus Torniellus anno 2548 num. 7. Pro Leuitis etiam, iuxta ibidem dicta à citato authore: de reliquis tamen Ministris templi, Cantoribus. 5. Ianitoribus & alijs non memoratis necessarium videtur publicos redditus fuisse consignatos, vt tempore sui ministerij possent sustentari; & ad hos annuos redditus coemendos abunde pecunia debuit erogari.

EPILOGVS.

Accipe Lector quantulacumque tanti templi supputationem & ex dictis statim in principio ex D. Paul. 1 ad Corinth. 3. disce quod si cuiusque fidelis anima est templum Dei habitantis in illa: Templum vero Salomonis sic ornari voluit tot sumptibus, tot diuitijs: Quales sumptus virtutum scilicet exercitia, quot animæ diuitias à te requiret, vt in anima

anima possit inhabitare ac permanere, & mansionem facere, Ioan 4. Dilige ergo ipsum vt proxime citato loco à te petitur, & eris templum Dei, hic per gratiam, & in cælo per gloriam. Amen.

FINIS.



Omnia ergo in hoc opere contenta firmiter, & constanter, subijcio, ac submitto iudicio, imo & pedibus Sanctæ Matris Ecclesiæ, Sanctæque Inquisitionis iudicibus. Si quid autem in illo prædictæ Matris Ecclesiæ definitionibus, sacræ scripturæ, traditionibus, ac denique veritati repertum fuerit, irritum, nullum, ac non dictum esse volo. In cuius testimonium subscribo.

Fr. Lorenço de Portel.


DOMINI
TVRRIS
IHS



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ QVI HOC LIBRO PRÆCIPVE EXPLICANTVR.

Fol. folium. col. columnam. p. principium columnæ. m. medium. f. finem columnæ significat.

Ex Genesi.

Ex libro Exodi.

Ex lib. Numer.

Ex Deuteronomio.

Ex libro Iosue.

Ex libro Iudicum.

Ex lib. 1. Regum.

Ex lib. 2. Reg.

Ex 3. Regum.

Ex 4. Regum.

Paralypomenon.

Ex lib. Esther.

Ex lib. Iob.

Ex Psalmis:

Ex lib. Prouerb.

Ex lib. Ecclesiastes.

6 Inijce

Ex lib. Canticorum.

Ex lib. Sapientiæ.

Ex Ecclesiastico.

Ex Isaia.

Index locorum ſacræ Scripturæ.

Ex Ieremia.

Ex Threnis.

Ex Ezech.

Ex Daniele.

Ex Abacu.

Ex Sophonia.

Ex Ag-

Index locorum sacræ Scripturæ.

Ex Aggæo.

Ex Zacharia.

Ex 1. Machab.

EX TESTAMENTO NOVO.

Ex Matthæo.

post

Ex Marco.

Ex Luca.

Ex Ioanne.

Ex Actis Apostolorum.

Ex Epistola ad Romanos.

Ex prima

Ex prima Epistola ad Corinthios.

Ex 2. ad Corinth.

Ex Epist. ad Galatas.

Ex Epist. ad Ephesios.

4 Ego

Ex Epist. ad Philippenses.

Ad Colossenses.

Ex 1. ad Thessalonicenses.

Ex 1. ad Timoth.

Ex 2. ad Timoth.

Ex Epist. ad Hebræos.

INDEX

INDEX PRAEDICATIVVS, SEV RES IN LIBRO CONTENTÆ AD SERMONES OCCVRRENTES APPLICABILES.

Dominica Aduentus Domini.



QVantum ſancti homines olim procurauerint aduentum Chriſti Domini in carne, qui his Dominicis celebratur, fol.234.col.4.m. Ex D.Bernard. quem vide citato ibi loco.

In die iudicij virtualiter, faciet Deus vnam conſequentiam, & dicet vnum ergo. fol.45.col.4 & fol. ſequenti.

Leuate capita veſtra. Hoc ſpecialiter dicetur iuſtis ibi gaudentibus, ac Religioſis. Si enim iuſti ibidem non fuerint læti, & gaudentes, miſerabiliores ſunt omnibus hominibus, etiam Mauris. fol.123. col.3.& 4.

Dominica 2. Aduentus.

Mittens duos ex Diſcipulis, ait illis, &c. Conſtat alias Ioannis diſcipulos æmulatos eſſe pro Ioanne, eo qnod Chriſtus Dominus baptizaret, & plus erant affecti ad Ioannem quam ad Chriſtum. Ioannes ergo illos mittit ad Chriſtum, vt Chriſto Domino plus adhæreant, & non æmulentur, ſeu homini puro non plus adhæreant, & ſchiſmata faciant. fol.77.col 3.f. & pro eodem intento videbis totam exhortationem tertiam.

Dominica 3. Aduentus.

Tu quis es. Volebant deferre prælaturam Ioanni, vt illum ſibi obligarent: & ſic hodie multi faciunt. fol. 11. col. 3. p. cum antecedentibus, & col.4.

In vigilia Natiuitatis Domini.

Duo integri sermones habentur de Calenda. fol. 230. & sequentib. & præterea ad hoc mysterium explicandum, vide optime dictũ Augustini.fol.186.col.4.m.& fol.187.

In festo sancti Stephani.

Quoties volui congregare filios tuos,& noluisti. Potest agi de illis qui resistunt diuinis inspirationibus,de quo fol.244.col 4.m.& fol.sequentibus Tunc adde antecedentia, fol.243. de peccatore non cessante,& vide fol.148.col.2.

In festo Sanctorum Innocentium.

Et noluit consolari quia non sunt. De parentibus lugentibus filios incessanter,maxime si filij intrant Religionem,vel sancto proposito inhærent,quales fuerunt hi innocentes,fol.151.col.4.& tunc vide antecedentia,& sequentia.

Accipe puerum,& matrem eius. Cum scilicet paulo ante puerum viderent decantatum ab Angelis,& à Regibus adoratum: nunc vident ad tales angustias redactum. Deus enim iustos nec labores continuos,neque gaudia continua sinit habere: sed miscet, modo gaudia,modo labores dando, & facit velut telam vitam nostram.fol.173.col.1.& sequentibus.

Quid significet id quod D August.ait de his infantibus, sunt pignora creata,non credita.fol.151.vbi supra.

In Epiphania Domini.

Integer sermo habetur de hoc festo.fol.191.& sequentibus.

Præterea,ibi,*per aliam viam reuersi sunt in Regionem suam*;dic,sinamus nos duci à Deo,& nos illi committamus, ipse enim curam habebit de nobis: pro hoc vide sermonem in conuersione sancti Pauli,quando ille respondit, *quid me vis facere*, & Deus deduxit illum velut ouem Ioseph,& oues ad pascua. fol.252. col.3. & sequentibus fol. vide etiam fol.250.col.3.p.

Dominica infra octa Epiphaniæ.

Integer sermo habetur.fol.197.pag.2.& seqq.late.

Quid

Dominica 4. post Epiph.

Dominica 5. post Epiphan.

Dominica in Septuagesima.

Dominica in Sexagesima.

Dominica in Quinquagesima.

Feria 6. post Cineres.

Dominica 1. Quadrag.

Deus

Feria 4. post 1. Dom. Quadrag.

Feria 6. post Dom 1. Quadrag.

Dominica 2. Quadragesimæ.

di vide fol.102.col 1. & 2. cum antecedentibus & sequentibus Quid ergo debent facere pro vera gloria ho lie prælibata? vide etiam pro eodem intento fol.135.col.1.m.& seqq. & fol.158. col. 1.ex Chrysost.& fol.194.col.2.& 3.

Feria 3 post Dom. 2. Quadrag.

Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Cur Deus permittat malos prælatos eligi in Ecclesia Dei. fol. 15. col. 3. & 4. & fol.16.

Quæcunque dixerint vobis seruate, & facite. De obedientia erga prælatos, & eius securitate, vide late tota exhortatione 5 & 6. a fol 56 & sequentibus. & fol 60.col.4. Et quod aliquando meretur subditus obediēdo in re quæ de se est peccatum mortale, si id subditus omnino ignoret.fol.58.col 1. Et quod neque malis prælatis detrahendum sit.fol.85.per totum.

Feria 4.post Dom. 2. Quadrag.

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum. Appetitum vehementē gloriæ vanæ, retundit acerbitate calicis: ad modum Matrum infantes ablactantium acerbitate fellis vel absynthij. Vide de hoc remedio late, a fol.1.serm.1.& seqq folijs.

Vnus ad dexteram, alius ad sinistram. Ambas manus volebat principi, seu prælato ligare apponendo singulis, singulos filios. fol. 7. col.4. prælatus vero debet esse liber, ibi cum antecedentibus & sequentibus, & ambidexter vt Aioth.fol.32.col.3.

Quod hi duo discipuli in collegio humilitatis honores appetebāt. fol.127.col.1.

Possumus. Quanta possit, & sufferat ambitio.fol.216. & 217. & fol. 26.col.2.& seqq. & fol.27.col 2.

Vnus ad dexteram, &c. Quam fœdum sit in domo aliena, (Ecclesia scilicet) intromittere se, vel arripere officia ad libitum, cum sint expectanda à Deo.fol.15.

Dic vt sedeant. Vide modum petendi, Dic hoc est potius imperare quam petere, sic petunt aliqui hodie. fol.220. col.2. & 3 & sequentibus.

Et decem indignati sunt. Et quare non sunt indignati vndecim, audientes quod vnus futurus esset proditor, quemadmodum hodie indignati sunt decem de duobus procurantibus honores. fol.12.

fol. 11. col. 2. 3. & sequentibus. & fol. 127. col 2.

Feria 5. post Dominicam 2. Quadrag.
De Diuite & Lazaro.

Fili recordare. Mirum est quod Abraham sanctißimus, damnatum iam diuitem vocet filium; & homo viuens adhuc, proximum suum viuentem vocet diabolum aliquando. Dic de amore proximi, vt in feria 6. post cineres. Et de amore Dei erga nos, vt in sermonibus calendæ, & feria 2. post Pent.

Rogo te vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, & cæt. De zelo curandi de salute proximi, maxime in visitationis tempore à prælatis iniunctæ. fol. 115. col. 4. & tota ibi exhortatione 17.

Canes lingebant vlcera eius. Mira patientia eius fuit in toleranda infirmitate. Exemplum huius rei mirabile vide fol. 147. col. 2. in quadam fæmina Romana nomine, Bona.

Sabbato post 2. Dominicam Quadrag.
De filio prodigo.

Vt pasceret porcos. Et proinde quasi porcorum seruus factus est. Sed multo vilior seruus efficitur peccator, diaboli scilicet, & tot vitiorum quot habet. Vide optime ex D. Ambros. fol. 149. col. 3 cum antecedentibus, & sequentibus.

Et de inquieto statu illius in pascendo grege porcorum inquietissimo vide sermon. Dominicæ 4. post Penth. post initium, & fol. 246 col, 1.

Et nemo illi dabat. Diabolus qui illi tot dura iniungebat, tam parũ illi dabat, vt nec siliquas daret: dic de duris, & multis à Diabolo nobis iniunctis, vt æterna tormenta inferat. Et é contra, quam parua à nobis postulet Deus, vt det vitam æternam. fol. 217. col. 1. m. cum antecedentibus, & sequentibus.

Prodigus ad se reuersus est Deo iuuante per labores, & afflictiones temporales. fol. 248 & seq.

Ibo ad Patrem. Deus vt misereatur nostro modo loquendi induit varias personas, patris matris, pastoris, &c. Et proinde multus est ad ignoscendũ etiã filio prodigenti omnia fol. 243. col, 2. & 3.

Dominica 3. Quadrag.

Si autem Sathanas in se ipsum diuisus est, &c. Dæmones ad inuicem nõ rixantur, neque habent odium, vt hic innuitur. Dic quam fædũ erit Christianos inter se odio diuidi, & seditionibus. De hoc vide tota exhortatione nona in qua agitur de schismate.

Feria 3 post 3. Dominicam.

Si te non audierit dic Ecclesiæ. De obligatione denunciandi prælatis in visitationibus. fol. 114 pag. 2. & sequentibus.

Feria 4. post 3. Dominicam Quadrag.

Quare Discipuli tui, &c. Erant Discipuli Christi Domini primi Religiosi Ecclesiæ. Et Pharisæi sæculares illos accusant in minimis. Hoc etiam hodie faciunt vt plurimum sæculares, taxant Religiosos in minimis, vel aliquando sine causa, vel si taxant in magnis, non aduertunt sæculares quod Religiosi homines etiam sunt. fol. 161. col. 1. & 2. Vide etiam in serm. Dominicæ 23. post Pentec. §. Dixi hactenus. Vide etiam fol. 212. col. 1. & 2. & fol. 217. col. 2. & 3.

Feria 6. post 3 Dominicam Quadrag. De Samaritana.

Primo hæc mulier vocabatur, Photina, & postea fuit sancta, & martyr. fol 216 col. 2. p.

Da mihi bibere. Quam parum ab illa petierit Dominus, vt illi daret multo plura, in hac vita, & in æterna, vide fol. eodem à principio sermonis.

Mirabantur quod cum muliere loqueretur. Vide exemplum de vitando scandalo in materia castitatis, & occasionum, & circumspectione ibi adhibenda, maxime à personis Ecclesiasticis. fol 72. pag. 1.

Circa interrogationes factas ab hac muliere, & dilationes friuolas, dic quod peccator non debet dilatare, nec discurrere, & quod contritio statim habenda est. fol. 220 col. 1. & 2. Et folio 247. col 3 4 & sequentibus.

Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me. Prælati cibus præcipuus

Dæmonia Vide repetitionem,& continuationem peccati,& quomodo non cessant. Pro hoc vide quæ dicuntur de Paulo adhuc spirante minas & cædes,& non cessante fol. 244.& 245.

Feria 4. post Dominicam Passionis.

Et hyems erat. De frigore peccatorum quo impediuntur operari vide de Accidia idem causante,quæ est tædium spirituale ad bene operandum impediens. fol. 90. col. 3 cũ antecedent. & sequent.

Feria 5. in Cœna Domini.

Cœpit lauare pedes. Opera humilia propter Deum suscepta. non faciunt hominem abiectum,sed illum exaltant. fol. 235. col. 1. f. cum antecedent. & sequent.

Exemplum enim dedi vobis &c. De exemplo prælatorum, & aliorũ: vide fol. 3. col. 4. m & fol. 10. col 1. & 2. & fol. 12. & 13.

Quod ego facio tu nescis modo, scies autem postea. Sinamus nos duci à Deo gubernante, etiam in laboriosis, id enim nobis conuenit. fol 253. col 1. & seq.

Feria 2. post Pascha.

Nonne hæc oportuit pati Christum &c. Exponitur locus Theologice. Et quam parum homines faciant pro gloria æterna: & quam multum pro vana,& terrestri gloria. fol. 169. col. 2. & tunc vide antecedentia,& sequentia. Et fol. 245. col. 3.

Dominica 2. post Pascha.

De Pastore bono & de Mercenario, vide quinque primos sermones in celebratione capituli. Omnes enim agunt de hac materia. Vide etiam in Indice Rerum, verbo Prælatus,& fol. 18. col. 3.

Pro die Ascensionis.

Linguis loquentur nouis. Peccator cõuersus debet loqui diuerso modo ab illo,quo antea loquebatur Si enim linguam, & mores nõ mutat,timendum est,quod non sit perfecte conuersus. fol. 172. cum præcedentibus.

Pro

Pro festo sacratissimo Penth.

Sermonem meum seruabit, idest legem. Quod fuerit beneficium Dei erga nos, dare nobis legem monstrantem facienda à nobis, vide fol. 5:. col 2. f. cum antecedentibus & seq.

Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio Vide fol. 57. col. 2.

Pacem relinquo vobis. De bono pacis, & de malis schismatum, vide à fol 73. tota exhortatione 9.

Venit princeps huius mundi. Quare diabolus dicatur princeps mundi. fol. 227. col 4. m. cum antecedentibus.

Feria 2. post Penth.

Vt filium suum vnigenitum daret. De beneficio Incarnationis in qua Pater dedit filium, habes duos sermones in vigilia Natiuitatis Domini; & omnia ibi contenta poterunt huc applicari Maxime contenta in sermone 2 per totum & in principio illius Et citata supra in vigilia Natiuitatis, seu fol. 234. col. 2. & fol. 236. col. 1.

In festo sanctissimæ Trinitatis.

Integer sermo habetur á fol 185. & sequentibus.

In festo Corporis Christi.

De difficultate in credendo hoc misterio, demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse, vide fol. 186. col 4 m. ex Augustino ad Voluzianum Et quod ibi dicitur circa misterium Incarnationis applica ad hoc misterium cū dictis ibidem fol. 187. de fortitudine fidei.

Vide etiam fol. 214. dicta Epiphanij, Prosperi, & Augustini, & applica ad satietatem panis istius Vide etiam fol. 271. col. 4. & seq. fol. pro ornatu decenti sanctissimæ Eucharistiæ.

Domin. 2. post Penth siue infra oct. Corporis Christi.

Vxorem duxi, & ideo non possum venire. De excusationibus, impedimētis, & oneribus coniugatorum quo ad virtutis exercitia vide late. fol. 50. col. 3. & 4 & fol. 110. col. 1. & 2. & fol. 139. & seq. & fol. 170 col. 2. & seq. & fol. 229. col. 3. & 4.

Domi-

Dominica 3. post Penth.

De pastore quærente ouem vnam. Vide aliquod ex D. Bern. fol. 109. col. 3. cum anteced. & seq.
Vide etiam fol. 22. col. 4. m. & sequentibus.

Dominica 4. post Penth.

Sermo integer habetur à fol. 179 & seq. vide ibi.
Potest etiam quæri cur ista nauis non sit hodie passa tempestatem? Et hoc ex absentia Iudæ. Dic de societate malorum ex D. Ambros. fol. 221. col. 3. cum antecedent. & seq.
Per totam noctem laborantes nihil cepimus. Potest agi de vita sæculariũ, & mundanorum, qui vt plurimũ habent menses vacuos, & vitã sine fructu, quod vt plurimũ non habent Religiosi, fol. 124. col. 1.

Dominica 8. post Penth.

Quid faciam quia Dominus meus aufert à me villicationem. Non patiebatur auferri à se occasionem inquietudinis: aliqui enim inquietantur si quieti sunt. Vide â fol. 179. & seq.

Dominica 10. post Penth.

Ieiuno bis in Sabbato, decimas do &cat. Non satis est ad salutem seruare duo vel tria mandata: seruanda sunt omnia: aliâs nihil prodest. fol. 190. col. 3. & sequent. Vide etiam fol. 102. col. 1. & seq. & cur Pharisæus se non viderit vt Publicanus. Vide fol. 255. col. 4. Vide etiam fol. 263. col. 3. & seq. quomodo peccator & se debet deprimere, & aliquando in spem erigere.

Dominica 12. post Penth.

Protulit duos denarios. Et quodcumque super erogaueris &cat. Quæ sint opera super erogationis, & de non facientibus vltra legem. Vide fol 197. & sequent. Et fol 228. col. 3 & 4.
Quis est meus proximus. Hic est Christus Dominus, & proinde frater noster, de quo honore vide fol. 232. & 233.

Dominica 15. post Penth.

Filius vnicus Matris suæ. De hoc adolescente potest considerari, quot

quot impedimenta habuerit vt moreretur libens, paratus ad mortem, & maturus in virtutibus: erat enim vnicus, adolescés, forte nobilis & diues, vt patet ex turba copiosa illum comitante. De quibus omnibus impedimentis ad bene moriendum (non dico mortuum esse extra gratiam.) Vide Sermonem totū infra in Dominica 23. post Penth. de puella nobili filia principis, & vnica &cæt.

Dominica 21. post Penth.

Videntes conserui &cæt. venerunt, & narrauerunt Domino suo. Quod isti conserui significent Angelos, & quod sit officium Angelorum, idest sanctum, denunciare prælatis in visitatione defectus publicos, & bona intentione: vide fol. 116. col. 1. m. cum omnibus antecedent. & sequent.

Tunc vocauit illum Dominus. Quod audiendus sit Reus, & mature ferenda sententia, fol. 19 col. 1. & 2.

Serue nequam. Quam vilis seruus sit quiuis peccator, & quot Dominorum mancipium, fol 149. col. 3. ex D. Ambros.

Et debitum dimisit ei. Dimisit Rex iniuriam propriam, siue debitum proprium, & noluit dimittere iniuriam seu debitum proximi. Sic Deus in remittendis proprijs iniurijs benignus est: at in vindicandis iniurijs proximi est acerrimus. Et nos é contra debemus esse zelantes de iniurijs factis Deo. In nostris vero condonandis, debemus esse benigni, fol. 249 col. 4. cū præcedentibus.

Dominica 23. post Penth.

Sermo integer habetur, à fol. 222. pag. 2. & sequentibus folijs.

Dominica 24. post Penth.

Qui in tecto est non descendat tollere aliquid de domo sua, &cæt. De illis qui in via perfectionis positi retrocedunt, fol. 133. col. 2. cum antecedent. & sequent. & fol. 129.

Et Lucas hoc loco facit mentionem de vxore Loth. de qua vide fol. 171. cum antecedent. & sequent.

PRO

PRO FESTIS SANCTORVM.

Profesto Sancti Andreæ.

At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. Inspirationi diuinæ, seu vocationi statim sine dilatione obsequendum est, & non interponendæ excusationes. fol. 247. & 248.

In conuersione Sancti Pauli.

Copiosus sermo habetur de ista cōuersione, circa historiam Act. 9. siue Epistolam Missæ, à fol. 241 pag 2. & sequent. Pro Euangelio vero *Ecce nos reliquimus omnia*, vide infra in communi Abbatum.

Vide etiam aliquid, pro his verbis: *Domine quid me vis facere*, fol. 60.

In purificatione B. Mariæ.

Expectans consolationem Israel. De zelo boni communis vide fol. 22. col 2. & seq.

Et timoratus. Videri potest tract. de scrupulis, à fol. 256. & præcipue fol. 264 col 2. f & seq.

Nunc dimittis seruum tuum. Cupiebat senex finire vitam: Nunc vero quantum omnes nos procuremus dilatare vitam, & recusemus mortem, fol. 213. & seq. & fol. 225. col. 3. & seq. Vide etiam quanta faciunt homines pro ista laboriosa vita, fol. 135 col. 1. & fol. 194. col. 2. f. & col. 3.

In festo Sancti Ioseph.

In somnis apparuit ei dicens. Multis hominibus Deus in somnis multa, & grandia reuelauit, quando scilicet de terra non cogitabant, sed clausos habebant oculos corporales. Cum enim oculos corporales aperimus, nihil videmus cæleste; cum vero hos claudimus, & aperimus mentales, cælestia videmus. fol. 254. col. 4. cum anteced. & seq.

In Annunciatione B. Mariæ.

Quomodo fiet istud. Quomodo pro voti impletione recusabat esse Matrem Dei, si voto præiudicaret. De obseruatione voti. fol 55. col. 1.

Virum

In Inuentione sanctæ Crucis.

In die Sancti Petri Apostoli.

In festo S. Mariæ Magdalenæ.

Vide

In festo Omnium Sanctorum.

In communi vnius Martyris. Si quis venit ad me.

De eodem vno Martyre. Nolite arbitrari &c.

De eodem vno Martyre. Nihil opertum &c.

De communi plurimorum Martyrum.

Pro communi Confess. Pontificum.

Homo peregre proficiscens, ibi, *fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.* Omnes alij laborauerunt, & fructus fecerunt in virtute. Iste noluit meliorari. De ijs qui non curant in via Dei proficere, sed stare, vide totam exhortationem 12. maxime fol. 90. & fol. 143. col 4 f. Et fol. 122. & 124. & 125.

Pro Doctoribus.

Vos estis sal terræ. De bono prælato, & obligatione illius habes quinque sermones in principio pro celebratione capituli, maxime 5. & fol. 32. Et pro sale infatuato, vide fol. 12. col 4 & fol. 13.

Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis. Dic de illis qui volunt obedire in paruis, & non in magnis. fol 60. col. 3. & 4.

Videant opera vestra bona &c. Quod Religiosi, & magis prælati sunt spectaculum totius mundi, quod omnium oculi intuentur. fol. 127. & sequent.

Pro Confessore non Pontifico.

Nolite timere pusillus grex, vendite quæ possidetis, &c. De paupertate voluntaria, vide fol. 64. & seq. totam exhortationem septimam.

Pro alio Euangelio *Homo nobilis abijt.* De illo qui mnam recepit, & reposuit in sudario nolens operari, vide supra in Euangel. Confess. Pontif. De accipiente talentum, & recondente in terra, quia ambo coincidunt.

In communi Abbatum. Ecce nos reliquimus omnia.

Reliquimus omnia. Quod non fecerunt magni Sancti legis veteris. Et proinde Sancti legis nouæ vt plurimum fuerunt sanctiores, & maiores quam Sancti legis veteris, & cur? fol. 146. & seq.

Reliquimus omnia. Etiam exemplo colubri vsque ad pellem abijciẽtis vt renouetur; & alia ad hoc intentum, vide fol 40. & 44.

Et relin-

Pro Euangelio Virginum.



INDEX RERVM PRINCIPALIVM, QVÆ HOC LIBRO CONTINENTVR.

A

gluten

B

Curiositas

D

E

F

Genesius

G.

H.

I.

tempore

L.

N.

Nimieta-

Occasiones

P.

Prælatus.

Profeſsio.

Purpura

S.

Scrupulus.

Societas malorum vel bonorum.

ERRO-



ERRORES CORRIGENDI.

FActa omni diligentia morali, non potuerunt vitari errores, neque hic omnes aduertam qui facile possunt deprehendi: neque sensum substantialem mutant: sed solum præcipuos qui sensum poterunt variare.

FOl.9.col 1. acquisitum, dic, acquisitam. fol.10 col.1. M. Monere, dic, mouere. Et ibidem col 3 M ipsomet, dic, ipsemet. fol 12.col 3. M prælaturæ, dic, prælatura. fol. 14.col.3.P cæteraq; dic, cæterasq; fol 15.col. 1.M. falsæi, dic, falsæ. fol.16.col 2 P cruelissimi, dic, crudelissimi. fol 18.col.1.P. concredit? dic, concreditæ? fol 19.col 4.M. soporatum, dic, soporatam. fol. 21.col.4.F. videri, dic, videre poteris fol.22.col 3.F. animarum, dic animam. fol.23.col.2 P.Suffraturos, dic, Suffragaturos. fol.26.col 1.P regulas, dic tegulas. Et ibidem col.2.P.indigne, dic, indigno. Fol.28.col.4 F giescam, dic, giesitam. fol.31.col.1.P. viridari, dic, viridarij. Fol.34.col.1 P sustenta, dic, sustentati. fol.38 col.3.P. pœnas, dic, pennas Fol 43.col 1.P. exunt, dic, exuat. fol.46.col 2 M. Saluatorem, dic, Saluatori. fol 47.col 3 P.in 1. linea, tolle, Non. Et linea 4. Euaderent, dic, euadent. fol.49.col.1.P.oblationem, dic, ablationem. Et ibidem. Si fine, tolle, Si Et ibidem col 3. dolore, dic, dolere. Et ibidem. Sic consideret, dic, si consideret. Et col.4 restituis, dic, restitues. fol.52.col 1.M. facit, dic, fuit. Et ibi col 3 M quid illa, dic, quod illa, Et ibidem F.quod le, dic, legem. fol.61.col 4.P. pereadem sententiæ, dic, pro eadem sententia. fol.63 col 1 lin.2 factus, dic, fastus. fol.64.col 4.sumptum dic, sumptus. fol.67 col.2.F. sic quærit, dic, queritur. Et ibidem. poterat, dic, poterant. Et ibidem.col.4. P. accedunt, dic, accendunt. Et ibidem horroris, dic, hortis. fol.68.col 1.M Æmulacione, dic, æmulatione. Et ibidem col.4. P. Immerito, dic merito. fol.84. col.4. F. Bernardus, dic, Bernardi. fol. 85. col.1.P.in omnia, dic, in omni. fol 87.col 4.F potis, dic, potibus fol 93.col. 2. M. decepta, dic, decerpta. fol 94.col.1.P. Secum, dic, succum. fol 97.col. 3.P. Choro, dic, chorum. Et præcipio, dic, percipio. fol 108.col.2 M. obiectio, dic, abiectio. fol 111.col.3 M. tractam, dic, tractatum. fol 117.col.2.P. odio signa, dic, odij signa Et ibid.col.3 P reperiuntur, dic reperiantur. fol. 120.col 4.M fementiores dic, feruentiores. Et ibid. F. quàm, superest. fol. 129.col.2 P. vinacitas, dic, viuacitas. fol 1 8.col.1. linea 4 & 5 sic leges. Se nolle, rem adeo difficilem homini, qualis est est virginitas, Imperare. Apostolos autem. fol.139 col 1. capientis, dic cupientis. Et ibid M. infecta, dic, infesta fol 14.col 1.P hæc præterea: dic, hac præterea. fol.147.col 2 M. intro missum, dic, intro missus. fol.150.col.2. M. vaccuam, dic, vaccam. fol. 156.col.

156 col 2.F liberos dic, libetis. fol. 161.col. 2. vultius, dic, vultus. fol 170. col 3 F. transcurrunt, dic, transcurrit. fol, 183 col 2 F. muliebrem d.c, mulierem. fol 193 col. 2.F. dicat 1 dic, dico 1. fol 203. col. 2 F. verbi Domini dic, verbi Diuini. fol. 204, col. 2. P. Exercendas, dic, execrandas. fol 205. col. 3, P. concusis, dic, conclusis fol. 221. col 3 F. proditotis, dic, proditoris. fol. 227. col. 1. M. Efesum, dic Effusum. fol. 231 col. 1. P. Eius vtilitas, dic, vilitas. fol 246. col. 2. P. len. 1. suæ, dic, quæ: Et ibidem lin 2 assumsit, dic, assumpsit. fol. 251. col 1. P. Vt non dominetur dic, Et non dominetur fol. 263 col. 2 P. Curretur, dic, curetur. fol. 282 col 1 F. decem vero altitudines, dic latitudinis. Ibidem. statim, o lauacorio, dic, lauatorio.

F I N I S.





